A. Lat. b. 2129.

S. 2189 2

# VIBIUS SEQUESTER

DE

FLUMINIBUS FONTIBUS LACUBUS
NEMORIBUS PALUDIBUS MONTIBUS
GENTIBUS

QUORUM APUD POETAS MENTIO FIT.

LECTIONIS VARIETATEM
ET INTEGRAS DOCTORUM COMMENTATIONES
ADJECIT ET SUAS


JER. JAC. OBERLINUS

IN UNIV. ARGENT. ELOQ. LAT. ADJ.
ACAD. REG. INSCRIPT. AD EPIST. COMM. ADSCRIPT.
ROTOMAG. CORTON. PANORMIT. ACADEMICUS
LONDIN. ET CASSELL. SOCIET. ANTIQ. SODALIS.



ARGENTORATI

Apud AMANDUM KÖNIG Bibliopolam.

MDCCLXXVIII.



PERMISSU SUPERIORUM.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

VIRO

GENEROSISSIMO

EXCELLENTISSIMO

BARON

D' AUTIGNY

PERILLUSTRI

PATRIAE CIVITATIS

PRAETORI REGIO

MUSAGETAE

ARGENTORATENSI

# LECTORI BENEVOLO

## S. P.

NON abſque jure tuo a me exſpectare videris, lector amice, ut tum de Vibio ipſo, tum de ſcriptis codicibus, quibus ejus libellus ad nos eſt transmiſſus, tum tandem de variis eruditorum in eo edendo illuſtrandoque curis in limine ſtatim diſputem. Id ergo fiet, ſimulque nonnulla, quae ad hanc meam qualemcunque operam propius reſpiciunt, ſubjungentur.

### I.

### *De Vibio ipſo ejuſque aetate & auctoritate.*

QUIBUS in terris & ſub quo coelo natus ſit Vibius, quem interpretibus ſuis ſtipatum de novo in almae lucis auras profero, nemo facile dixerit.

Nomen ejus Romanum hominem ſignat. Nota olim fatiſque celebrata fuit gens Vibia. Aſt *Vibius Sequeſter*, quantum conſtat, aliunde, quam ex hoc libello, notus non eſt. Quod enim Glandorpium in onomaſtico Romano aſſerere nonnulli referunt, ejus mentionem in antiquo lapide fieri, id vanum eſſe falſumque, inſpectus ipſe optimi viri locus me docuit.

*Sequeſtrem* dictum eſſe Vibium, librorum ſcriptorum auctoritate ſatis eſt evictum; neque quenquam puto fore, qui cum Vincentio Mirabella in Antiquitatibus Syracuſanis p. 104. *Equeſtrem* ſalutandum ſibi perſuadeat. *Sequeſtrum* vocandum putarat olim Joſ. Scaliger. Ita enim in Lectionib. Auſonianis cap. 5. „ Aliis vocatur Atyr, ut Vibio Sequeſtro. „ Verum recte hac occaſione ex Gerh. Joh. Voſſio animadvertit Laur. Theod. Gronovius, quem inter Vibianos interpretes recepimus, „ *Se-* „ *queſtrum* uſurpare Plautum atque Virgilium, at „ tertiae quoque declinationis eſſe, patere ex Tul- „ lio, qui in II Verrina: *Aut ſequeſtres aut inter-* „ *pretes corrumpendi judicii.* „ Addit Gronovius in initio libelli MS. Mediolanenſis itemque in fine legi: *Vibii Sequeſtris de Fluminibus* . . .

Conſtat ergo ſic ſatis de nomine; non aeque de patria, quam prorſus ignoramus. Neque porro, quam artem vel ipſe vel Virgilianus filius ſit profeſſus, in promtu eſt dicere; litteris navaſſe operam, res ipſa docet.

Reliqua iſta lubens ignorarem, modo aetatem figere liceret adcuratius. Verum & hic coecutimus. Audi Heſſelium in praefatione: „ Qua vero „ tempeſtate in vita fuerit Vibius Sequeſter, haud „ ſciri poteſt. Lucanus quidem apud eum recen„ tiſſimus ex ſeptem auctoribus laudatis eſt; & „ ab eo prae ceteris poëtis, qui exſtant, ( nam de „ amiſſis, qui ſine controverſia multifariam ei „ magno uſui fuerunt, mihi licet fateri neſcire „ quod neſciam) adhibitus in fluminum, fontium, „ lacuum, nemorum, paludum, montium, gen„ tium collectione diſperſa fuit: at is, niſi quid „ me fefellerit, aliquot ſaeculis poſt civilis belli „ ſcriptorem hoc, quodcumque habemus, gnati „ cauſſa retulit in libellum. Loquor, ut opinor: „ ſpeciem enim aliquam videor ibi vidiſſe parum „ recentis a Caeſarum aetate geographiae; caligi„ nemque temporum illorum, quibus litterarum „ lumen propemodum defecerat, & quaſi quodam „ modo piaculum fuiſſet Latine luculenter ſcire. „ Quod ſiquis vult contra me contendere, Vi„ bium fuiſſe natum melioribus annis; & ad „ βιβλία ὀνομαστικὰ κατὰ στοιχεῖον, aut aliquid id ge„ nus collectaneum, multarum rerum acceſſiones „ fuiſſe factas plurifariam per homines ſemidoctos: „ nae ille minus acrem nactus adverſarium erit. „

Haec omnia ut lubens amplector, ita tamen nequeo, quin in priorem ſententiam ſim multo propenſior, credamque, poſt everſum Imperium Occidentis Romanum vixiſſe Sequeſtrem, quinto vel

ſexto forſan aut ſeptimo demum ſaeculo. Id quae mihi perſuadeant, accipe.

Statim illud eſt extra omnem dubitationis aleam poſitum, non ex ipſis Poetis profeciſſe magis Vibium, quam ex eorum ſcholiaſtis ac interpretibus, in quibus maxime Servium permultis locis excitavimus; reſpice potiſſimum ad pag. noſtram 309. ubi *Catillus*, *Coras*, montes. De Lactantio, cujus extant argumenta metamorphoſeon Ovidii, idem hariolati ſumus ad *Tritonidem paludem.* cf. infra pag. 286.

Dein complura ſunt nomina apud noſtrum, quae Romanis ſcriptoribus priſcis ignota, ſequior aetas ſibi vindicat. Specimina rei dabunt flumina *Camicus*, *Caſilinum*, *Eſia*, *Ilerda.* Ex montibus *Bebius.* Ex gentibus *Pannonii Illyrici.* Haec & ſimilia igitur, in quibus ſtatim aqua haeſerat, ex Stephano Byz. Ravennate anonymo, Conſtantino Porphyrog. aliiſque explanavimus. Neque dubitare fas eſt, quin ex iis, quae prorſus ignota permanſere & dubia, nonnulla feliciter extricaturus ſit ille, cui ſat otii ſuppetierit, ut hac mente curatius medii aevi ſcripta evolvere queat. Exſpectant, ut puto, hanc mediçam manum apud noſtrum inter alia *Cirta*, *Faneus*, *Endrius* fluvii; *Spandeus* fons: *Coras*, *Oeniphile*, *Pylartes*, *Steſiarus*, *Tenitrus* montes.

Pertinent hactenus dicta ſimul eo, ut quae Vibio tribuenda ſit auctoritas, quodque ipſius operi ſtatui

debeat pretium, intelligamus. Recte, mea quidem ſententia, de eo judicavit Heſſelius in praefatione editionis ſuae ad Hadr. Relandum „ Scriptor eſt, „ niſi multis in locis interpolatus ſit incredibilem „ in modum, non magni judicii magnaeque facul- „ tatis, nec tamen ſcit nihil. Sed eſt non inutilis. „. Paulo poſt ita pergit idem „ Animadvertes, mi Re- „ lande, nonnunquam Sequeſtrem, dum, plurimis „ unum in locum coactis poëtis, quod quiſque „ commodiſſime praecipere videbatur de geogra- „ phia excerpſit, & ex variis ingeniis obſcuriora „ quaeque ac notiora libavit, & ſic quidquid hoc „ libelli eſt ac qualecumque confecit: animadver- „ tes, inquam, Sequeſtrem poëtico more exem- „ ploque terminos aliquanto latius pegiſſe, quam „ ipſius regionis nomen poſtulabat. Nec mirum, „ quum per ambages Deorumque miniſteria & fa- „ buloſum ſententiarum tormentum praecipitatus „ fuerit liber ſpiritus eorum; ut potius furentis „ animi vaticinatio appareret, quam religioſae ora- „ tionis ſub teſtibus fides, ſicut elegantiae dixit „ arbiter; ſi nonnihil diverſus hic noſter abierit „ a juratis terrae menſoribus. Tamen Lucano „ plerumque adhaeſit: quem qui negaverint omni- „ no prorſus Apollinari laurea fuiſſe donandum, „ utpote quum rerum in bello pluſquam civili „ geſtarum pronuntiator ſincerus & grandis etiam „ fuiſſet magis, quam poëta plenus atque perfe- „ ctus; quo jure, quaque injuria, non eſt quod „ ediſſeram tibi. At enim idem iſte quoque cete-

„ roqui quantuſcumque aliquando reus incuriae,
„ quod ad regionum deſcriptionem attinet, a non-
„ nemine fuit citatus. Praeterea hominem meum
„ aperte licet intelligere complures poëtas vetu-
„ ſtiores, qui poſterius evanuerunt, ſuo tempore
„ lectitaviſſe neſcio quam ſtudioſe: quorum ulla
„ ſi exſtarent ſcripta, quae mens eſt hodie ſuper
„ multis rebus, ſine controverſia eadem non cri-
„ tico foret. „

Porro in litteris, quibus opuſculum Johanni de Witt dedicat, haec habet Heſſelius: „Ut ne lon-
„ gius abeam, nunc honori & meritis dedico Vi-
„ bium Sequeſtrem tuis: auctorem quendam, non
„ illum quidem praeclarum & luculentum; ido-
„ neum cauſſa antiquitatis atque utilem tamen, &
„ qui in poëtica geographia poſſit praecipue con-
„ ſiſtere. „ Atque ita rem eſſe, prouti cenſet ille, cujus heic veſtigia premo, ex iis quae tum ipſe tum reliqui interpretes notata dederunt ad Vibium, tum tandem ex his, quae ipſi adlevimus, patebit tibi frequentiſſime, lector amice. Verum, in rem praeſentem quo minus te deducam, quid impedit?

Itaque 1. properante nimium calamo & oculis fugientibus ſua ex poëtis decerpſiſſe, loca complura te docebunt, ex Ovidio, Statio, aliis, ſed potiſſimum ex Lucano & Virgilio, perperam ab ipſo intellectis, petita. Iſta, ſi noſſe deſideres, auctorum claſſicorum indiculus ſuppeditabit. Ita ſal-

tem apud noſtrum orti fluvii *Arar Germaniae*, *Apſus* item *Genuſus Palaeſtinae*, *Eraſinus Lyciae*, *Inachus Theſſaliae*, *Melas in Epidanum influens*, *Pachynus*, *Rutuba in Tiberim fluens*, *Taygeta*, *Virbius*, *Veſtinus*. Sic porro cepere originem *Molorchos* nemus, *Maenalus* mons *Arcadiae in Tegea*, ut jam alia taceam. Illud tamen omnino notandum, quod & paſſim monuimus, non omnes hos errores ipſius eſſe Vibii, ſed librariis haud raro adſcribi debere. Exempla habes in *Niphate* & *Pelio* montibus, item in *Philyridis*.

2. Vitiis quoque manifeſtis ſcatet noſter quam plurimis, ex librariorum inſcitia exortis, qualia in Pomp. Mela & aliis Geographis deprehendere quoque viri docti. Eorum multa ſuſtulimus, ita ut nunc emendatior procedat Vibius, quam ante. Rejecta ſunt iſta nomina, oppido falſa. In fluviis: *Anecus*, *Alachis*, *Aus*, *Aumaſipa*, *Aras*, *Aeras*, *Emicaſus*, *Emiſacus*, *Epidamnus*, *Amimone*, *Alis*, *Lychniſtis*, *Licorum*, *Eſper*, *Gelagienſis*, *Genuſus Palaeſtinae*, *Hypanis*, *Haeſuſa*, *Garamas*, *Pitornius*, *Phaethelinus*, *Phocias*, *Pachiſos*, *Syrapus*, *Saron*, *Aſſorus*, *Triopala*, *Veſtinus*. In fontibus *Liriope*. In lacubus *Aecitus*, pro quo reponendum *Achridus*. In nemoribus *Anginiae* vel *Anguiae*. In paludibus *Heſperie*, *Statura*. In montibus *Coras*, *Emimodimnus*, *Libethrus Aetoliae*, *Monoecus Illyriae*, *Maeſulus*, *Maevius*, *Maeulus*, *Nemeus Ciconenſium*, *Eleonenſium* &c. *Oemphyle*. In gentibus *Itharaei*.

3. Habet praeterea permulta nomina, aliis penitus ignota Geographis, quorum partem quandam conjecturis vel alienis vel noſtris ſanare ſatemur, meliora a doctioribus lubenti animo recepturi. Huc pertinent inter fluvios: *Brictates*, *Cirta*, *Cinybs* & opp. *Tybreſtum*, *Faneus*, *Herbeſos*, *Endrius* & opp. *Alluria*, *Lycas* & opp. *Lycaſtus*, *Oaxes Cretae*, *Orontes ex Caſio*, *Syrapus*, *Saron*, *Thapſus*, *Ululeus*. Inter fontes. *Eſus*, *Ineſſa*, *Spandeus*, *Virvinus*. Inter montes: *Coras*, *Cinyrus*, *Caſtalius*, *Maxteria* & opp. *Aurona*, *Oeniphile*, *Pylartes*, *Rhamnuſius*, *Steſiarus*, *Tenitrus*. Inter gentes *Magempuri*.

4. Contra, praeclare ſeſe habent alia auctoris noſtri loca, in quibus ſed bonis avibus ſibi ſolus videtur relictus; nominibus quippe uſus, quorum altum quidem eſt apud veteres ſcriptores ſilentium, ſed quae adhibita tamen fuiſſe olim, vel cognata nomina ſive antiqua ſive recentiora teſtantur, vel alia argumenta fidem faciunt. Ejus generis ſunt fere iſta: In ſerie fluminum: *Alyntos*, *Alto*, *Camicos*, *Calos*, *Caſilinum*, *Eſia*, *Icanus*, *Ilerda*, *Minio*, *Mathis*, *Orethus*, *Bebryces ad Peneum*, *Pachynos*, *Tauromenius*, *Triocala*, *Turnus*. In ſerie fontium: *Clanius*, *Liriope*, *Archemorus*. nemorum: *Molorchos*, *Sila*, *Thymbra*. paludum: *Ambracia*, *Tyraca*. montium: *Aſcraeus*, *Agragas*, *Aventinus in quo Praeneſte*, *Aganippe*, *Bebius*, *Boreas*, *Clanius*, *Eridanus*, *Monoecus*, *Nemea*, *Sarnus*.

5. Sequeſtrem auctorum ſcripta in uſum ſuum convertiſſe, quae nunc ſint in deperditis, tum ex dictis patet, tum maxime ex eo, quod regionum quarundam deſcriptioni inhaereat ſtudioſiſſime, compluraque ex iſtis nomina afferat, iis quos ſuperſtites habemus ſcriptoribus ignota. Huc referenda ſunt ea, quae de Dyrrachina topographia auctoris monuimus paſſim. Illuſtre exemplum quoque extat in *Langia* fonte, quem *Archemorum* ſalutatum perhibet noſter; aſt id inauditum penitus, niſi quod teſtetur Statii ſcholiaſtes ad Theb. L. IV. v. 824. ex quo forſan hauſit Vibius. Quicquid ſit, ad hunc locum eundem Caſpar Barthius „ non „ ſpernendum auctorem dicit Vibium, qui nonniſi „ multa lectione ſuos indiculos compegerit. „

6. Uſus eſt Vibii libello Joh. Boccacius de Certaldo, qui ſaeculo XIV ſimilem iſti laborem ſuſcepit, ſerie fluminum, fontium, lacuum, nemorum & ſic porro concinnata. In eo candorem viri deſiderant certatim eruditi, quod nomen Sequeſtris preſſerit. Utrumque Vibium atque Boccacium frequenter contuli, alterumque alteri lucem praebere juſſi.

## II.

### *Vibii Sequeſtris manuſcripti codices.*

PROXIMUM eſt, ut de Vibiani libelli ſcriptis codicibus mentio fiat, utque quoties & quorum cura ſit editus, quorumque ingenio illuſtratus ſit, ediſſeram.

Servantur ſcripti codices paſſim.

1-5. In bibliotheca Vaticana quinque notantur apud Montfaucon in Bibl. Bibl. MS. Tres iſtorum ex penu libraria Reginae Succiae acceſſerant, ſcilicet N. 1732. 1872. & 1922. Duo ad Alexandrum Petavium ſpectaverant olim N. 470 & 1248.

6-8. Bibliotheca Riccardiana Florentiae, deſcripta a Joh. Lamio fol. Liburni a. 1756. tres chartaceos recondit N°. 25. 29 & 35.

9-10. In bibliotheca Patavina reperiuntur duo. v. Thomaſinus de MS. Bibliothecae Patavinae, item Montefalconius.

11. Ambroſiana Mediolanenſis unum ſervat, eodem teſte. Hujus examen inſtituit Laur. Theod. Gronovius, venia a viro Cel. Antonio Magliabecquio impetrata, ut ipſe in limine animadverſionum enarrat.

12. Vindobonam olim in ampliſſimum Caeſaris apparatum Neapoli translatus eſt Vibii codex, in-

ter ea ſcripta volumina, quae Monachi Neapolitani, ſtudioſorum hominum ſedulae nimis & oneroſae ſibi curae pertaeſi, ultro ad Gaetanum Argentium detulerant. Eorum ſeriem Italica lingua conciunnatam a Nic. Forloſia, Bibliothecae Vindobonenſis cuſtode, exhibet Kollarius in ſupplementis commentariorum P. Lambecii de Bibl. Caeſarea. Additur ibidem, Vibii codicem iſtum multum laudatum eſſe olim doctiſſimo Mabillonio. In ſerie memorata locum occupat 69.

13-14. Regia Pariſienſis Bibliotheca duo recondit Vibii libros, ambo in meam gratiam collatos, quorum alter in pergameno, alter in charta ſcriptus extat. Ille in ſerie eſt N. 4808. ex ſaeculo XIV; hic numero 8413. centum annis fere recentior eſſe videtur. Iſti jungitur Aethici Coſmographia cum aliis; huic accedit indiculus urbium Galliae & provinciarum imperii Romani. Hos Catalogus MS. impreſſus recenſet; Montefalconius in Bibl. Bibl. MS. notat praeterea codicem N. 5997. qui junctus ſit Pindaro de Trojae excidio; verum is a cod. N. 8413. non differt.

15. Apud Anglos occurrit codex Iſ. Voſſii, Canonici Windſorienſis, in bibliotheca collegii Etonenſis. Junctus eſt Pomponio Melae. Apud Colomeſium in Latinis eſt N. 227. v. ejus opera ab Joh. Alb. Fabricio Hamburgi emiſſa a. 1709. In catalogo MS. Oxonienſium P. II. N. 2552. Hunc codicem ſeſe luſtraturum ſpoponderat Heſſelius. Ita ille in praefatione: „ Libenter arrepta facul-

„ tate conferendi, poſtea, quam mihi renuncia-
„ tum eſt, complura in Vibianis fuiſſe alia manu
„ adſcripta, collationem & reliqua in aliud tem-
„ pus reſervare, inde lectori ad editionem quaſi co-
„ rollarium addere multo malui. Habeo alia mul-
„ ta, quae proferentur conjunctim, ſi vita ſup-
„ petet. „

Multum augeri poſſe hanc ſeriem, eo minus dubitandum puto, quod in recenſitis codicibus ſcriptis deſiderari mihi videntur illi, quorum ope Simlerus & Heſſelius ad Vibium edendum ſunt uſi. Sunt autem quinque

16. 17. Codices duo, collati a Simlero, ut ipſe monet; unde acceperit, incertum.

18. Codex, cujus diſcrepantia loca Hadr. Relandus cum Heſſelio communicavit.

19. Codex Jacobi Revii, in membrana ſcriptus & a Nic. Heinſio Danielis filio cum editione Toloſana collatus. Hoc labore animadverſa ad ſeſe transmiſiſſe P. Burmannum, teſtatur Heſſelius.

20. Heinſianae collationis, credo cum alio quodam codice inſtitutae, ἀπόγραφον, e Bibliotheca Gudiana acceptum, Heſſelio tradidit Joh. Alb. Fabricius.

III.

## III.

### *Vibii Sequeſtris editiones.*

TYPIS excuſus eſt antehac ſepties Vibius Sequeſter.

I. Romae edidit Mazochius. Quo anno, non liquet. Rariſſimum eſſe oportet libellum; quippe quo nec Heſſelius videtur uſus, nec mihi frui licuit.

II. Venetiis Aldus a. 1514. emiſit. Nec hanc editionem citat uſpiam Heſſelius, nec mihi reperire eam contigit. Apud Gronovium in theſ. Antiq. Graec. Vol. II. in v. *Cryſas* citatur Aldina a. 1518. forſan per errorem.

III. Florentiae haeredes Phil. Juntae a. 1519. typis excudere, curante Ant. Francino. Accedit Pomp. Mela, Julius Solinus, Itinerarium Antonini, P. Victor de Regionibus V. R. Dionyſius Afer de ſitu orbis, Priſciano interprete.

IV. Lugduni ex praelo haeredum Simonis Vincenti prodiit a. 1539. forma 8. cura neſcio cujus viri docti, qui cum MS. contulit, variiſque locis ſupplevit & emendavit. Adjectus eſt Marcianus Capella, Itiner. Antonini, P. Victor, Dionyſius Afer.

V. Baſileae Vibium evulgavit Joſ. Simlerus a. 1575. forma 12. cum Aethico, Antonini & Rutilii

itinerario, libello provinciar. Galliae atque civitat. metropolit. De hac editione v. Catalogus Bibliothecae Thuanae p. 94. Quaeri illud poſſet, an Simlerus & Vibium ex Bibl. Pithoei ediderit, ut in fronte libelli praedicat. Scholia Simleri & Hier. Suritae heic acceſſiſſe, J. A. Fabricius in Bibl. Latina docet, ſed ea Aethicum, non Sequeſtrem reſpiciunt. Notandum hoc eo magis duxi, quod & ab aliis repetitam eandem cantilenam reperio, ut a Teiſſierio in Eloges des hommes ſavans, tirées de l'hiſtoire de M^r. de Thou.

VI. Toloſae Jac. Phil. Mauſſacus edidit a. 1615. cum Plutarchi lib. de fluviorum & montium nominibus itemque Pſello de lapidum virtutibus.

VII. Roterodami tandem Franciſc. Heſſelius imprimendum curavit a. 1711. forma 8.

Dedit autem Vibium eleganti typo expreſſum & ſollicita cura emendatum; illuſtratum praeterea varietate lectionum ex utroque codice MS. Revii atque Relandi, tum ex Heinſianae collectionis apographo Gudii, itemque ex Florentina & Toloſana editione deſumta.

Adjecit porro appendiculam de VII. miris e MS. codice Revii.

Tum ſubjunxit locos enarratorum veterum poëtarum, qui faciunt ad Vibium Sequeſtrem.

Sequuntur excerpta ex Joh. Boccacii de Certaldo libro de montibus, ſylvis, fontibus, lacubus,

fluminibus, ſtagnis ſ. paludibus, impreſſo Rhegii a. 1481. folii forma.

Dein Joh. Jac. Claudii, cui theologica ab Gallis in Britannia & quidem Londini provincia data fuit, notae ad Vibium Sequeſtrem.

Porro Heſſelii ipſius, Joh. Herm. Schminckii, Iſelii & Duckeri commentationes epiſtolicae Oaxis.

Libellum claudunt indices.

Serius ſubmiſſas ab Hadr. Relando atque Joh. Cornelio de Pauw animadverſiones in Vibium Sequeſtrem, ut erant epiſtolari ſtilo conceptae, praefationi ſuae ſubjunctas in fronte locavit.

Demum, quas, teſte Phil. Tomaſino in Bibl. Patavina, paraverat in auctorem noſtrum adnotatiunculas Pignorius, adjicere optaſſet jure ſuo Heſſelius; verum perditae videntur.

## IV.

### *De hac praeſenti editione.*

QUAENAM in hac mea demum opella ipſe praeſtiterim, paucis eloquar.

Lectionis varietatem ab interpretum adnotationibus atque conjecturis ſejungendam duxi.

Itaque Vibii opuſculo ipſi, quantum fieri potuit emendate excuſo, quae diſcrepantia verba ex *codicibus Revii* & *Relandi* & *Heinſianae collationis apographo*, itemque ex *editione Florentina* & *Toloſana* notarat Heſſelius, adlevi in margine, adjectis & iis, quae in duobus *Pariſinis* codicibus atque *Mediolanenſi* differre ſunt viſa.

Sic ergo ſex codicum adſperſa ſunt diſcrimina.

Pariſinos, quorum I. eſt n. 4808. II. n. 8413. in uſum meum ante hoc triennium promtiſſima voluntate contulit cum Heſſeliana editione vir Clariſſimus atque Nobiliſſimus MAMMÈS CLAUDE PAHIN DE LA BLANCHERIE, cui hoc nomine magnopere me obſtrictum profiteor.

Mediolanenſem codicem LAUR. THEODOR. GRONOVIUS olim excuſſerat; cujus animadverſa in variis Geographicis Lugd. Bat. á. 1739. forma 8. publici juris fecit Abr. Gronovius. Quem libellum pro conſueta ſua humanitate utendum

mihi conceſſit Vir Max. Reverendus ELIAS STOEBERUS, in alma hac noſtra Divinarum Litterarum Profeſſor publicus.

Subjeci hinc inde & ea, quibus Boccacius a Vibio diſcedere viſus eſt.

Animadverſiones hiſtoricas atque criticas ab ipſa Vibiana ſerie ſejunctas dedi.

Quae Heſſelius, ut dictum, per omnem librum ſuum ſparſerat, ſuo quaeque loco repoſui, neque quicquam ex iis reſcindere duxi conſultum, ſiquidem labor ejus, dudum e manibus litteratorum hominum elapſus, integer deſiderari videbatur.

Quodſi olim forſan iteratis curis ad Sequeſtrem vulgandum accedere contigerit, tum iis, qui magis ſuccinctum deſiderant, licebit ſatisfacere.

Spero quoque fore, ut interea temporis codicum nondum inſpectorum, amicis obſtetricantibus, copia mihi fiat.

Adſunt itaque adnotata ipſius HESSELII, tum CLAUDII, RELANDI, JOH. CORNELII DE PAUW, & in Oaxe SCHMINCKII, ISELII, DUCKERI.

Id porro dedit precibus meis Vir in republica litteraria celebratiſſimus L. B. DE S. CROIX, ut commentariis ſuis doctiſſimis auctorem noſtrum

illuſtraret ornaretque, quo nomine & mihi & lectoribus profecto fecit longe gratiſſimum.

Paucula quaedam, utinam dediſſet plura! adſperſit amiciſſimus mihi SCHNEIDERUS, qui nunc in Academia Francofurtana ad Viadrum Eloquentiam & Graecas litteras ſumma cum laude profitetur.

Acceſſere & alia, ex variis deſumta loculis.

Pugnantem adverſus Joh. Corn. de Pauw, & acrius quidem quam conveniebat, D'ORVILLIUM ex critica ejus vannu in J. C. Pavonis paleas. 8. Amſt. 1737. paſſim adduximus.

Semel in partes tractus eſt GASPAR BACHETUS DE MEZIRIAC.

Denique, quantum fieri potuit, id egi, ut & ex antiquis ſcriptoribus, maxime Geographis atque Poëtis, praetermiſſa ab aliis adnotarem, & medii quod dicunt aevi auctores facem praeferre noſtro juberem.

Demum, ſi quid uſquam viderem, quod ex priſcis monumentis ad intelligendum illuſtrandumque noſtrum aliquid conferre poſſet, non neglexi.

In his, quod recentiſſimas Sereniſſimi GABRIELIS LANCILLOTTI CASTELLI PRINCIPIS TURRIS MUTIAE de nummis Siciliae lucubrationes in uſum Vibii convertere licuit, id celeberrimo viro ipſi

acceptum refero, cujus munificentia Inſcriptionum quoque Siciliae itemque Panormi eximia opera, meo penui haud ita pridem illata glorior. Addiderat tum opuſculorum quoque Siculorum academiae, quae a bono ſapore nomen habet, volumina Reverendus vir, quem itidem amicitiae cauſſa nomino, SALVATOR DI S. BLASI Decanus Benedictinus Caſſinenſis, cui inter Academicos Panormitanos *Corindi Attici* nomen eſt.

Adminicula aliunde ſubminiſtrata ſuis quaeque locis gratus depraedicavi.

Si quae de caetero ſint, in quibus humani quid paſſus tibi viſus fuero, in iis rectiora ſi docueris, facile me tibi adſentientem habebis, candide Lector.

Duo ſunt tandem, quae, priuſquam hinc diſcedam, monitum te velim.

Primum reſpicit aſteriſcum, quem iis adpictum articulis invenies, qui dubii aut ſuſpecti ſunt viſi; appingendi autem erant praeterea iſtis:

p. 3. *Anien*, *Allia*
5. *Arimaſpa*
6. *Aternus*. *Apſus*
8. *Cryſas*
9. *Drinius*
19. *Taras*
contra expungendus eſt
p. 22. in *Libethros*

Alterum iis dictum ſit, quibus ad ſcriptos Vibii codices recenſitos aut alios, ſi qui deliteant, mihi nondum notos, accedere licuerit. Hos quidem majorem in modum oro hortorque, ut in dubiis locis eos inſpicere & comparare cum noſtro Vibio velint, commodamque occaſionem nacti ad me, quae deprehenderint, transmittere ne graventur. Valebit hoc potiſſimum de iis nominibus, quae ſolus ſibi vindicaſſe videtur Vibius, ut paullo ante oſtenſum eſt. Satis autem confido fore, ut hinc inde conjecturis meis robur quoddam manu exarati codices addant, aut, quod aeque gratum fuerit, novam & inſperatam laborantibus locis medicinam ſubminiſtrent. Vale, lector, conatibuſque meis fave.

VIBIUS

# VIBIUS SEQUESTER

DE

# FLUMINIBUS, FONTIBUS, LACUBUS, NEMORIBUS, PALUDIBUS, MONTIBUS, GENTIBUS, QUORUM APUD POETAS MENTIO FIT.

## VIBIUS SEQUESTER

VIRGILIANO FILIO SALUTEM.

Quanto ingenio ac ſtudio, fili cariſſime, apud pleroſque Poëtas fluminum mentio habita eſt, tanto labore ſum ſecutus eorum & regiones & vocabula & qualitates in litteras dirigens, quod ipſi tibi non inutile factu ſcio fore. Fontium etiam & lacuum paludumque & montium, nemorumque & gentium, quantum proſequi potui, ſicut amnium huic libello in litteras digeſta nomina ſubjeci: quo lecto non minimum conſequeris notitiae, praeſertim quum pro-

PALUDIBUS, MONTIBUS) *haec inſerit codex Mediolanenſis.* QUORUM &c.) *horum loco cod. Med. habet* PER LITTERAS. habita eſt) *cod. Revii, Med. & Pariſini* habita ſit. in litteras) *Rev. Med. Par. I.* in litteram ipſi tibi) *ſic cod. Relandi, Rev. Med. Par. I. & II.* factu) *ita cod. Rel. Rev. Med. & ed. Florentina; contra* factum *cod. Par. II. & ed. Toloſana. & Baſil.* etiam) *ita cod. Med. Par. I. & ed. Heſſelii.* quantum) *cod. Med.* qua tamen *Par. I.* quae tum *Par. II.* quae tamen *ed. Flor.* quas tamen proſequi) *cod. Rev. & Med.* perſequi in litteras) *cod. Rev. & Pariſini* in litteram

feſſioni tuae ſit neceſſarium: & ne pluribus epiſtola oneretur, incipiemus ab eo fluvio, qui & litteram & nomen obtinet primum.

praeſertim) *ſic cod. Rev. Med. & Pariſini; alii & editi* & praeſertim, *male.* profeſſioni) *cod. Par. II.* perfectioni fluvio, qui) *ſic cod. Rev. Med. Par. I. & II.* & litteram) *ſic cod. Med. & Pariſini; alii & editi* etiam litteram

## FLUMINA

*Achelous Aetoliae. Primus erupiſſe terram dicitur; Ex Pindo monte Perrhaebiorum in Maliacum mare decurrit. Aetoliam ab Acarnania dividit. (*a*)

*Arar Germaniae. E Vogeſo monte, miſcetur Rhodano. Ita lene decurrit, ut vix intelligi poſſit ejus decurſus. (*b*)

Amphryſus Theſſaliae, ubi Apollo Admeti pecus fertur paviſſe. (*c*)

FLUMINA) *cod. Rev. non habet. Par. II.* Amnes. *edit. Flor.* Fluminum.

(*a*) Achelous) *cod. Rev. Rel. Med. Par. I.* Achelous Aetholiae primus erupiſſe terram dicitur. *& infra inter* Aras *&* Anaurus *iterum:* Ach. ex Indo monte per Rhebiorum fines in Maliacum mare decurrit, qui Aetoliam ab Arcadia dividit. *Sic & Par. II. niſi quod* Ebrorum *&* Baliacum *habet. Ed. Simlexi ita:* Achelous Aetoliae primus erupiſſe terram dicitur, in Maliacum ſinum effluit, Aetoliam ab Acarnania dividit, oritur in Pindo monte. *Heſſelius ſic:* Ach. Act. p. er. t. d. ex Pindo m. per Perrhaebiorum fines in M. mare decurrit, q. Aet. ab Ac. div.

(*b*) Germaniae) *perperam adjicitur* fluvius. *invitis cod. Rev. Med. Par. I. & II.* ita lene) *vulgo* qui ita lene *Sed id* qui *exulat ex cod. citatis.* lene) *Pariſ. II.* leniter

(*c*) Admeti) *ſic cod. Rev. Rel. Med. in vulgato* Admeti Regis

Alpheus Elidis, qui per mare decurrens in Siciliam insulam Arethusae fonti miscetur.

Ascanius Mysiae. (*d*)

Achates Siciliae, ubi pari nomine lapillos edit, unde gemmae fiunt. (*e*)

Acheron inferorum. (*f*)

Anien lacui Velinorum infunditur, per Tiburtinorum fines decurrit, ab Aniene filio Apollinis; in Tiberim fluit. (*g*)

Allia, Salaria via ad mil. XIIII a Roma, ubi Galli victoria sunt potiti de Romanis. (*h*)

Araxes Armeniae. Armeniam a Medis dividit. (*i*)

Athesis Veronensium, in Padum decurrit.

Amasenus Privernatium.

Aufidus Apuliae, proximus Canusio.

* Alyntos Lucaniam a Velienſibus dividit.

(*d*) Ascanius Mysiae.) *addunt* fluvius est, *sed haec absunt a cod. cunctis.*

(*e*) ubi) *in cod. omnibus legitur.* edit) *sic cod. citati, vulgo* generat, *pro quo Cluverius mavult* lapillus generatur.

(*f*) Acheron) *Sic Parisini codices postponunt* Achati.

(*g*) lacui) *cod. Rel.* ex lacu *cod. Rev. Paris. uterque item ed. Flor.* lacus Velinorum) *Cluverius legit* Velino. decurrit) *deest in cod. Rev. & Rel.* fluit) *ita cod. omnes; vulgo* defluit.

(*h*) de) *MS. Rev.* a

(*i*) Armeniam) *cod. Rev. Rel. Paris. I & II. it. edit. Florent.* Arabiam.

* Aſinius Catinae, in litore Tauromenitanorum defluit. (*k*)

* Ancus Siciliae, qui per duo millia paſſuum ſub terra mergens Syracuſis miſcetur mari appellaturque Ano, poſt Anapos caenos, ſuperior Anotiſphoros. (*l*)

Alabis Megarenſium, cujus fontem Daedalus dilatavit agrumque reddidit & regionem, quam idem fluvius devaſtabat. (*m*)

Acis, ex Aetna monte in mare decurrit. Ex hujus ripis Polyphemus ſaxa in Ulyſſem egiſſe dicitur. (*n*)

Atax e Pyrenaeo, circa Narbonem decurrit in Tyrrhenum mare. (*o*)

Atyr Tarbellae civitatis Aquitaniae, in Oceanum fluit. (*p*)

(*k*) Tauromenit.) *ſic cod. Rev. Med. & Par. I. alii* Tauromenit.

(*l*) Ancus) *ſic cod. Rev. Rel. Med. Pariſini & Dorvillii; Boccacius habet* Aneus; *editi* Anecus. paſſuum) *cod. omnes* paſſus terra) *alii* terram, terras Ano) *cod. Pariſini* Anos Anapos caenos) *cod. Rev. Med. & Pariſ. uterque* Anopoſcenos *Dorvillii* Anopos cacnos. Anotiſphoros) *cod. Rev. & Med.* Anotos feos *Dorvillii* anatos phaeos *Rel.* Anatos falos *Pariſ. uterque* Anatoſteos.

(*m*) Alabis) *cod. Rev. & Pariſ. I.* Alebin *Rel. Pariſ. II. & edit. Florent.* Alachin *Boccac.* Alachim *ed. Heſſ.* Alachis regionem) *cod. Rev. Rel. & Pariſini addunt* dilatavit *Boccacius adjicit* fertilem devaſtabat *in cod. & edit.* devaſtat.

(*n*) Aetna monte) *ſic codices* hujus) *ita codices, vulgo* cujus egiſſe) *ſic codices.*

(*o*) e Pyrenaeo) *cod. Rev. Rel. & Pariſ. I.* Phitenorum. *Pariſ. II.* Phirenorum *edit. Flor.* Pyrenaeorum mare) *ſic cod. Rev. Rel. Med. Pariſini & Heinſ. coll.* ἀπόγρ. *Gud.*

(*p*) Tarbellae) *codices inepte* Tarbeda, Tarbadae, Trabede *edit. Toloſ.* Tabellae *Boccac.* Tambardiae

Almon Romae, ubi mater Deum VI. Kal. Aprilis lavatur.

Albis Germaniae. Suevos a Cheruſcis dividit; mergitur in oceanum. (*q*)

Aous Apolloniae, in Jonium decurrens. (*r*)

* Alto Dyrrachii, decurrit in Illyricum.

Arimaſpa gentis Scytharum, unde aurum Scythae legunt. (*s*)

Aeas Macedoniae, decurrit in Jonium mare. (*t*)

Anaurus Theſſaliae, ita denominatus, quia ex ſe neque auram neque nebulam emittat. (*u*)

* Apidanos Theſſaliae, in quo Enipeus, Melas & Phoenix miſcentur; ipſe in Peneon decurrit. (*x*).

(*q*) Suevos) *codices male* Suedos Cheruſcis) *cod. Rev.* Cervetiis *cod. Pariſ. I.* Cervet. is *II.* Servitiis *ed. Heſſel.* Cerveciis mergitur &c.) *haec deſunt in cod. Rev. & Pariſinis.*

(*r*) *vulgo* Aus, *ſed Similerus* Aous, *ut Boccacius.* Jonium) *cod. Rel. item Pariſ. I & II. & ed. Flor.* Meoniam *cod. Rev.* Maeoniam *ed. Tol.* Joniam decurrens) *cod. Rev.* decurrit.

(*s*) Arimaſpa) *ſic cod. Rev. Rel. Med. & Pariſ. I. contra Par. II.* Aumaſina *ed. Toloſ.* Aumaſippa *ed. Heſſel.* Aumaſipa Scythae) *ſic Pariſ. II. reliqui* Scythiae

(*t*) Aeas) *in editis* Aras *ſed cod. Rev. Rel. Med.* Aeras

(*u*) nebulam) *Munckerus ad Hyginum fab.* 12. nebulas emittat) *cod. Par. II.* emittit.

(*x*) Apidanos) *cod. Rev. & Pariſ. I.* Apidamnus Theſſaliae) *vulgo adjicitur:* in Enipeum influit, *verum haec non agnoſcunt codices; edit. Flor.* in Epidamnon fluit. *Toloſ.* in Empeum influit, *ubi Similerus forte* Enipheum Enipeus) *vulgo* Emicaſus. *cod. Rel. & Rev.* Emiſaeus *Par. I & II.* Emiſatus

Aſopos Theſſaliae, in Epidanum fluit. (*y*)

Aniger, qui ex cruore centaurorum, quos Hercules interfecit, odore ſuo advenientes fugat, quum fuerit dulciſſimus. (*z*)

Apud Cicones fluvius eſt, cujus liquor epotus praecordia vertit in ſilicem, & rebus tactis marmora inducit. (*a*)

Aternus Hadriae, decurrens per Marſos, ubi & Oſtia civitas. (*b*)

* Amymone Lyciae, non longe a Thebis. (*c*)

Abſyrtus fluvius Colchorum. (*d*)

Alis Aſiae fluvius. (*e*)

Apſus Palaeſtinae. (*f*)

Benacus Galliae, ex quo naſcitur Mantuanorum Mincius.

* Brictates ex Timato monte, Arno miſcetur. (*g*)

*forſan* Boactes . . Macrae miſcetur.

(*y*) Epidanum) *cod. omnes & edit. Florent.* Epidamnon *ed. Toloſ.* Epidam *Heſſel.* Apidanum fluit) *ed. Heſſel.* influit.

(*z*) Aniger) *codices & ed. Flor.* Antiger advenientes) *ita cod. Med. & Pariſ. I. vulgo* venientes *Pariſ. II.* intervenientes

(*a*) tactis) *cod. Rel. Rev. Med. & Pariſ. I.* raptis *Pariſ. II. & ed. Flor.* actis

(*b*) civitas) *deeſt in cod. Dorvilliano. in Pariſinis eſt* vitas.

(*c*) *deeſt in cod. Rev. Med. Pariſinis.* Amymone) *in editis* Aminone Lyciae) *forte* Ciliciae *Simlerus.*

(*d*) *deeſt in cod. Rev. & Mediol.*

(*e*) *deeſt in cod. Rev. Med. & Pariſinis.*

(*f*) *deeſt in cod. citatis, nec habet Boccacius; in editis male* Abſus

(*g*) Brictates) *ſic & Pariſ. I, contra II.* Brictaces *Bocc.* Bricrates

Baetis Hiſpaniae, unde Baetica.

Bagrada Africae juxta oppidum Muſti; ubi Regulus ſerpentem longum pedibus CXX, exercitu adhibito, interfecit. (*h*)

Barbana Illyrico permiſcetur. (*i*)

Boryſthenes, fluvius Scythiae. (*k*)

* Baƈtros Scythiae, fines Hyrcanos alluit. (*l*)

Cayſtros per Hypaepam decurrit, proximus Aſiae paludi. (*m*)

Camicos Siciliae, ex quo urbs Camicos, dividit Agrigentinos. (*n*)

*forſan* & Heracleenſes.

Caïcus Myſiae. (*o*)

Calos Moeſiae. (*p*)

Cocytos inferorum, ex quo Styx palus.

Timato) *cod. Rel. Rev. & Boccac.* Timaro *Pariſ. I.* Timaro *II.* Timano *Med.* Tymavo monte) *Pariſ. II.* fonte Arno) *cod. Rel. Rev. Par. I. & Boccac.* Arino *II.* Arinno.

(*h*) pedibus) *ita cod. Rev.*

(*i*) Barbana) *in codicibus* Babenna *ed. Heſſel.* Barbenna *Boccac.* Barbena Illyrico) *ſic codices & ed. Flor. ſed in editis additur* mari permiſcetur) *cod. Rev. Med. & Par. I.* praemiſcetur *Par. II.* permiſcet *in ed.* miſcetur.

(*k*) Boryſthenes &c.) *in cod. Pariſ. II. inſeritur.*

(*l*) alluit) *ed. Flor. & Toloſ.* abluit.

(*m*) Cayſtros) *ſic cod. Rev. & Med. reliqui vitioſe. ed. Flor.* Cayſinos. Hypaepam) *ed. Heſſel.* Epheſum *ſed cod. Rev. Med. & Pariſ. I.* Hiperam *II.* Ipedam *ed. Flor.* Iperam *cod. Rel.* Pepipam

(*n*) urbs Camicos) *ſic codices, vulgo* Camiceos

(*o*) Caïcus) *deeſt in cod. Rel. Rev. Pariſ. I. & II. item in edit. Flor. ſed extat apud Boccacium & in ed. Heſſelii*

(*p*) Calos) *hoc laudati codices habent; habet & Boccacius.*

Criniſos Siciliae civitatis Atalae. (*q*)

Calor Beneventi oppido junctus.

Cryſas Syracuſis, ex monte Heraeo. (*r*)

Cydnus per mediam urbem Tarſon Ciliciae decurrit.

* Cyrta Maſſilienſium, ſecundum Agatham urbem. (*s*)

Cruſtumium, a quo oppidum, in Hadriaticum mare fluit. (*t*)

Caſilinum Campaniae, ex quo oppidum. (*u*)

* Cephiſos in Lilaea urbe Phocidos deſcendit & circa Euboeam flectitur. (*x*)

*forſan* & in lacum Copaidem fluit.

* Cinybs Arabiae, in quo plurima genera gemmarum inveniuntur & camelis deportantur in oppidum Tybreſtum. (*y*)

(*q*) Criniſos) *ſic codices omnes.* Atalae) *cod. Rel. Med. & Pariſ. II.* Atilae *Pariſ. I. & ed. Heſſel.* Atilac *Rev.* Aſiae.

(*r*) Cryſas) *Ita Heinſ. coll. ἀπόγρ. Gud.* Heraeo) *Heinſ. c. ἀ. G.* Eryceo.

(*s*) Cyrta) *cod. Med. & Boccac.* Cirta *Pariſ. I.* Circa

(*t*) fluit) *cod. Rev. & Pariſ. II.* decurrit *Pariſ. I.* diſcurrit.

(*u*) Caſilinum &c.) *bis in Pariſinis ante & poſt* Cruſtumium *prius male ſcriptum* Caſſilinii ex) *cod. Rev. & Pariſ.* a

(*x*) Cephiſos) *Heinſ. collat. ἀπόγρ. Gud.* Cephyſos Lilaea) *cod. Rev. Rel. Med. Pariſini* aliena, *in editis deeſt.* Euboeam) *cod. Rel.* Eriboeam *Simlerus* Boeotiam

(*y*) Cinybs) *ita cod. Med. & Pariſ. I. ſed cod. Rev. & Boccacius* Cinibs *Pariſ. II.* Cirubs *in impreſſis* Cyrubs deportantur) *ſic cod. Rev. & Pariſini, vulgo* portantur Tybreſtum) *ſic cod. Pariſ. II. ſed Pariſ. I. & impreſſ.* Tybreſtrum *Rev.* Thibreſtrum *Heinſ. coll. ἀπόγρ. Gud.* Thibreſtum.

Crathis confinis Sybari, capillos facit aurei coloris. (z)

Clitumnus Umbriae, ubi Jupiter eodem nomine eſt.

Danubius, qui & Iſter, Germaniae. decurrit in Pontum per VII. oſtia.

Drinius, e palude Lychniti, alluens Scodram oppidum Illyricorum. (a)

Enipeus, e monte Othry Theſſaliae.

Evenus, qui & Lycormas, qua Neſſus centaurus Dejaniram Herculis trajecit. (b)

Euphrates Parthiae. (c)

Eurotas Laconices. (d)

Eridanus Galliae Ciſalpinae, qui & Padus, ubi Heliades mutantur in populos arbores. (e)

(z) aurei) *ſic codices, in editis* auri

(a) Drinius) *vulgo* Drinus *cod. Med.* Drimus Lychniti) *vulgo* Ligniſi alluens) *ita cod. Rev. vulgo* abluens.

(b) Evenus) *cod. Rev. it. Heinſii coll. ἀπ. G. & cod. Med. & Pariſini* Evenos, qui & Licorum (Lucorum, Lycorum) Eſper, qua &c. *cod. Rel.* Evenus, qui & Licor &c. *ed. Flor. & Tol.* Eſper, qua &c. *ed. Heſſel.* Evenus, qua Neſſus &c. *& poſt* Eſia *iterum* Evenus Calydoniae, ubi Hercules ſagittis Neſſum centaurum interfecit. *Sed hic poſterior locus e codicibus noſtris omnibus exulat. Fuſius utrumque articulum dat Boccacius.*

(c) *additur paulo poſt in editis:* Euphrates Meſopotamiae, in Paradiſo oriens. Porro Salluſtius auctor certiſſimus aſſerit, tam Tigris quam Euphratis in Armenia fontes monſtrari. *Verum haec in codicibus noſtris omnibus deſunt.*

(d) Laconices) *ſic codices omnes, contra Heinſ. coll. ἀπ. Gud.* Laconias, *in editis* Laconiae.

(e) arbores) *cod. Rev. Pariſ. I. & edit. Florent. non agnoſcunt.*

*Eraſinus Lyciae. (*f*)

Eſia Galliae in Sequanam fluit. (*g*)

Epidanus Theſſaliae. ſupra Apidanos. (*h*)

*Faneus & qui Siris Beneventi. (*i*)

Fabaris Sabinorum. is Faber corrupte dicitur.

Ganges in Oriente Indiam cingens latiſſimus, quem Alexander poſt Oceanum navigare timuit, qui ſolus adverſus orientem fluit.

Galeſus Tarentinorum. (*k*)

Gallus in Phrygia, unde qui bibit, inſanit more fanatico.

Gela Siciliae, a quo oppidum.

Genuſus Dyrrachium ab Apollonia dividens, decurrit ex Epiro. (*l*)

Genuſus Palaeſtinae. (*m*)

(*f*) Lyciae) *cod. Rel.* Sithiae. *Par. I.* Lithrieſia *ſic conjungit ſtatim cum ſequenti voce . . Par. II.* Lithie. *Boccacius* Nemeae . . alii autem Litiae fluvium dicunt.

(*g*) Eſia) *ſic & Boccacius.* fluit) *Pariſ. I.* defluit.

(*h*) *in editis conjunctim ſcripta ſunt, deſunt in cod. noſtris omnibus, nec habet Boccacius.*

(*i*) Faneus &c.) *cod. Pariſ. I.* Favens. *Boccac.* Fanes Sannitum eſt fluvius, qui & Syris dicitur.

(*k*) Galeſus) *ſic cod. Rel. ſed Med.* Galaleus *Pariſ. I.* Gareſus *II.* Galeus Tarentinorum) *additur in editis* quinque millibus a civitate diſtans: Livius auctor. *ſed haec deſunt in codic. Rev. Med. & Pariſinis.*

(*l*) *vulgo* Gelagienſis Dyrrachium &c. *codices omnes* Gelagenſus Apollonia) *cod. Rev. Rel. Pariſ. I.* Aquilonia. dividens) *cod. Rev. Med. & Par. I & II* dividit ex Epiro) *cod. Rev. Rel. & edit. Flor. & Toloſ.* in Epiro.

(*m*) *deeſt in cod. Rev. Rel. Mediol. Pariſ. utroque; in editis* Geneſus *Boccacius ita:* Genuſus Palaeſtinae provinciae fluvius eſt.

Hebrus Thraciae, proximus Aeno oppido.

Hermus Lydiae, Pactolo confunditur. (*n*)

Hiberus Hiſpaniae, a quo Hiberia. (*o*)

* Hydaſpes Indiae urbis Mediae, defluit Indo ex Caucaſo. (*p*)

Hypanis Scythiae, qui, ut ait Gallus,

*Uno tellures dividit amne duas.*

Aſiam enim ab Europa ſeparat. (*q*)

Halys Lydiae. Croeſus tranſiit.

Helorus Syracuſarum, a quo civitas. (*r*)

Himella Sabinorum, prope Caſperiam urbem. (*s*)

* Herbeſos, qui & Endrius, oppido Alluria decurrit per fines Helori. (*t*)

Himera oppido Thermitanorum dedit no-

(*n*) *Infra poſt Himellam iterum legitur in editis idem articulus; ſed ibi exulat a codic. Rev. & Rel. habent tamen Pariſini:* Hermus Lydiae. *Tertium in editis hoc extat poſt* Hypanis *vel potius* Hipparis.

(*o*) *quod addunt editi*, dicitur, *deeſt in codicibus cunctis.*

(*p*) *ed. Toloſana & Heſſelii ſic:* Hydaſpes Indiae per Parthos & Medos defluit, Indo miſcetur & Caucaſum alluit. contra *cod. Rev. Med. & Pariſini & ed. Flor.* Hydaſpes Indiae urbis Mediae defluit Indo & Caucaſo. *Boccacius ita:* Hydaſpes . . . per Parthiam ſeſe ferens evadit in Indiam . . . Poſtremo quatuor ſuſceptis fluminibus miſcetur Indo in regione inio (*ſic*) apud arcem Soborum.

(*q*) ſeparat) *cod. Rev.* dividit.

(*r*) *codices & edit. ante Heſſel.* Helurus, Helyrus, Helrus &c.

(*s*) Himella) *cod. Rev. Rel. Par. I & II.* Himala *Boccac.* Imala

(*t*) Alluria) *cod. Rev. & Pariſini* Alurina. Helori) *quod additur* Siciliae *a cod. Rel. Rev. Pariſinis, & edit. Flor. abeſt.*

men Himerae. Hoc flumen in duas findi partes ait Steſichorus; unam in Tyrrhenum mare, alteram in Libycum decurrere. (*u*)

Hypſa, ſecundum Inycon urbem Siciliae decurrit, gratam Herculi. (*x*)

Hiparis, [*forſan* Hyparis] quem & Hipparim vocant, ex quo Camarinis aqua inducta eſt. (*y*)

* Haeus, inde a finibus Apolloniae decurrens in ſinum Jonium. (*z*)

Indus Indiam definit ab occaſu, a quo India dicta; hic deſcendentem Hydaſpem recipit. (*a*)

Iſara Galliae, decurrit in Rhodanum. (*b*)

(*u*) Thermitanorum) *ſic cod. Rev. Rel. Med. Pariſini; male contra ed. Flor.* Taurotaminitanorum *cd. Toloſ.* Taurominitanorum findi) *cod. Pariſ. II.* fundi *Bochartus Chan.* ſcindi unam . . . alteram . . . decurrere) *ed. Flor. & Bochartus* una . . . altera . . decurrit alteram) *cod. Rev.* aliam

(*x*) Inycon) *vulgo* Irecon *cod. Par. II.* Hirccon *Boccac.* Uecon Siciliae) *vulgo in cod. & editis* Hiſpaniae

(*y*) Hiparis) *vulgo* Hipanis *ſed cod. Med. & Par. I.* Hiparis *Pariſ. II.* Hiſparis *Rev.* Hipparis *Heinſ. collat ἀπόγρ. Gud.* Hypparis Hipparim) *cod. Pariſ. I.* Hictarin *II.* Hicterin *edit. Flor. & Toloſ.* Hictarim *Boccacius* Jectarim

(*z*) *vulgo ſic:* Haeſuſa finibus &c. Haeſuſa *edit. Florent. addit ibidem MS. alt.* Ytide *cod. Rev. & Heinſ. coll ἀπ. Gud.* Undeae (*Heinſ. & Gud. in marg. forſan* Judaeae) *cod. Mediol. addit* uſtide. *Pariſ. I.* uti de *II.* etide Jonium) *cod. Rev. Heinſ. coll. ἀπόγρ. Gud. & Pariſ. II.* Jonicum *Boccacius ita:* Aduſa Epyrrhi (Epiri) flumen eſt; a quibuſdam Eas appellatum, Apolloniae propinquum.

(*a*) definit) *cod. Pariſ. I.* defluit

(*b*) decurrit) *cod. Rev. Med. Pariſ. I & II.* currit

* Icanus Dyrrachii ab Icano caſtello dictus. (*c*)

*forſan* Iſanus . . . Iſano.

Ilerda Hiſpaniae, a quo Ilerda oppidum.

* Inachus Theſſaliae.

Jader juxta Salonas, mare influit Hadriaticum. (*d*)

Kaïcus Myſiae.

Lynceſtius Thraciae, cujus aquam bibentes ebrii fiunt. (*e*)

Lethe inferorum, quod ſit oblivii cauſſa. (*f*)

Liris non longe a Marſis Veſtinisque, cujus in ripa nymphae Maricae Minturnenſis templum eſt. (*g*)

* Lycus Aſiae, unde Lycas oppidum. (*h*)

Liger Galliae, dividens Aquitanos & Celtas; in oceanum Britannicum evolvitur.

* Lycaſtus Coae, a quo Lica civitas. (*i*)

*forſan* Lycaſtus Cretae, a quo Lycaſtus civitas.

Lethaeus inſulae Cretae, ita dictus, quod

(*c*) Icanus) *cod. Rev. & Par. II.* Iſamnus *Par. I.* Iſaumus *Rel.* Icaninus *Boccac.* Iſanus Icano) *cod. omnes* Idano

(*d*) *abeſt a codic. omnibus. Boccacius habet.*

(*e*) Lynceſtius) *vulgo* Liceſius *in codic. & editis.*

(*f*) oblivii cauſſa) *cod. Pariſ. II.* oblitioni (*lege* oblivioni) ſit anſa.

(*g*) Maricae) *codices* Marinae *Boccac.* Maricae eſt) *Pariſ. I.* appoſitum.

(*h*) Lycas) *codices* Lycis, Licis oppidum) *deeſt in cod. Rev. Pariſinis & ed. Flor.*

(*i*) Lycaſtus) *ſic cod. Rev. Med. Pariſini; cod. Rel.* Licartus *in editis* Lycaſtris

Harmonia Veneris filia Cadmon ibi obſita dicitur. (*k*)

Mincius Galliae Ciſalpinae proximus Mantuanis, agitur ex Benaco.

Moſella Belgicae, defluit in Rhenum.

* Minio Etruriae, a Minione. (*l*)

Metaurus Umbriae, in ſinum Hadriaticum decurrens.

Maeandros Cariae gentis Aſiae; hic tam flexuoſus eſt, ut in ſeſe recurrat. (*m*)

Macra Liguriae, ſecundum Lunam urbem. (*n*)

Mathis Dyrrachii, non longe a Liſſo. (*o*)

Marſyas Phrygiae urbis Celaenae. (*p*)

Melas Theſſaliae, in Epidanum fluens. (*q*)

(*k*) Harmonia) *cod. Rev. & Boccac.* Hermiona *Pariſ. II.* Ermione *Cellarius* Hermione *Meurſius* Harmonia. Cadmon) *ſic cod. omnes; in editis* Cadmi viri. ibi) *deeſt in cod. Rev. Med. & Pariſinis.*

(*l*) Minio) *cod. Rev. Med. & ed. Flor.* Minion *reliqui* Mimon, Minon a Minione) *ſic cod. Med. & Par. I. reliqui* a Mimone, aminone, *in editis deeſt. Boccacius habet:* Minio fluvius eſt Italiae haud longe a Roma.

(*m*) *in cod. Rev. & Rel. deſideratur, in cod. Pariſ. II. legitur* Matranos

(*n*) Macra) *codices & ed. Flor.* Meiera, Megera, Megeria *Boccacius* Maera

(*o*) Mathis) *Boccac.* Matis

(*p*) Marſyas) *ed. Flor.* Maras. Celaenae) *ſic cod. licet abſque diphthongo, cod. Rel. tamen* Celeriae, *ed. Toloſ.* celer.

(*q*) Melas) *cod. Rev.* Mechas *Pariſ. I.* Metas *Pariſ. II.* Malas *Boccac.* Melas ſeu Methas Epidanum) *cod. Rev.* Epidamnum *Pariſ. II.* Apidamnum

Nilus Aegypti, ex Aethiopia decurrens. (*r*)

Nar Sabinorum, ex Apennino in Tiberim per Narniam fluit. (*s*)

Numicus in agro Laurenti. (*t*)

Niphates Armeniae, ex monte Niphate.

Orethus Panormi Siciliae. (*u*)

* Oaxes Cretae, a quo civitas Oaxia. Varro hoc docet:

*Quos magno Anchiale partus adducta dolore,*
*Et geminis capiens tellurem Oaxida palmis . .* (*x*)

Orontes Syriae ex monte Casio, apud Antiochiam labitur. (*y*)

Padus Galliae Cisalpinae, qui & Eridanus. (*z*)

Permessos Boeotiae.

* Peneus Thessaliae, ubi silvae, quas Tempe vocant: hunc Bebryces possederunt. (*a*)

(*r*) ex Aeth. dec.) *haec in Paris. II. desunt.*

(*s*) fluit) *cod. Rev. & Med.* decurrit.

(*t*) *haec desunt in Paris. II.*

(*u*) Orethus) *Boccac.* Oretus

(*x*) a quo) *cod. Rev. & Med.* a quo & *sic quoque Politianus & Cellarius.* Quos &c.) *prior hic versus cum seq. vocula* Et *deest in cod. Med. Par. I. & II.* Oaxida) *cod. Rev. & Parisini* Oaxia

(*y*) apud Antioch. lab.) *haec desunt in codicibus cunctis.*

(*z*) Eridanus) *editi addunt* dicitur, *sed ea vox a cod. exulat.*

(*a*) Peneus) *cod. Rev. & Med.* Peneos

Phaſis in Colchide, qui de monte Amaranto fluit. (*b*)

Pantagias Siciliae, ita dictus, quod ſonitus ejus decurrentis per totam inſulam auditus eſt uſque eo, donec Ceres quaerens filiam comprimeret eum. (*c*)

* Pitornius, qui per medium lacum Fucinum Marſorum ita decurrit, ut aquae ejus non miſceantur ſtagno. (*d*)

*forſan* Pitonius *vel* Piconius

Pactolus Lydiae, qui decurrens aurum trahit.

Phacelinus Siciliae juxta Peloridem, confinis templo Dianae. (*e*)

* Piſaurus, qui & Iſaurus, ut Lucanus, a quo civitas Piſaurum, de quo Catullus:

*moribunda ſede Piſauri.*

decurrit in Hadriaticum mare. (*f*)

Phoenix Theſſaliae, in Epidanum fluit. (*g*)

Pachynos

(*b*) Amaranto) *vulgo in editis & ſcriptis* Garamante *in cod. Rev.* Garamenite

(*c*) Pantagias) *cod. Rev. & Pariſini* Pantagras filiam) *cod. Pariſ. II.* Rheſtum comprimeret) *cod Rev.* opprimeret.

(*d*) aquae — miſceantur) *cod. Rev. & ed. Flor.* aqua -- miſceatur

(*e*) Phacelinus) *in ſcriptis & editis* Phaethelinus *ed. Florent.* Phaethleinus

(*f*) Piſaurum) *cod. Rev. & Pariſini* Piſauria *verba* de qua Catullus: „moribunda ſede Piſauri.„ *deſiderantur in cod. Rev. & Pariſinis, qui in fine articuli adjiciunt* mare.

(*g*) Phoenix) *cod. Rev. item Pariſini & edit. Florent.* Phocias. Epidanum) *ſic cod. Rev.*

* Pachynos Siciliae, ubi Sex. Pompejus juvenis interfectus eſt. (*h*)

Rhenus Germaniae, Belgas a Germanis ſegregans.

Rubicon Galliae juxta Ariminum, olim dividens Galliam ab Italia.

* Rutuba, ex Apennino in Tyrrhenum fluit. (*i*)

Rhodanus Galliae, Lugdunum & Avenionem decurrens atque Arelaten. Mari Tyrrheno miſcetur. (*k*)

Strymon Thraciae, plurimo gelu ſtrictus. (*l*)

Sequana Galliae, Luteciam Pariſiorum circumfluit, vel inſulam facit. (*m*)

Spercheos Theſſaliae, in Maliacum mare decurrens uſque ad oram Locridis. (*n*)

* Syrapus Lucaniae. *forſan* Sybaris

* Selinus Meſſaniorum, a quo civitas Selinus dicta, quod apium ibi plurimum naſcitur. (*o*)
*forſan* Selinus Sicaniorum . . .

(*h*) Pachynos) *editi* Pachiſos *codices* Paciſos, Pauphiſos, Pachyſos
(*i*) Tyrrhenum) *ſic Simlerus, editi & codices* Tiberim
(*k*) Rhodanus &c.) *deeſt in cod. Rev.*
(*l*) Strymon) *ſic cod. Med. & Par. I, alii* Strimo *editi* Strymo
(*m*) Luteciam &c.) *haec omnia non agnoſcit cod. Rev.* circumfluit) *ed. Tol.* interfluit vel) *Jan. Parrhaſius de reb. per epiſt. quaeſ. &*
(*n*) Spercheos) *ed. Flor. & Toloſ* Sperchios
(*o*) Meſſaniorum) *cod. Rev. & Pariſini & ed. Flor.* Meſſaliorum Selinus) *codices* Selinis, Selina, Selecus

Sagaris Phrygiae, ad caſtellum Berecynthium.

Sebethos Neapolis in Campania.

* Sarnus Nuceriae, ex Saro monte oriens, per Campaniam decurrens. (*p*)
*forſan* ex Sarno

Symaethos Siciliae, vicinus Palicis.

* Siler in Lucania, oppido Alburno. (*q*)
*forſan* monte Alburno.

* Saron Hadriae. (*r*) *forſan* Savon *vel* Saſon.

Sicoris Hiſpaniae, juxta Ilerdam.

Tigris Parthiae, qui ſub terra means Rubro mari miſcetur.

Tauromenius inter Syracuſas & Meſſenam, a quo oppidum Tauromenium, quod oppidum Euſebon chora dicitur. (*s*)

Tagus Hiſpaniae. (*t*)

Turia Hiſpaniae, quod Valentiam parvo intervallo interfluit. (*u*) *forſan* praeterfluit.

(*p*) ex Saro monte) *cod. Rev. & Pariſ. I. & ed. Flor.* ex Sarone (*Par. II.* Arone) fluvio Hadriae

(*q*) Siler) *cod.* Silex, Syler oppido Alburno) *Boccac.* Salerno civitati proximus.

(*r*) *Boccac.* Saron fluvius eſt ultra Taurum montem.

(*s*) Meſſenam) *ſic cod. Med. & Pariſ. I. contra ed. Flor.* Meſſenen Tauromenium) *ſic cod. Rev. & Med.* oppidum) *hic inſerunt vulgo* aliter, *ſed exulat e cod. Rev. Med. & Pariſinis.* Euſebon chora) *ſic cod. Rev. Med. & Pariſ. vulgo* Euſeboneora

(*t*) Tagus &c.) *deeſt in cod. Rev. & Pariſinis.*

(*u*) Turia) *cod. Rev.* Thuria *Pariſ. II.* Tyris *in ed. Flor. deficit.*

Taras Epeiri. (*x*)

Tanager Lucaniae.

Tibris vel Tiberis, idem Albula, qui ex radicibus montis Apennini ex Etruria Romam decurrit, quondam Tuſcos dividens. (*y*)

Tanais Scythiae, Aſiam ab Europa dividit.

Thermodoon Colchos & Amazonas dividit. (*z*)

*Traſymenos Lydiae.

*Thapſus Africae, juxta Ruſicadem. (*a*)

*Triopala, qui & Aſſorus, juxta Alabon Megarenſium. (*b*)

*forſan* Triocala, qui & Isburus,

*Turnus Umbriae. (*c*)

*Taygeta Laconices, ubi filios ſuos moris habent durare frigore aquae. (*d*)

*Titareſſos Theſſaliae, qui & Orcus, in Peneum decidit, nec ei miſcetur, quia ſuper

(*x*) *deeſt in cod. Rev. Med. & Pariſinis; Boccacius habet.*

(*y*) Tibris v. Tiberis) *cod. Rev. & Med.* Tibris idem Tiberis Tuſcos) *deeſt in Pariſ. II.*

(*z*) *hunc artic. cod. Rev. & Pariſini ambo habent, nec ex Med. exulare videtur.*

(*a*) Thapſus) *ſic cod. Med. & Pariſ. I. ſed cod. Rev. & Par. II. & Boccac.* Tapſus, *editi* Tapſas

(*b*) Triopala) *cod. Pariſ. II.* Tripola Aſſorus) *Boccac.* Aſſolus Alabon) *codices & editi* Albo Megarenſium) *cod. Rev.* Magarenſium *Pariſ. II.* Magarenſium phrigii.

(*c*) Turnus) *cod. Rev. & Pariſini* Termus *Med.* Thermus

(*d*) aquae) *deeſt in cod. Par. II.*

eum funditur ; quem Stygia palude creſcere quidam affirmant. (*e*)

Vulturnus Campaniae, a quo oppidum juxta Puteolos Vulturnum. (*f*)

* Virbius Laconices, ubi Hippolytum Aeſculapius arte medicinae reddidit vitae, unde & Virbius dictus.

Ufens Tarracinae proximus. (*g*)

Varus, hic nunc Galliam ab Italia dividit, ante Rubicon.

* Ululeus Dyrrachii eſt, unde aqua hujus ducta. (*h*)

* Veſtinus Campaniae, qui & aquis ſuis Sarnum impellit. (*i*)

Xanthus Trojae, Ilio proximus, ex Ida monte defluens, Simoenti junctus, in Propontidem funditur: hunc Scamandrum incolae vocaverunt. Xantus & Xanthus ſcribitur, flavus latine dicitur. Xanthus item nomen eſt equi Hectoris & Achillis. (*k*)

Xanthus Lyciae, unde & civitas.

(*e*) Titareſſos) *Baccac.* Titareſius quia) *cod. Rev. & Pariſini* quia & *Mediol.* & quidam) *deſideratur in Pariſ. II.*

(*f*) a quo oppidum) *cod. Pariſ. II.* ab oppido

(*g*) Tarracinae) *ſic cod. Rev. & Pariſini.*

(*h*) Ululeus) *cod. Rev. & ed. Flor. it. Boccac.* Ululens unde &c.) *ſic cod. Par. I. in cod. Rev. & Med. eſt* unde aqua his ducta *Boccac. & editi* ex quo Dyrrachio miniſtrantur aquae.

(*i*) *haec deſunt in cod. Med. & Pariſinis.*

(*k*) ex Ida &c.) *deſunt uſque ad finem in cod. Med. & Pariſinis.*

# FONTES (a)

Aganippe Boeotiae. (b)

Acidalia in Orchomeno.

Arethuſa Siciliae, apud Syracuſas. (c)

Clitumnus Mevaniae. (d)

Clanius Acerrae in Campania, qui, quum creverit, meditatur peſtem terrae. (e)

Caſtalius Delphis.

Clitor Arcadiae, qui potus vinum in odium adducit. (f)

*Camenarum Romae.

Dircaeus Boeotiae.

*Eſus Rhodi. (g)

*Garga Euboeae, ubi Actaeon laceratus eſt a canibus. (h)

*forſan* Gargaphia Boeotiae.

*Hippocrene Boeotiae in Achaia. (i)

(a) *cod. Rev.* Explicit de amnibus per litteras in ordinem digeſti feliciter. Incipit de fontibus.

(b) Boeotiae) *vulgo* fons B. *ſed codices noſtri non habent.*

(c) *deſunt in cod. Med. & Pariſinis.*

(d) Mevaniae) *cod. Rev.* Meveniae

(e) Acerrae) *ſic cod. Rev. Med. & Pariſ. I. ſed in vulgatis eſt* apud Acerras *in Pariſ. II. hoc &* in Campania *deeſt.*

(f) Clitor) *ſic cod. omnes.* qui potus vinum) *cod. Pariſ. II.* qui potum vini adducit) *ſic cod. Rev. Med. & Pariſ. II. vulgo* ducit.

(g) Eſus) *cod. Rev. & Pariſ. I.* Eſſus. Rhodi) *cod. Rev.* Rhodo *Med. & Pariſ.* Phodo, fodo *Boccac.* fodi

(h) eſt a canibus) *deeſt in cod. Rev. Med. & Pariſinis.*

(i) Achaia) *cod. Rev. & Pariſini & ed. Flor.* Arcadia

*Ineſſa Rhodi, a quo Siciliae civitas Ineſſa. (*k*)

*Libethros Boeotiae. (*l*)

Liriope, ubi Narciſſus ſe conſpexit. (*m*)

Langia fons eſt in Nemeaea ſilva, quem penes agon annuus celebratur Archemoro Lycurgi filio, a quo poſt Archemorus denominatus eſt. (*n*)

Menais Leontinorum, per quem cives ejus loci timent jurare.

*Spandeus in inſula Coa Aſiae. (*o*)

Salmacis Cariae, ex quo qui bibit, mollefcit, id eſt obſcenus fit. (*p*)

Timavus Aquileiae Galliae.

*Virvinus Laconices. (*q*)

(*k*) Rhodi) *cod. Rev. Med. & Pariſ. I.* Rhodo civitas) *Boccac.* & Siciliae fons Incſſa) *cod. iidem* Inoſſa

(*l*) Libethros) *cod. Rev. Med. & Pariſini* Libetris Boeotiae) *Simlerus vult* Magneſiae

(*m*) Liriope) *ſic cod. Rev. Med. & Par. II. in Par. I.* eſt Iriope *in editis* Lynupe, Lynope *ſic & Boccacius.*

(*n*) Langia &c.) *deeſt hic articulus in cod. Rev. Med. & Pariſinis.*

(*o*) Spandeus) *habet & Boccacius.* Coa Aſiae) *cod. Pariſ. II.* Coaſiae

(*p*) id eſt) *ſic cod. Rev. Med. & Pariſ. I. vulgo* idem &

(*q*) Virvinus) *Simlerus vult* Virbius. Laconices) *ſic cod. Rev. & Par. I. ſed Heinſ. coll. a. Gud.* Laconicus *Med.* apud Laconas *cui additur in editis* fons eſt.

# LACUS

Avernus Campaniae immenſae altitudinis, cujus ima pars deprehendi non poteſt. (*r*)

Acheron, qua ad inferos creditur iri.

*Aecitus Apolloniae. (*s*)

Amſanctus Lucaniae, cujus halitus volucres necat.

Benacus Galliae, unde Mincius fluit. (*t*)

Cyane Syracuſis, per quam Anapus tranſit.

Cocytos inferorum per Stygiam paludem. (*u*)

Ciminius Etruriae. (*x*)

Feronia Tarracinae. (*y*)

Fucinus Marſis.

Gygaea lacus Lydiae. (*z*)

(*r*) Campaniae) *deficit in cod. Rev. & edit. Flor.*

(*s*) Aeeitus) *cod. Par. II.* Aicitus *Rev.* Aecicus *Pariſ. I.* Aetlcus *ſic & Boccac.*

(*t*) Benacus &c.) *in cod. Rev. Heinſ. coll. ἀπόγρ. Gud. & Pariſinis hic articulus deeſt, ſed infra legitur* Venacus G. &c. *contra in Heſſel. & hic ponitur & infra iteratur ſic:* Venatius Galliae, unde Mincius fluit. *verum haec poſteriora ex cod. Med. & ex ed. Tol. & Baſ. exulant*, in *cod. Dorvillii* Benacus & Venacus

(*u*) *vulgo ſic:* Cyane Syr. p. quem Anapus tranſit per Stygiam paludem. Cocytos inferorum) *ſic & codices ſeparant hos articulos.* quam) *ita Heinſ. coll. ἀπόγρ. Gud.* Anapus) *cod. & editi* Anopes, Aenopes, Anopos, Anopus Stygiam) *cod. Rev. & Med.* Styga

(*x*) Ciminius) *cod. Rev. Par. II. & ed. Flor.* Cimini

(*y*) Tarracinae) *ſic cod. Rev. & Pariſini, vulgo* Terracinae

(*z*) *deeſt in cod. Rev. & Pariſinis; nec Boccacius habet.*

Hammonis Africae, qui ortu ſolis & occaſu incandeſcit, reliquo tempore gelidus eſt.

*In Athamana lacus Lunae tenuia ligna accendit; ex quo qui bibit aut in inſaniam vertitur aut in ſoporem. (*a*)

Larius Galliae Ciſalpinae.

Lucrinus Campaniae.

Lemanus Galliae.

Mareotis Aegypti, unde vites Mareoticae. (*b*)

Triviae lacus Ariciae.

*Velinus inter Nar & Aventem. (*c*)

Venacus Galliae, unde Mincius fluit.

(*a*) In Athamana) *libri ſcripti & editi* Inatamana, Inathamana tenuia) *ſic cod. Rev. & Med. in Pariſ. I. eſt* tenua, *in II.* tenuit *in editis* tenera

(*b*) unde &c.) *haec deſunt in Pariſ. II.*

(*c*) *vulgo* inter Nar labentem *ſed cod. Rev. & Med.* inter Nar & abentem. *Heinſ. collat. ἀπόγρ. Gud.* inter Nar & aventem.

## NEMORA (*d*)

* Angitiae vel Anguitiae, Lucaniae. (*e*)

Clarium Colophoniae. (*f*)

Dodona Epiri. (*g*)

Idalium in inſula Cypro. (*h*)

* Molorchos in Nemea, a Molorcho hoſpite Herculis.

Marica in Campania, ubi Marica nympha ſepulta eſt. (*i*)

Sila Bruttiorum.

* Thymbra Phrygiae, ab herbae nomine, quae Latine cyane dicitur.

Tempe Theſſaliae.

(*d*) NEMORA) *cod. Rev.* de Nemoribus.

(*e*) *cod. Rev.* Angitiae *cod. Par. I.* Angitiae v. Agentiae *II.* Anginiae inguitiae *in editis* Anguiae vel Anguitiae

(*f*) Clarium) *ita cod. Rev. & Med. vulgo* Clarius

(*g*) Dodona) *ſic cod. Rev. Med. & Pariſini.* Epiri) *ita cod. Rev. & Pariſini.*

(*h*) Idalium) *ed. Flor.* Lualium

(*i*) Marica &c.) *deeſt in cod. Rev. Med. & Pariſinis.*

## PALUDES

Ambracia Acarnaniae. (*k*)

Aſia Aſiae, cui Cayſtros prope eſt. (*l*)

*Camarina nunc, ante Hyperia dicta, Syracuſis. (*m*)

Lerna Arcadiae, ubi hydra centum capitum, quam Hercules occidit.

Maeotis Scythiae.

Pomptinae Tarracinae Foro Appii. (*n*)

Paduſe Galliae a Pado dicta. (*o*)

Styx inferorum, a Styge Oceani filia.

*Satura inter Antium & Circeios, eadem Stura. (*p*)

*Salpina in Hadriatico. (*q*)
*forſan* Salapina in Apulia.

(*k*) Acarnaniae) *vulgo* Achaie *ſed Vlitius reperit in cod.* Acharniae *ſic & Heinſ. coll.* ἀπόγρ. *Gud.*

(*l*) Aſiae) *ed. Toloſ.* Myſiae

(*m*) Camarina) *codices* Camerina Hyperia) *cod. Rev. & Med.* Hiperie *ed. Flor. & Heſſelii* Heſperie *ed. Toloſ.* Heſperiae Syracuſis) *quod additur* propinqua, *non habent cod. Rev. Med. & Pariſini.*

(*n*) Pomptinae) *vulgo* Pontina *ſed cod. Rev. Med. & Pariſini* Pomptine Tarracinae) *ſic cod. Rev.*

(*o*) Paduſe) *cod. Rev. Med. & Pariſini* Padue, Paduae

(*p*) Satura) *cod. Pariſ. I.* Statura Stura) *ſic cod.* Rev. *Med. & Pariſ. I. in Pariſ. II. & editis eſt* Statura

(*q*) Hadriatico) *Simlerus* Apuleia

Triton Thraciae, in quo qui ſe novies immerſerit, in avem convertitur. (*r*)

Tyraca Syracuſis. (*s*)

## MONTES

Aracynthus in Attica, quidam in Arcadia dicunt. (*t*)

Aruis in inſula Chio, unde vinum Aruiſium. (*u*)

Atlas in ultima Africa, cingens Mauretaniam.

Aſcraeus, unde vicus Aſcra, in Boeotia, unde Heſiodus. (*x*)

Aventinus Romae, unus ex VII. montibus. (*y*)

Alburnus Lucaniae.

Alpes Galliam Togatam a Comata dividunt.

Aetna Siciliae, flammam emittens. (*z*)

Agragas Siciliae, juxta Gelam.

Athos Thraciae.

(*r*) Triton) *ed. Flor.* Tryton *cod. Med.* Strymon Thraciae) *Simlerus* Africae in quo qui &c.) *haec deſunt in cod. Med.* immerſerit) *cod. Rev.* merſerit avem) *cod. Pariſini* navem

(*s*) Tyraca *cod. Rev.* Turaca

(*t*) in Arcadia) *de la Cerda* Acarnaniae *Boccac.* Arcadum

(*u*) Aruis) *cod. Rev. & Med.* Arius *Bochartus* Arviſius Aruiſium) *cod. Med.* Ariuſium

(*x*) Aſcra) *deficit in cod. Par. II. & Rev. & ed. Flor.*

(*y*) unus) *deficit in ed. Flor.*

(*z*) flammam) *cod. Par. II. addit* & ſaxa

Apenninus Italiae, uſque ad Anconem porrectus. (*a*)

Albanus in Latio.

Aventinus, in quo civitas Praeneſte.

Amanus Cappadociae.

*Aganippe Boeotiae, ante Enippe dictus.

Berecynthus Phrygiae, unde mater Deum Berecynthia. (*b*)

*Bebius Campaniae, flumen emittens. (*c*)

*Boreas Dyrrachii. (*d*)

*forſan* Boras *vel* Bora

Cithaeron Thebis.

Cynthus Deli.

Caucaſus Indiae, Parthis & Hyrcanis junctus. (*e*)

Cytorus in Ponto Paphlagoniae, buxo potens.

Cybelus Phrygiae.

Coelius Romae, ex VII. montibus unus. (*f*)

Clarius Colophoniae, a quo Apollo Clarius.

Cyllene Arcadiae, unde Mercurius Cyllenius. (*g*)

(*a*) Anconem) *ſic cod. Rev. Med. & Pariſ. I.*

(*b*) unde &c.) *haec deſunt in cod. Rev. Med. & Pariſinis.*

(*c*) flumen emittens) *deſunt in cod. Pariſ. II.*

(*d*) Boreas) *cod. Rev.* Beroas

(*e*) Cithaeron . . Cynthus . . Caucaſus) *ita cod. Rev. Med. & Pariſini; in editis iſta deſunt.*

(*f*) montibus unus) *deficit in ed. Flor.*

(*g*) Cyllene) *cod. Rev. & Pariſini* Cyllenus. Cyllenius) *deeſt in Pariſinis & in ed. Flor.*

Catillus Tiburti.

Coras ibidem. (*h*)

* Cinyrus Piceno.

Chimaera Lyciae.

Calpe Hiſpaniae. (*i*)

Ciminus Etruriae.

Corycos Ciliciae, ubi optimum crocum naſcitur. (*k*)

* Caſtaliae in Delphis. (*l*)

Dictaeus Cretae.

* Dodona Chaoniae Epeiri. (*m*)

Dindyma Phrygiae. (*n*)

Eryx Siciliae.

Erymanthus Arcadiae.

Esquilinus Romae, unus e ſeptem montibus. (*o*)

* Eridanus Dyrrachii.

Gargarus in Phrygia, Idae montis cacumen.

(*h*) ibidem) *cod. Rev. & Pariſ.* item Tyburti

(*i*) Calpe H.) *cod. Revii & Pariſini & ed. Flor.* Calpe Siciliae, *& poſt* Ciminus Etruriae *ponunt* Calpe Hiſpaniae.

(*k*) Ciliciae) *codices Pariſ.* Siciliae

(*l*) Caſtaliae) *ſic cod. Rev. Med. & Par. I. in editis* Caſtalius in Delphis) *additur in editis* in Phocide *ſed hoc deeſt in codic. citatis & ed. Flor.*

(*m*) Dodona *ſic cod. Rev. & Med. in Pariſinis eſt* Dedona Epeiri) *cod. Med.* Epyri *Pariſ. I.* Epiri *in Pariſ. II. deeſt.*

(*n*) *deeſt in cod. Pariſ. II.*

(*o*) *ſic cod. Rev. & Med.*

Gaurus Campaniae.

Helicon Aoniae Boeotiaeque, Muſis ſacer.

Hyperborei Thraciae, ultra plagam Aquiloniam. (*p*)

* Haemus Thraciae, qui & Haemimons dicitur.

* Imaus Iberiae Ponticae. (*q*)

Iſmarus Thraciae, inſignis oleo & vino. (*r*)

Ida in Troade, alius in Creta.

Lycaeus Arcadiae, ubi Pan praecipue colitur.

* Libethris Aetoliae. (*s*)

Maenalus Arcadiae. (*t*)

Maſſicus Campaniae, in Falerno.

Marpeſſos in inſula Paro. (*u*)

* Monoecus Illyriae. (*x*)

*forſan* Liguriae.

* Maxteria, juxta oppidum Auronae Hiſpaniae. (*y*)

(*p*) Thraciae *Simlerus* Scythiae, *ſic & Boccacius.*

(*q*) *vulgo ſic:* Haemus Thraciae. Heminiae Dymnus Iberiae Ponticae. Haeminiae) *cod. Rev.* Hemine. *Heinſ. collat.* ἀπόγρ. *Gud.* Hemineae Dymnus) *cod. Par. II.* Demnus Iberiae) *cod. Rev.* Hiberiae

(*r*) *Pariſ. II. habet modo* Iſmarus Thraciae

(*s*) Libethris &c.) *deficit edit. Flor.*

(*t*) Maenalus) *ſic rectè in cod. Rev. & Pariſinis; vulgo* Maenalius

(*u*) Marpeſſos) *ſic codices.*

(*x*) Monoecus) *vulgo* Monocchus *cod. Rev. & Par. II.* Monecus, *Med.* Monoecus Illyriae) *ſic codices; vulgo* Illyridos.

(*y*) Maxteria &c.) *ſic cod. Rev. ſic & Pariſini, in quibus eſt* Maxceria, Maſteria *Heinſ. coll. ἀπ. Gud.* Maxtera

*Meſulus, qui & Veſulus, *vel*, (*ut Simlerus legit*) Maevius, qui & Veſevus, Campaniae. (*z*)

*Niphates Armeniae in Perſide. (*a*)

Neritos Ithacae, a quo & portus.

Nyſa Indiae. (*b*)

Nemeus Cleonenſium. (*c*)

Olympus Macedoniae altiſſimus, qui altitudine ſua ſuper pluvias & nubes excedit. (*d*)

Oſſa Theſſaliae. (*e*)

Oeta Theſſaliae, ubi Hercules combuſtus eſt. (*f*)

*Othrys Thraciae. (*g*) *legendum* Theſſaliae.

*Oeniphile Dyrrachii. (*h*)

(*z*) *Heſſelius utramque lectionem exhibet; Simleri articulus a Pariſinis abeſt.* qui & Veſulus) *cod. Par.* qui in Veſulo *ed. Flor.* qui & Veſevus Maevius) *ed. Flor.* Maeulus

(*a*) Niphates) *Barthius ad Claud.* Nifates *ſic & cod. Pariſ. I.* in Perſide) *Boccacius* mons eſt.

(*b*) Nyſa Indiae) *cod. Pariſ. II. addit* ubi colitur Bacchus.

(*c*) Cleonenſium) *ſic Boccac. ſed cod. Rev. & ed. Flor.* Deonenſium, *ed. Baſil.* Cicouenſium, *ed. Heſſel.* Ciconenſium, *cod. Med.* Eleonenſium, *Pariſini* Cleomenſium.

(*d*) ſuper) *ſic cod. Rev. & Med.*

(*e*) Oſſa) *cod. Revii pro* Oſſa *habet* Otheus, *& dein pro* Oeta *dat* Oſſa

(*f*) Oeta) *cod. Pariſ. I.* Otheus *II.* Oetus Theſſaliae) *Ouzelius ad Minuc. Fel. p.* 203. Thraciae

(*g*) Othrys) *Heinſ. coll. ἀκόγρ. Gud.* Othrus, *in Pariſinis hic articulus deeſt.*

(*h*) Oeniphile) *ſic cod. Rev. & Boccacius; Heinſ. coll. ἀκ. Gud. & cod. Med.* Oeniphyle; *in editis* Oemphyle

Parnaſſus Phocidis, duobus verticibus ſurgens. (*i*)

Pindus Theſſaliae.

Parthenius Arcadiae.

Phanaeus Chii, vino inſignis.

Palatinus Romae, ex VII. unus.

Pelios Thraciae, in quo Lapithae populi morati. (*k*) *lege* Theſſaliae

Pangaeus Thraciae & Macedoniae. (*l*)

* Pholoë Thraciae, ubi Centauri nati.

Pyrenaeus, Galliam ab Hiſpania dividens.

* Pylartes Dyrrachii. (*m*)

Petrae Dyrrachii, caſtra Pompeji magni. (*n*)

Quirinus Romae, ex VII. unus.

Rhodope Thraciae.

Riphaei Scythiae.

* Rhamnuſius Scodrae. (*o*)

Satur-

(*i*) Parnaſſius) *cod. Rev. & Med.* Parnaſos, Parnaſus

(*k*) Thraciae) *ſic libri ſcripti, Simlerus* Theſſaliae morati) *adjicitur*, ubi centauri nati, *ſed haec deſunt a cod. Rev. & Med. item Par. I. in cod. Rev. eſt* morati ſunt. *Par. I. ita:* Pelios Thraciae in Theſſalia. *II.* Pelios Thraciae, ubi Centauri nati.

(*l*) Pangaeus &c.) *deſunt in Pariſinis.* Thraciae &c.) *cod. Rev.* Thraciae in Italia *ed. Flor.* Thraciae in Theſſalia

(*m*) Pylartes) *cod Par. I.* Pylarces *II.* Pelartos

(*n*) Petrae) *ſic cod. Rev. Med. & Pariſini, vulgo* Petra

(*o*) Rhamnuſius) *cod. Rev. Med. & Pariſ. I. item ed. Flor. & Boccac.* Rhamnuſium *in Pariſ. II. deeſt* Scodrae) *cod. Rev. & Med.* Scordae *Par. I.* Scordie *Boccac.* Scordenſium

Saturnius Romae, qui & Capitolinus, idem & Tarpejus.

Soracte Faliſcorum.

* Sarnus Nuceriae. (*p*)

Sipylus Lydiae.

* Steſiarus Moloſſiae. (*q*)

Tarpejus Romae, ex VII. unus.

Taenarus Laconices.

Tmolus Lydiae, vino inſignis. (*r*)

Taburnus Samnitum, olivifer. (*s*)

Taygeta Laconices. (*t*)

Tetricus Sabinorum. (*u*)

* Tenitrus Macedoniae, proximus Apolloniae, in conſpectu Dyrrachii. (*x*)

* Velinus Romae, ex VII. unus.

Veſulus Apuliae. *forſan* Liguriae.

(*p*) Sarnus) *deeſt in codicibus Pariſinis.*

(*q*) Steſiarus) *ed. Flor.* Steſians *Boccac.* Steffiarus

(*r*) Tmolus) *deeſt in cod. Par. II.*

(*s*) Taburnus &c.) *deſunt haec in cod. Pariſinis.* Samnitum) *cod. Rev.* Samnitium

(*t*) Taygeta *deeſt in cod. Par. II. Barthius* Taygetus Laconiae.

(*u*) Tetricus) *cod. Rev. & Par. I.* Tetrica

(*x*) *habet & Boccacius.*

# GENTES

Agathyrſi Scythae partis Europae. (*y*)
Acarnanii Epeirotae Europae. (*z*)
Apuli Italici partis Europae. (*a*)
Aethiopes Indi Aſiae.
Aegyptii partis Aſiae. (*b*)
Barcaei Mauri Libyae. (*c*)
* Chalybes in Ponto Europae. *leg.* Aſiae.(*d*)
Cicones Thraciae.
Daci Scythae Europae. (*e*)
* Dryopes Phocenſes Europae. (*f*)
Gaetuli Afri Libyae.
Germani Europae.
Getae Thraces Europae. (*g*)

(*y*) Scythae) *ſic cod. Med. reliqui & editi* Scythiae
(*z*) Acarnanii) *ita cod. Rev. & Pariſ. I. vulgo* Acarnani Europae) *cod. Rev.* Aſiae *male.*
(*a*) partis Europae) *cod. Rev. & Par. I.* partis Aſiae, *in cod. Par. II. haec duo verba deſunt.*
(*b*) Aegyptii) *ſic cod. Rev. & Med. in editis* Aegypti
(*c*) Libyae) *ſic cod. Rev. & Pariſini, vulgo* Libyes.
(*d*) Europae) *cod. Pariſ. II.* Europaei.
(*e*) *ſic cod. Med. ſed in cod. Rev. & Pariſ. II. deſunt, editi omittunt* Europae.
(*f*) *deſunt in ed. Florentina.*
(*g*) Europae) *ed. Flor.* Aſiae

*Geloni Thraciae, picti corporis parte.

*Garamantes Mauri Libyae. (*h*)

Gangaridae Indiae. (*i*)

Hiſpani Europae. (*k*)

Indi pars Aſiae. (*l*)

*Ityraei vel Itharaei, Syri, uſu ſagittae periti. (*m*)

*forſan* vel Ituraei

Kares Aſiae.

Lydi Aſiae. (*n*)

Lapithae Theſſali Europae.

*Leleges Carii Europae. (*o*)

Lucani Italici Europae. (*p*)

(*h*) Libyae) *ed. Flor.* parte Libyae.

(*i*) Gangaridae &c.) *cod. Revii haud agnoſcit.*

(*k*) Hiſpani) *deeſt in cod. Revii.*

(*l*) pars Aſiae) *cod. Rev. & Pariſini* Arabes Aſiae.

(*m*) Ityraei) *ſic cod. Med. in cod. Rev. & Pariſ. I. eſt* Itirei *in editis* Ithyrei vel Itharei) *cod. Rev. haud agnoſcit.* Syri) *ſic cod. Rev. & Med. vulgo* Syrii

(*n*) Lydi Aſiae) *cod. Rev. & Pariſini item ed. Flor.* Lydi partis Aſiae in Aegypto.

(*o*) *ſic cod. Med. in edit. Flor.* eſt Leleges Cariae Europae. *in cod. Rev.* Lelecarii Europae. *in Heinſ. coll.* ἀκόγρ. *Gud.* Leloecarii Europae. *in cod. Pariſ. I.* Leleges Taurii Europae. *in edito Heſſelii* Leleges Cariae Aſiae.

(*p*) Italici) *cod. Revii & Pariſ. I.* Itali *in cod. Pariſ. II. hic articulus deeſt.*

Lycii Aſiae.
Maſſyli Afri. (*q*)
Mauri Libyae proximi.
*Magempuri Libyae.
Marſi Italici Europae.
Medi Parthiae proximi. (*r*)
Morini oceano junĉti Europae.
*Numidae Mauri Libyae.
Oſci Samnites Italici Europae.
Parrhaſii Arcades Europae. (*s*)
*Pannonii Illyrici Europae.
*Philyridae Europae in Venetia. (*t*)
*Rutuli, iidem Dauni, Italici Europae. (*u*)
Seres Aſiae ſub Oriente.
Sabaei Arabes.
Sauromatae Europae.

(*q*) Maſſyli) *cod. Rev. & Pariſini* Maſſylii
(*r*) Parthiae) *cod. Rev. & Pariſini & ed. Flor.* Thraciae
(*s*) Parrhaſii) *ita cod. Rev. & Med. in Pariſinis eſt* Parhaſii *in editis* Paraſii Arcades) *ſic cod. Rev. Med. & Pariſ. vulgo* Arcadiae *ed. Toloſ.* Arcadies
(*t*) Philyridae) *cod. Med.* Phyliridae, *editi* Phylliridae in Venetia) *Simlerus forte*, in Theſſalia.
(*u*) *ſic cod. Rev. Med. & Pariſini; in editis deſunt duo poſtrema verba.*

Teutones Germani Europae. (*x*)

Tuſci Italici Europae. (*y*)

Thraces Europae. (*z*)

Theſſali Macedones Europae.

Umbri Italici Europae. (*a*)

Volſci Italici Europae. (*b*)

(*x*) Germani) *ſic in editis; contra cod. Rev. Med. & Pariſini habent* Galli

(*y*) Italici) *ſic cod. Rev. & Med. in editis* Itali

(*z*) *cod. Rev. & Pariſ. I. it. edit. Florent.* Thraces Theſſali Europae *Pariſ. II.* Thraces Theſſali.

(*a*) Umbri &c) *non habent cod. Rev. Med. & Pariſ.*

(*b*) Italici) *ſic cod. Rev. & Pariſini, vulgo* Italiae

## APPENDICULA

*e codice Revii*

Incipiunt VII mira.

Aedes Dianae Epheſo, quam conſtituit Amazon.

Mauſoleum in Caria, altum pedum CLXXX & in circuitu pedum CCCC. ibi eſt ſepulcrum regis lapide lychnite.

Coloſſus Rhodi altus pedum CV.

Jovis Olympii factus a Phidia ex ebore & auro pedum C.

Domus regia in Ecbatanis, quam Memnon aedificavit lapidibus candidis & variis auro vinctis.

Murus Babylonis latere cocto, ſulphure & ferro vinctus, latus cubitorum L, altus cubit. CC, in circuitu ſtadiis DCCC. hunc regina Semiramis aedificavit. Penſiles etiam horti ſuper arcem ipſius urbis, aequantes altitudinem muri, pro miraculo habentur.

Pyramides in Aegypto latae & altae pedum DC.



# IN VIBIUM SEQUESTREM ANIMADVERSIONES VARIORUM.

## AD EPISTOLAM

VIRGILIANO) Laudandum apprime illud veterum inſtitutum, quorum multi in filiorum gratiam libros conſcribebant; cujus enim magis quam patris officium & cura liberis doctrinam ſuppeditandi eſſe debet? Inde pulcherrimos nobis reliquit de officiis libros Cicero, Marci filii ergo conſcriptos; eademque de cauſa Saturnalia Macrobius; commentarium de proprietate ſermonis Nonius Marcellus; Satyricon Martianus Capella; & eorum veſtigia ſecutus Iulius Caeſar Scaliger doctiſſimos linguae latinae libros adornarunt. CLAUDIUS. Quemadmodum Vibii Sequeſtris intelligentia fuit adjutrix induſtriae filii, eodem modo patris eruditio P. Papinii Statii Poetae ad ſcribendum auxerat induſtriam: ut eſt L. V. Silv. v. 676 ſq.

*Urgebant priſcorum exordia vatum.*
*Tu cantus ſtimulare meos, tu pandere facta*
*Heroum, bellique modos, poſituſque locorum*
*monſtrabas: labat incerto mihi limite curſus*
*te ſine, & orbatae caligant vela carinae.*

HESSELIUS.

*Poëtas*) Plurimum debet Poëtis Geographia: geſtiunt enim ſitus locorum depingere ac poſitiones. Quapropter Horatius L. II. Epiſt. I. v. 250 ſeq.

*Nec ſermones ego mallem*
*repentes per humum, quam res componere geſtas,*
*terrarumque ſitus, & flumina dicere, & arces*
*montibus impoſitas. . . . .*

& Plinius L. VIII. Ep. 4. *Optime facis, quod bellum Dacicum ſcribere paras. Nam quae tam recens, tam copioſa, tam lata, quae denique tam poëtica & (quanquam in veriſſimis rebus) tam fabuloſa materia? Dices immiſſa terris nova flumina, novos pontes fluminibus injectos, inſeſſa caſtris montium abrupta . . .* HESSEL.

*Quantum*) Vibius non tantum gentes, ſed flumina, fontes, lacus, nemora, paludes & montes exponit. Itaque male *quas*, pro quo revocanda lectio MSti, *qua tamen perſequi potui.* Cicero Philipp. VI. c. 3. *Praedico, M. Antonium, delectus, qua poſſit, habiturum.* Mela Lib. I. cap. 2. *& ideo, qua recidit, anguſtior.* Paulo poſt, eodem cap. *niſi qua aeſtus inhabitabilem efficiunt*, pro vulg. *quoad* Frater defendit. Elegans verbum *perſequi*, id eſt, exequi, perficere, peragere. Plaut. Amphitruon. II, I, 39. *Qui, quoniam herus, quod imperavit, neglexiſti perſequi.* Prol. Mercat. 85. *Sed mea promiſſa non neglexit perſequi.* GRONOVIUS.

*praeſertim*) ſic Terentius Phorm. I. II. 5. *praeſertim ut nunc ſunt mores.* GRONOV.

# AD FLUMINA

## Achelous

De Acheloo quoniam multa paſſim docti, nihil obſervabo, quam quod ad Vibii noſtri illuſtrationem conferre queat. Tres ejuſdem nominis amnes extitiſſe jamdudum animadverſum eſt. Unum itaque tantum teſtimonium adſcribam, ſane perquam elegans; ex Pauſania libr. VIII. cap. 38. pag. 680. Ἀχελῶῳ δὲ τῷ Ἀρκάδι ἐστὶν ἄλλοι δύο ὁμώνυμοί τε αὐτῷ

ποταμοὶ, καὶ τὰ εἰς δόξαν φανερώτεροι· τὸν μέντοι ἐπὶ τὰς Ἐχινάδας καλούμενα Ἀχελῶον διὰ τῆς Ἀκαρνάνων καὶ δι' Αἰτωλίας, ἐν Ἰλιάδι δὲ Ὅμηρος ποταμὸν τῶν πάντων ἄρχοντα εἶναι, ἕλιπον δὲ Ἀχελῶον μέντοι ἐκ Σπερχειοῦ τοῦ ὄρους ἐκπεσόντα . . . . τρίτῳ δ' οὖν καὶ τὸ περὶ τὸ ὄρος τὸ Λύκαιον, ἔστιν ὄνομα Ἀχελῶος. Videmus in quanto fuerit honore ille, de quo nunc agimus, Achelous, quem nomine *regis fluminum* insignit Homerus, & τῶν τῆς ἑλλάδος ποταμῶν τῶν ἄλλων διαπρεπέστατον perhibent eruditissima ad Apollonium Rhod. libr. IV. vers. 293. scholia: adi Kuhnium ad ipsa Pausaniae verba. Porro hunc fluvium, *Axenum* prius, *Thestium* dein, item *Thoantem*, postremo *Acheloum* nuncupatum fuisse docent Plutarchus de fluminib. & Strabo libr. X. Varia autem ad fabulam de Acheloo, & ad certamen ipsius cum Hercule reperies apud Servium ad Georg. L. I. vers. 9. Strabonem libr. cit. p. 458. & Mythologos scriptores. CLAUDIUS. Is fluvius Graeciae rapidissimus fabulis veterum inclaruit. Sic de eo Ovidius Met. IX. 96 & 97.

*Vultus Achelous agrestes*
*Et lacerum cornu mediis caput abdidit undis.*

Cornua diversos alveos signant. Incertum ejus cursum, qui accolis frequentem bellandi caussam dedit, aggeribus Hercules direxisse fertur. Inde cornu ejus alterum ab hoc evulsum apud Ovidium l. c. v. 86. quam pugnam marmor Hetruscum apud Gorium sistit egregie. Paullo ante serpentis quoque formam indutum Hercules superarat. v. 77. cf. Strabo L. X. p. 458. Anonymus de incredibilibus cap. 5. Eustathius ad Dionys. perieg. v. 431. & Barthius ad Statii Theb. p. 650. In nummis quoque Ambraciotarum, Acarnaniorum & Oeniadum Tauri forma humanam habentis faciem, uno aut duobus additis cornibus, Acheloo tribuitur. v. Spanhemius de usu & praest. NN. Diss. VII. Burmannus in Dorvillii Siculis T. II. & III. Castellus Princeps Turris Mutiae in proleg. ad Inscr. Sicul. p. XXVIII. O.

*erupisse*) Vera haec est ratio, cur eum fluminum regem dixerit Homerus, & διαπρεπέστατον Graeci duxerint. Statuunt

quippe Acheloum omnium fluminum primum extitiſſe, unde & *terrae filium* appellatum affirmat Servius ad I. Georg. verſ. 9. quam eandem ob cauſam legimus omnem priſcis temporibus aquam Acheloiam fuiſſe nuncupatam, quod ibidem ſcribunt Servius & Probus. Heſychius: Ἀχελῶος ποταμὸς Ἀρκαδίας (emenda cum viris doctis Ἀκαρνανίας, quamvis Ἀρκαδίας tolerari poſſit, cum & Arcadicus fuerit Achelous) καὶ πᾶν ὕδωρ ἕτως λέγεται. Euripides Andromach. verſ. 167.

τευχέων περισπείρασαν Ἀχελῴῳ δρόσον.

Ad hunc verſum adi Barneſium. vide & ipſum ad Bacch. verſ. 519. legendus & omnino Macrobius L. V. Saturn. cap. 18. qui late ibi de hac re ex Ephoro & Didymo differit. CLAUD.

*ex Pindo monte Perrhaebiorum*) Pindo adjacet Perrhaebia, ut Strabo teſtatur L. IX. p. 434. Ἡ δὲ Πίνδος ὄρος μέγα πρὸς ἄρκτον μὲν τὴν Μακεδονίαν, πρὸς ἑσπέραν δὲ Περραιβοὺς μεταναίας ἀνθρώπους ἔχουσα, πρὸς δὲ μεσημβρίαν Δόλοπας· ἄυλη δ' ἐστὶ τῆς Θετταλίας. & Plinius H. N. L. IV. prooem. *Perrhaebi, quorum mons Pindus.* Itaque *Pindus* Propertio vocatur *Perrhaebus* L. III. eleg. III. v. 55.

*Aut cur Perrhaebi tremuere cacumina Pindi?* HESSEL.

De Acheloi curſu clariſſime Thucydides L. II. verſus finem: ὁ Ἀχελῶος ποταμὸς ῥέων ἐκ Πίνδου ὄρους . . . ἐς θάλασσαν διεξιεὶς παρ' Οἰνιάδας. Caeterum acute Heſſelius reſtituit id *Perrhaebiorum.* Nos legendum putamus: *ex Pindo monte Perrhaebiorum*, ita ut *per . . fines* omittatur, tanquam γλώσσημα, inde ortum, quod librarii homines in corrupto *per Rhebiorum* lacunam ſibi videre videbantur. O.

*in Maliacum mare*) *Corinthiacum* Joſ. Simlerus, ut opinor, & bene; nam in Maliacum ſinum non effluit hic Achelous, ſed in Corinthiacum. HESSEL. Non immerito haec verba mendi ſuſpicatus eſt vir doctus, cum reponendum jubet *Corinthiacum.* Qua ratione enim ex Pindo oriens Achelous & inter Aetolos & Arcananas diffluens, in Maliacum ſinum, qui ad Phthiotin pertinet, exonerare ſe

poteſt. Abſurdiſſimum illud certe videtur; in eo enim conveniunt omnes geographi, quod per inſulas Echinadas, ut & ſupra ex Pauſania vidimus, in mare, vel in Corinthiacum ſinum delabatur. Dionyſius Perieg. verſ. 431. ſeq.

Τῆς δ' ὕπερ ἐς νότον εἶσιν, ὑπὸ σκοπιὴν Ἀρακύνθε,
ἀνδρῶν Αἰτωλῶν, πεδίον μέγα· τῇ διὰ μέσσε
σύρεται ὁλκὸν ἄγων Ἀχελωΐῳ ἀργυροδίνης,
Τεναχίης ἐπὶ πόντον ἑλισσόμενος, διὰ μέσσων
νήσων, ἃς καλέουσιν Ἐχινάδας.

Quam longe haec a Maliaco ſinu? Similia habet Strabo libr. X. pag. 458. & prius libr. VII. pag. 327. ut & Herodotus libr. II. cap. 10. & ſcholia vetera Homeri Iliad. II. verſ. 625. Unde clare patet, aut Vibii verba eſſe corrupta, aut ipſum falſum eſſe. Mendum in verbis non ſubeſt, cum nulli in hac lectione diſſentiant codices, ſed ipſum credo errare Vibium, qui duos ejuſdem nominis amnes confundit. Alter enim Achelous hoc noſtro minor ad Maliacum ſinum effunditur: auctor eſt Strabo libr. X. pag. 450. Ἔτι δὲ καὶ ὁ παρὰ Δύμην ὁμώνυμος τούτῳ, καθάπερ εἴρηται καὶ ὁ περὶ Λαμίαν. Agit ibi de tribus Achelois, quorum ultimum fluere ait ad Lamiam: Lamiam autem urbem juxta Maliacum ſinum ſitam refert idem libr. IX. pag. 433. Ortus ergo Sequeſtri error ex non animadverſo ſatis horum fluminum diſcrimine. CLAUD. Non in Maliacum ſinum effluit Achelous, ſed verſus Echinades, teſte Pauſania in Arcad. c. 38. in ipſo limine ſinus Corinthiaci. v. Strabo L. VIII. p. 335. Quod autem Acheloum dicit Vibius Aetoliam ab Acarnania dividere, illud non valet, niſi poſtquam e Pindo progreſſus partem Theſſaliae Aperantiis habitatam rigavit. v. Palmerii Graec. Ant. L. IV. c. 1. & d'Anville tab. ſpecim. Graec. ant. Fluvius is in oſtio ſuo naves admittebat, Oeniadarum ad urbem. v. Scylacis peripl. p. 13. S. CROIX. Nil tamen mutandum in Vibio, cujus is non ſolus error eſt. Veram peccati cauſſam Claudius aperuit. O.

*Aetoliam* &c.) v. Plinius H. N. L. IV. c. 1. *Amnis Achelous*

*è Pindo fluens atque Acarnaniam ab Aetolia dirimens.* & Strabo l. c. p. 449. it. Servius ad Georg. L. IV. CLAUD. In contraria ruentem Solinum caſtigat & emendat Harduinus ad Plinii l. c. O.

*ab Acarnania*) ita legendum, non *ab Arcadia*, ut eſt in ſcripto. v. Strabo L. VIII. p. 335. ubi expreſſis verbis: ὁ δὲ Κεφαλληνιακὸς κόλπος ἀρχεῖται μὲν ἀπὸ τῶν ἐκβολῶν τοῦ Εὐήνου (τινὲς δέ φασιν Ἀχελῴου τοῦ ὀρίζοντος Ἀκαρνάνας καὶ Αἰτωλούς) . . v. & Solinus cap. 13. & Stephanus in Ἀκαρνανία. GRONOV. Achelous hodie *Aſpri*, itemque *Catochi* & *Geromlea* ſalutatur, ut refert Brietius in parall. Geogr. vet. & nov. T. II. p. 417. ab accolis *Pachicolamo* dici Ortelius refert. Praeter vetera ejus nomina, ſuperius a Claudio relata, occurrit & *Calydonii* amnis, quo mactatur ab Ovidio Metam. L. VIII. v. 727 & L. IX. v. 2. Alterum Acheloum, ad Lamiam qui fluxit olim, in tabulis Cellarii aliiſque fruſtra quaeſieris; exhibet d'Anvillius. O.

## Arar

*Germaniae*) *Galliae* Simlerus: recte quidem, ſed Vibium reſpexiſſe valde ſuſpicor Virgilium Ecl. I. v. 63. *Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.* de quo conſulendus eſt Nannius, de la Cerda, Ruaeus, Emmeneſſius. Eorum autem poſtremus enarratorum cur *Voſegus* malit quam *Vogeſus*, nulla cauſa eſt: ſiquidem *Vogeſus* conſtanter fere exaratus fuit apud Caeſarem comm. de bell. Gall. libr. IV. cap. 10. & Lucanum libr. I. verſ. 397. Quin vide Cellarium geogr. antiq. libr. II. cap. 2. & Hortenſium ad Lucani locum. Papirius denique Maſſonus deſcript. flum. Gall. qua Franc. eſt pag. 296. qua pote cum auctoritate Ammiani Marcellini libr. XV. cap. 28. qui nec ipſe per Hadr. Valeſium judicatur non adfinis ſuſpicionis ejuſdem, adeſt Vibio. Ceterum conferri praeterea poſſunt Silius Ital. L. III. v. 451. Claudianus in Rufin. L. II. v. 111. & de Mall. Theod. conſul. v. 53. Seneca Claud. Caeſ. ἀποκολοκ. HESSEL. Quae Heſſelius de Ammiano Marcellino paullo obſcurius tradit, eo redeunt,

iſtum auctorem Ararim quoque Germaniae primae aſſignare, cujus erroris cauſam Hadr. Valeſius ex male intellecto Virgilii loco deducat. *Vogeſum* transformatum in *Voſagum* medio aevo refert Cellarius in N. O. A. T. I. In lapide apud Gruterum T. I. p. 94. *Voſegus* legitur. En illum:

VOSEGO
MAXSIIMINUS
V. S. L. L.

in tabula Theodoſiana *Silva Voſagus*. O. Ecce iterum ἀμάρτημα, non amplius Sequeſtris, ſed librariorum. Perſuadere enim mihi non poſſum, Ararim in Germania ſtatui a Vibio, tam apte fontem & curſum hujus amnis enarrante. Decepti ſunt autem librarii ex non bene percepto Virgilii verſu 63. in Ecl. I.

*Ante, pererratis amborum finibus, exul*
*Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.*

Non enim ibi illud intelligendum, ac ſi fieret oppoſitio inter Ararim & Tigrim, nequaquam: mens haec eſt Virgilii, prius omnem mutatum iri naturam, Parthum tanta confuſione perturbatum iri, ut ad Ararim fines ſuos quaerat, & contra, Germanus ad Tigrim, quam Caeſaris ipſum oblivio capiat. Poteſt & aliter recte exponi, hemiſtichia ſecundi verſus dividendo: quaſi Ararim, & ſub ejus nomine Galliam, Partho opponat; Germaniam vero Tigridi h. e. Armeniae: quae duplices ſententiae ad idem redeunt. Atque haec videtur etiam Servii ſententia fuiſſe, quem miſere laceraverunt interpolatores. *Itaque*, dicit, *per Tigrim & Ararim vult diverſa loca inter ſe ſignificare. Dicit enim prius Parthum ex Arare bibiturum, & Germanum ex Tigri &c.* Haec quidem verba ſana ſunt, ſed praecedentia ſunt valde corrupta. Quid enim haec ſibi volunt; ad vocem *exul: id eſt Parthus & Germanus. Caeſar ſcilicet, quo duce Germanis & Parthis victis, milites Ararim Germaniae flumen biberunt.* Quiſnam ſenſus in his verbis? ſi enim biberunt ex Arari Parthi &c. cur illud adeo impoſſibile praedicat Virgilius? adde, quod & in eo gloſſemate Arar in Germania ponatur, quem ta-

men ſtatim in ſequentibus diſtincte Servius *fluvium Galliae*, *fluentem in flumen Rhodanum* dicat. Falſus etiam ad hunc locum Sabinus, qui *more paſtorum haec a Virgilio cani autumat*, *quaſi ſponte Ararim in Germania ſtatuerit*, *Tigrim in Parthia*. Apage fidem adhibeas; vide contra, quam nobilis ſenſus evadat ex illa, quam adſcripſi, expoſitione. Majorem adhuc Sabino errorem commiſit Iſidorus Origin. libr. XIII. cap. 21. *Araris fluvius Germaniae, de quo Virgilius: aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim. Currit enim Tigris per Parthiam & Aſſyriam.* De Arari vero qui plura voluerit, adeat Lloid in Dict. geograph. CLAUD. Ex Alpibus derivat Ararim Strabo L. IV. p. 186. & in deſcribendo ejus curſu peccat, notatus eapropter Palmerio. Demum Arar fluvius, Plutarcho, ut vulgo putatur, teſte, olim dictus fuit *Brigulus*: in quo quum vitam amiſiſſet quidam Arar, hujus nomen aſſumſit, mutatum deinceps cum nomine *Sauconna*, quod jam ſaeculo quarto apud Ammianum Marcellinum legitur L. XV. c. 11. Apud Gregorium Turon. dicitur *Saugonna* & in actis SS. d. 25. Maji *Segonna*. v. Ducange. Nuperus auctor, Chevalier, in hiſtoire de Poligny (T. I. éclairciſſ. prélimin.) Celticum hoc nomen eſſe perhibet. Nunc *Saone* vocatur. Lenem fluvii decurſum egregie pingit Silius l. c. dum *ſtanti ſimilem* praedicat. O.

## Amphryſus

*ubi Apollo*) v. Callimachus h. in Apoll. v. 48. Virgilius Georg. L. III. v. 2. Lucanus L. VI. v. 367. Statius L. I. Silv. IV. v. 105. HESSEL. add. Scholiaſtes Callimachi ad l. c. Schol. Apollonii Rhod. ad L. I. v. 54. Servius & Probus ad Virg. l. c. Quoniam de hoc amne omnia nota, illud unicum obſervare lubet, quod praeter Mythographorum receptam ſententiam ὑμνωδεῖ Callimachus Hymn. in Apoll. nempe Apollinem ad Amphryſum Admeti equas (non boves) paviſſe, neque id ob exilium, ſed propter illius Regis, quem deperibat, amorem.

Ἐξότ' ἐπ' ἀμφρύσῳ ζευγήτιδας ἔτρεφεν ἵππους
ἠϊθέου ὕπ' ἔρωτι κεκαυμένος Ἀδμήτοιο.

ad quos verſus legendus illuſtris Spanhemius, ex quo hanc fabulam ab Homero originem trahere diſces. Commemorat ejuſdem cognominis urbem in Phocide Pauſanias libr. X. cap. 36. quam ab Ambryſſo Heroë dictam vult. Scribunt autem ſaepe Amphryſum cum β. Graeci; quod docent eruditi enarratores Apollonii Rhod. dicto loco. Strabo libr. IX. pag. 435. δι' οὗ ὁ Ἀμβρυσος ῥεῖ ποταμός. CLAUD. Homeri locus, a Spanhemio excitatus, extat Iliad. II. v. 763 & 768.

Ἵπποι μὲν μέγ' ἄριστα ἔσαν φηρητιάδαο,
τὰς ἐν Πιερίῃ θρέψ' ἀργυρότοξος Ἀπόλλων.

Ad Strabonem autem minus tuto provocat Claudius; ſiquidem, Almeloveenio teſte, codices praeferunt Ἄμφρυσος & Ἄμφυρσος. Idem Strabo L. IX. p. 433. duplicata littera Ἄμφρυσσον appellat. De hodierno nomine non conſtat. Satis audacter Virgilius Aeneid. L. VI. v. 398. Amphryſiam vatem Sibyllam dicit, quod inſtinctu paſtoris ab Amphryſo ſit afflata. O.

## Alpheus

Graece Ἀλφειὸς. perperam ergo ed. Toloſ. & Flor. *Alphaeus*. HESSEL. De celebratiſſimo hoc amne perquam foret inutile quidquam obſervare, cum plenae ſint doctorum paginae. Tu vide Pauſaniam Eliacor. L. I. cap. 7. Anthologiam libr. I. cap. 73. ep. 3 & L. IV. cap. 29. ep. 2. Luciani Dial. Deor. Marin. pag. 243. Rutilii Itinerar. L. I. verſ. 565. ubi Caſtal. Barthium ad Claud. L. II. de R. Proſerp. verſ. 61. Senecam in Med. verſ. 81. Bentlejum in Fragm. Callimachi p. 330. Statium L. I. Silvar. II. verſ. 204. & ſeq. Servium & Probum ad L. III. Georg. verſ. 18. Ovidium denique in Metamorphoſ. libris, & Pindarum ſaepe, ut Olymp. α. verſ. 32. & ibi ſcholiaſt. atque rurſus verſ. 148. ex quo videbis, Pelopem ad hoc flumen ſepultum eſſe. CLAUD.

*qui per mare*) Fabula extat in Ovidii metam. L. V. cf. & Virgilius Aen. III. 694. Statius Theb. I. 270. Apollinaris Sidon.

carm. IX. v. 98. Simonides ep. Graec. L. IV. cap. 29. ep. 2. HESSEL. Veritatem rei ſecutus eſt Vibius & hoc loco & in capite de fontibus. Ferunt enim alii Arethuſam Alpheum fugientem ex Elide ad Siciliam fluere, quod tractum ex fabula. Apud Ovidium Metam. V. verſ. 493. loquitur de ſe ipſa Arethuſa.

*Nec ſum pro patria ſupplex: huc hoſpita veni.*
*Piſa mihi patria eſt: & ab Elide ducimus ortum:*
*Sicaniam peregrina colo &c.*

Virgilius ad eandem Ecl. X.

*Sic tibi, cum fluctus ſubterlabere Sicanos,*
*Doris amara ſuam non intermiſceat undam.*

& ibi Servius. *Varia enim opinio eſt: nam alii dicunt, ad Arethuſam Nympham Siciliae Alpheum de Elide venire per maria, ſecundum quos alibi dixit, Alpheum fama eſt huc Elidis amnem occultas exiſſe vias ſubter mare. Alii dicunt, ipſam Arethuſam, jam in fontem mutatam, Alpheum fugere, & de Elide ad Siciliam venire; quod nunc eſt ſecutus.* CLAUD. *Alpheus* Sophiano *Rophea*, indigenis *Orphea*, nautis Italis *Carbon* hodie dicitur. v. Brietius T. II. p. 431 & 479. *Alabo* quoque ſalutatur & in tabulis recentioribus legitur *Darbon.* v. Ortelius. Antiquo aevo itidem plura nomina habuit, ſi Plutarcho fides. Is enim, ſi quidem auctor eſt libelli de fluminibus, olim *Stymphelum* itemque *Nyctimum* fuiſſe appellatum teſtatur Alpheum. O.

## Aſcanius

Celebris hic amnis propter raptum ad ipſum a Nymphis Hylam: de quo raptu multa canunt poëtae. Vide Propertium libr. I. Eleg. XX. & ad eam paſſim Paſſeratium & Broukhus. Valer. Flaccum libr. III. verſ. 555. & ſeq. atque libr. IV. in principio. Munkerum ad Hygini fab. 14. Illud vero verbo addere placet, quod apud Servium legitur ad Aeneid. I. verſ. 271. *Sciendum eſt autem, hunc* Aeneae filium *primo Aſcanium dictum a Phrygiae flumine Aſcanio: ut eſt „ Tranſque ſonantem Aſcanium „, deinde Ilum dictum a rege Ilo, poſtea*

*poſtea Julum occiſo Mezentio.* Referunt ejuſdem nominis urbem & lacum geographi. CLAUD. Ad verſum Virgilii Georg. L. III. v. 270.

*tranſque ſonantem*
*Aſcanium . . .*

adnotat Philargyrius *Aſcanius amnis eſt Myſiae.* Quocum conſentit Strabo, qui L. XII. p. 566. habet ex Euphorione

. . . Μυσοῖο παρ' ὕδασιν Ἀσκανίοιο.

Dein ibidem & L. XIV. p. 681. *Myſiae pagum* (κώμην) *Aſcaniam dictam* docet *apud ejuſdem nominis lacum, unde etiam Aſcanius fluat amnis.* Aſcaniae ejus mentionem & Homerus facit Iliad. L. II. v. 863. Quodſi oggeras, Bithyniae, non Myſiae, vindicandum eſſe Aſcanium lacum, ad quem ſita fuerit Nicaea Bithyniae metropolis, teſte Strabone L. XII. p. 565. & Plinio L. V. cap. ult. Ptolemaeum quoque Aſcanii lacus ἐκβολὰς inter Cium ſive Pruſiadem & Nicomediam locare, reſpondebit pro nobis Strabo ipſe libro cit. p. 566. Myſos olim Bithyniam inhabitaſſe, quod variorum auctorum teſtimonio comprobat. Demum Aſcanias inſulas Troadis orae objectas memorat Plinius L. V. c. 31. Contra idem, ubi Aſcanium ſinum tangit, l. c. Aſtacenum cogitaſſe videtur Cellario, imo jam Ortelio, qui hodie forſan in tabulis dici *Aſcu* animadvertit. O.

## Achates

*ubi*) Non agnoſcit hoc adverbium Salmaſius Plin. exercit. in Solini polyh. cap. 52. p. 780. ed. Traj. ad Rhen. 1689, neque neceſſarium autumat Bochartus Chan. L. I. c. 29. p. 549. ed. L. B. & Traj. ad Rh. 1692.

*edit*) Sic & Salmaſius.

*unde*) Idem iſte Salmaſius modo laudatus *ex quo*, ſatis praecipitanter; is ceteroqui ſententiam ita recte interpretatur, ἐκ ὧν σφραγῖδες γλύφονται. Caeterum cf. Priſcianus perieg. v. 502. Silius L. XIV. v. 229. HESSEL.

Voculam *ubi* delendam hic cenſet Bochartus in Pha-

lege, inutilem esse ratus: quod non negaverim, minime tamen delendam existimo. Quam saepe enim supervacaneae apud probos auctores occurrunt voces? Suetonius Caes. cap. 7. *inter paucos dies rursus repetita Bithynia.* Sufficeret equidem verbum *repetere*, non tamen est expungendum τὸ *rursus*, ut recte ibidem sentit ὁ πάνυ Casaubonus, qui haec ex Poenulo Plauti adducit verba *Revertor rursus denuo Carthaginem.* Extat & talis locus apud Hyginum Astron. Poet. libr. II. cap. 14. pag. 381. *Pro quo facto ab regina Omphale, quae tum ibi regnabat* &c. Primum illud *regina* glossema praedicat Munkerus, cum *regnabat* sequatur, atque abesse in uno manuscripto dicit; quod me tamen non movet, ut vulgatam lectionem abdicari velim. Quod autem ad Achatem fluvium, & in eo primum inventum cognominem lapidem, adi Plinium L. XXXVII. cap. 10. & Solinum cap. 5. atque Isidorum Orig. L. XIV. cap. 6. CLAUD. Invitis membranis nolui corruptam vocem emendare; quin tamen Vibius scripserit olim, *qui*, nullus dubito, ex quo mera librariorum oscitantia istud *ubi* excluſit. De lapide Achate cf. & Theophrastus de lapidibus p. 396. & Marbodus de lap. pretios. cap. 2. Ceterum in Plinio L. III. c. 8. legebatur *Atis*, Cluverio suspectus, sed, quum codices scripti praeferant *Agathe*, Salmasius in Plin. p. 79. & Harduinus ad l. c. scite reposuerunt *Achates.* Ptolemaei Ἀχίθιος, idem forsan cum *Achaeto* Silii L. XIV. v. 269. nomen si respicias, quadraret satis; situs haud convenit. Hic tamen prorsus videtur dubius, quod quidem efficit, ut nec, quo nomine hac tempestate veniat, satis constet. Ex mente Leandri, Ortelio citati, *Cantara* appellatur. Fazella Dec. I. L. I. dicit *flumen Salsum*, sed jure suo reprehenditur a Cluverio Sic. ant. L. I. p. 201. Harduino est *Belice.* Hic ergo Achatem confundit cum Hypsa, ideo notatus a Dorvillio in Siculis pag. 78. qui *de situ Achatis*, addit pag. 80. *vel Cluverio adstipularer* (Siciliae suae pag. 201.) *versus Camarinam reponenti, vel ingenue faterer, nihil certi me scire.* In D'Anvillianis Siciliae tabulis, ubi Cellarius aliique locant

Achatem, haud ita procul a Camarina, invenio notatum flumen *Mazzaruni*, quod, num vere reſpondeat iſti, ignoro. Cluverius ex eo, quod Silius *perlucentem ſplendenti gurgite Achatem* dicit, quodque ſit in iſta Siciliae ora *Drillo*, ſi quis alius, limpidiſſimis & adſpectu maxime jucundis aquis, laudatum fluvium pro Achate habet, quod probat calculo ſuo Brietius in parall. Geogr. P. II. p. 665. Deeſt id nomen *Drillo* in D'Anvillii mappis; adſcribendum, ut puto, flumini, quod prope *S. Maria di Camarana* in mare properat. O.

## Acheron

v. Virgil. Aen. XI, 23. HESSEL. Meminit & ejuſdem Vibius in capite de Lacubus, quod inutile quis credat? Nolim: imo contra eo peritum ſe geographiae prodit noſter. Duos etenim Acherontes perhibent ſcriptores & mythologi antiqui; quorum alter, de quo nunc agit, fluvius eſt, alter lacus prope Cumas. Acheron amnis apud Mariandynos ſitus eſt, fluitque ex Acheruſia palude, vel ſpecu, ut alii volunt, quod in praeſenti indicare ſufficiet, latius de Acheronte acturus, cum ad lacuum illuſtrationem pervenerimus. Strabo libr. VII. p. 324. εἰς ὃν ἐμβάλλει ὁ Ἀχέρων ποταμὸς ῥέων ἐκ τῆς Ἀχερουσίας λίμνης. Amm. Marcellin. libr. XXII. cap. 14. *Ultra haec loca Acheruſium ſpecus eſt, quod accolae* μυχοκόντιον *appellant, & portus Acone: fluvii diverſi Acheron itidemque Arcadius.* Pomp. Mela L. I. c. 19. *In eo primum Mariandyni urbem habitant, ab Argivo, ut ferunt, Hercule datam. Heraclea vocitatur: id famae fidem adjecit. Juxta ſpecus eſt Acheruſia, ad manes, ut ajunt, pervius, atque inde extractum Cerberum exiſtimant.* Quod autem per Acheruſiam ſpecum extractum Cerberum ſcribit Pomp. Mela, illud alii de ipſo Acheronte ferunt. Vid. Spanhemius ad Callimachi Hymn. in Del. verſ. 291. Sed neque ſolum ad inferos petitum Acherontem, quod obiter indicabo, fingunt poëtae; eadem quippe de Averno & Styge canunt. De Averno Pedo Albinovanus Eleg. 1. verſ. 445.

*Ipſe tibi emiſſus nebuloſi littore Averni,*
*Si liceat, forti verba tot ore ſonet.*

ad quos verſus Virgilii locum ex VI. Aeneid. occupavit nuperus editor. Ovidius quoque de Aenea ita canit Met. L. XIV. verſ. 104.

*vivaciſque antra Sibyllae*
*Intrat: &, ut manes adeat per Averna paternos,*
*Orat.*

De Styge autem Ovidius Met. L. IV. verſ. 433.

*Eſt via declivis, funeſta nubila taxo,*
*Ducit ad infernas per muta ſilentia ſedes.*
*Styx nebulas exhalat iners . . . .*

Vocatur porro alio nomine Acheron *Sonautes*, Σοναύτης, uti tradunt Apollonii Rhod. ſcholia ad libr. II. verſ. 745. CLAUD. In Acheruſia Cherſoneſo Herculem deſcendiſſe ad inferos, referunt Xenophon de exped. Cyri L. VI. p. 374. & Euſtathius ad Dionyſ. v. 791. Herculeum iſtum laborem, quem nummus Heracleae Ponticae ſub Gordiano percuſſus ſiſtit aptiſſime, certatim nobilitarunt veterum gemmae artificum. Tu, ſi velis, Lippertina ectypa adi. De fluvio ipſo gemella Straboni habet & Thucydides L. I. c. 47. Acherontem pro ipſo inferno & inferis Diis uſurpari, notiſſimum. Quod Claudius pollicitus eſt, ſe fuſius infra de Acheronte lacu acturum, vanum id fuit, promiſſis non ſtetit. O.

## Anien

Hodie *Teverone*. Hunc fluvium a criminationibus eorum, qui aquas eum minus puras minuſque ſalubres praebere contenderant, vindicat Anton. del Re in Tiburtinis antiquit. in Theſ. Ital. T. VIII. P. IV. O. *Anien* antiquus eſt nominativus, quo uſus alicubi Silius Italicus, ut jam obſervavit Lloyd. in Dictionario. Dixit quoque Ἀυηνὸν Plutarchus in Caeſare pag. 735. uſitatius eſt *Anio*, Graece Ἀνίων. De amoeniſſimi hujuſce amnis curſu, & ſaluberrimis ad eundem Albulis aquis, vide quae habent Pauſanias Meſſenic. cap. 35.

Dionyſius Halic. libr. V. pag. 305. & Lloid laudato loco. Ut Propertium & alios poëtas ſilentio praeteream. CLAUD.

*lacui Velinorum*) Neſcio, quid faciat huc lacus Velinus, qui ab Aniene diſtat aliquantum. Equidem nihil extrico. Scriptori noſtro in primis adverſatur Plinius nat. hiſt. L. III. cap. 12. *Sabini* (*ut quidam exiſtimavere, a religione & Deorum cultu Sevini appellati*) *Velinos accolunt lacus, roſcidis collibus. Nar amnis exhaurit illos ſulphureis aquis. Tiberim ex his petens replet, e monte Fiſcello labens juxta Vacunae nemora & Reate in eoſdem conditus. At ex alia parte Anio, in monte Trebanorum ortus, lacus tres amoenitate nobiles, qui nomen dedere Sublaqueo, defert in Tiberim.* ubi vide ſis Ferd. Pintianum & Jac. Dalechampium Plinianos interpretes. Illi lacus tres Plinio memorati Simbruini lacus ſunt, ſive Simbruina ſtagna; de quibus Tacitus Ann. libr. XIV. cap. 22. *Nam quia diſcumbentis Neronis apud Simbruina ſtagna, cui Sublaqueum nomen eſt, ictae dapes menſaque disjecta erat, idque finibus Tiburtum acciderat, unde paterna Plauto origo, hunc illum numine Deum deſtinari credebant.* Idcirco adducor fere, ut credam, Vibium de lacubus Simbruinis locutum fuiſſe. Quin immo impellit me, ut omnino id credam, idem Tacitus Ann. libr. XI. cap. 13. *Fonteſque aquarum Simbruinis collibus deductos urbi intulit* (*Claudius*), ac Frontinus de aquaed. Rom. libr. II. *Nec ſatis fuit principi noſtro ceterarum reſtituiſſe copiam, ſed etiam gratiam. Anionis quoque novi vitia exſcindi poſſe vidit. Omiſſo enim flumine repeti ex lacu, qui eſt ſuper villam Neronianam Sublacenſem, ubi limpidiſſima eſt, juſſit. Nam, quum oriatur Anio ſupra Trebam Auguſtam, ſeu quia per ſaxoſos montes decurrit, paucis circa ipſum oppidis objacentibus cultis, ſeu quia lacus altitudine, in quo excipitur, velut depuratur, imminentium quoque nemorum opacitate inumbratus, frigidiſſimus ſimul ac ſplendidiſſimus eo pervenit.* HESSEL. Equidem vix dubito, quin noſter Vibius *Simbruinos* lacus cogitarit, iiſque per memoriae lapſum *Velinos* ſubſtituerit. Niſi credere malis, librariorum culpa errorem eſſe ortum. Sed conſtanter *Velinorum* exhibent codi-

ces. Ceterum Strabo etiam L. V. p. 235, ubi de origine hujus fluminis loquitur, emendandus videri poſſet. Habet is Ἀνίων, ἐκ Ἄλβας ῥέων, ubi forſan legendum ἐκ Τρήβας. Verum Cluverius Ital. ant. p. 723. ea Strabonis verba excuſat, ſimulque Vibium noſtrum ex male intellecto Plinii loco in devia abreptum ſuſpicatur. O.

*per Tiburtinorum*) Horat. L. IV. od. III. v. 10. L. I. od. VII. v. 13. L. III. od. XXIX. v. 6. Silius L. XII. v. 538. HESSEL. add. Propert. L. IV. eleg. VII. v. 86. Dionyſius Halic. L. V. c. 37. Statius L. I. Silv. v. 404. O.

*filio Apollinis*) Mire ad hujus loci illuſtrationem conducunt Plutarchi verba libro de Fortun. Romanor. pag. 315. Ἄννιος inquit, Τύσκων βασιλεὺς, ἔχων θυγατέρα εὐμορφον, τὄνομα Σαλίαν παρθένον ἐτήρει. Καθ' ὃν δὲ ἐκ τῶν ἐπισήμων ἰδὼν τὴν παρθένον πάιζουσαν, ἠράσθη, καὶ μὴ σίγων τὸν ἔρωτα, ἥρπαξε, καὶ ἦγεν εἰς Ῥώμην. Ὁ δὲ παλὴς ἐπιδιώξας, καὶ μὴ συλλαζὼν, ἤλαλο εἰς τὸν παρεσύσιον πίλαμὸν, ὃς Ἀννίων μετωνομάσθη. Illud autem, quod addit Vibius, hunc Anienem eſſe Apollinis filium, qua auctoritate fretus proferat, ignoro: confudit forſan cum Aniene rege Deli, ſacerdote & filio Apollinis: de quo Ovidius & Diodorus Siculus. CLAUD. Itaque ab Anio Tuſcorum Rege nomen quaeſitum Anieni. Rex Deli, quocum Tuſciae regem confundit Vibius, itidem Anius non Anio dictus. v. Diodorus Sic. L. V. p. 229. & Dionyſius Hal. L. I. Virgilius Aen. III. v. 80. O.

## Allia

Paulo fuſius haec tradit Boccacius, qui *non amplius XI. mill. paſſuum ab urbe diſtare* ſcribit. O. Non convenit haec Vibii ſupputatio cum diſtantia, quam ad Alliam ab Urbe tribuunt Livius & Plutarchus, probatiſſimi auctores: hic enim libr. V. cap. 37. Alliam ad XI. lapidem a Roma, ille vero in Camillo pag. 137. ad XC. ſtadium ponit; quod idem eſt. (quapropter optime σταδίους ἑνενήκοντα, *undecimum lapidem* reddidit Xylander.) Cum hoc ergo intervallum ve-

rum ſit, non abſque ratione Sequeſtris numeros a librariis vitiatos fuiſſe, licet ſuſpicari: Vibium enim in re tam nota lapſum, haud inducar, ut credam. CLAUD.

*ubi Galli*) de Gallorum victoria v. Virgilius Aen. L. VII. v. 717. Ovidius de art. am. L. I. v. 413. Rem. am. v. 220 Lucanus L. VII. v. 408. Silius L. VIII. v. 649. HESSEL. Imo talis poſt hanc cladem orta Romae conſternatio, ut fuſis deinde Gallis Allienſem diem pro inauſpicatiſſimo in faſtos retulerint. Varro de L. L. libr. V. pag. 50. *Allienſis dies ab Allia fluvio dictus: nam ibi exercitu noſtro fugato Galli obſederunt Romam.* Quin & ejus nomen infauſtum. Minucius Fel. pag. 7. *Sic Allia nomen infauſtum.* & apud Ovidium in Ibin, *gravis Allia.* Feſtus. *Allienſis dies dicebatur apud Romanos obſceniſſimi ominis.* Sed haec nota. Id nomen deinde ad quoſvis infelices dies deduxerunt Romani; ut ex Inſcriptione 13. Claſſ. VII. apud Reineſium clarum fit. CLAUD. Quiſnam hodie fluvius reputandus ſit pro vetere Allia, diſceptatur. Blondus ſcribit, nonnullis videri *Curteſio.* Leander vocat *Caminate* & alio in loco *Rio di Moſſo.* v. Ortelius itemque Brietius. Hic rivulus *di Moſſo* arridet etiam Cluverio & Holſtenio, quippe qui, ut Livius ſcribit, *praealto alveo in Tiberim defluit.* Ceterum in mendo cubare ſupputationem Sequeſtris oſtendit Cluverius Ital. ant. L. II. p. 709. O.

## Araxes

v. Sidonius carm. VII. v. 74. Lucanus L. VII. v. 188. Statius L. I. Silv. IV. v. 77. — Ceterum in aliis legitur *Arabiam*, quodſi retineatur, videndum eſt, quam in hoc apte quadret Xenophontius *Araxes* Cyr. exped. L. I. pag. 151. ἐντεῦθεν ἐξελάυνει διὰ τῆς Συρίας σταθμοὺς ἑννέα, παρασάγγας πεντήκοντα, ἐς ἀφικνεῖται πρὸς τὸν Ἀράξην ποταμόν. ἐνταῦθα ἦσαν κῶμαι πολλαὶ μεσταὶ σίτου καὶ οἴνου, ἐνταῦθα ἔμειναν ἡμέρας τρεῖς καὶ ἐπισιτίσαντο. ἐντεῦθεν ἐξελαύνει διὰ τῆς Ἀραβίας τὸν Εὐφράτην ποταμὸν ἐν δεξιᾷ ἔχων, σταθμοὺς ἑπτὰ ἐρήμους πέντε, παρασάγγας τριάκοντα καὶ πέντε. Hunc *Araxem* putat Sam. Bochartus Phal. L. II. cap. 11. *Chaboram* eſſe, Cellarius autem geogr. antiq.

L. III cap. 15. *Saocoram:* de quibus fluviis Ptolemaeus L. V. cap. 18. agit. In hac cauſſa mihi aqua haeret. Ceterum bene habet editio vulgata. HESSEL. Iſidorus orig. L. XIII. c. 21. *Araxis amnis Armeniae, qui ab uno monte cum Euphrate diverſa ſpecie oritur. Dictus, quod rapacitate cuncta conſternat. Unde & cum Alexander eum transgredi vellet ponte fabricato, tanta vi inundavit, ut pontem dirueret.* Convenit haec Araxis deſcriptio cum eis, quae Strabo ſcribit L. XI. quod eo magis obſervandum eſt, quod maxime varient in ejus curſu enarrando geographi. Thermodontem enim, Phaſim atque Tanaim ex eo fluere canit Orpheus Argonaut. verſ. 747. Collocat in Scythia ſcholiaſtes Apollonii Rhod. L. IV. verſ. 133. Thermodontemque ipſum Araxem nominari ſcribit: ſic enim loquitur. Ὁ δὲ Ἀράξης πόλεμος Σκυθίας. Μητρόδωρος μὲν ἐν πρώτῳ τῶν περὶ Τιγράνην τὸν Θερμώδοντα Ἄραξιν φησὶ λέγεσθαι. Peneum vero Araxem appellari, obſervat Spanhemius ad Callim. Hymn. in Del. verſ. 105. Quapropter variis amnibus idem nomen Araxis inditum, ſolidiſſimis rationibus adſtruit If. Voſſius ad P. Melam L. III. cap. 5. quem omnino reſpiciendum moneo. CLAUD.

*a Medis dividit*) Savaro ad Sidonii carm. II. v. 441. *ab Indis dividens.* Haec item lectio, neſcio unde ex abdito eruta, pugnat cum reliquis verbis; quin imo, ſeparata quamlibet extra illa, ne in Araxem quidem aut Margianum aut Perſicum poteſt accommodari. Veruntamen receptam lectionem ſequitur ad Sidon. carm. VII. v. 75. Savaro. HESSEL. Pars illa Mediae, quam ab Armenia ſejungebat Araxes, tempore Herodoti dicebatur Mantiene. v. Herod. L. V. c. 49. Everſo per Alexandrum imperio Perſarum dicta eſt Atropatene v. Strabo L. XI. p. 523. denique ſub Parthis ſuperior Media ſalutata eſt. v. Iſidorus Charac. p. 2. inter Geogr. min. S. CROIX.

Invitis membranis legendum hic *Armeniam.* Vix enim credendum, ex Xenophonte ſua hauſiſſe Vibium, qui Poëtarum (Latinos maxime intelligendos cenſeo) lectionem ſectatum ſe teſtatur. Nomen Araxis, rapidi tor-

rentis naturam vel ſono exprimit, Perſis tritum & amnibus multis commune fuit. Herodoto L. I. c. 201. aut Oxus eſt. aut Rha, hodie *Wolga*, aut Rhymnus, hodie *Jaïck*, cf. S. Croix in eximio opere, quo eorum, qui vitam Alexandri M. ſcripſere, cenſum egit. pag. 297. Xenophonti Chaboras vel Saocoras Meſopotamiae; Straboni L. XV. p. 729. & Curtio L. V. c. 4 & 5. alius prope Perſepolin; Thermodon quoque Ponti & Peneus Theſſaliae Araxes appellati olim, Is, cui magis id nomen adhaeſit prae ceteris, quemque cum Vibio Mediam ab Armenia ſejungere ſcribunt Plutarchus in M. Antonio & Plinius L. VI. c. 13. graphice deſcribitur a Pomp. Mela L. III. c. 5. Armeniam hodieque ab Aderbigiana ſeparat, *Aras* ſalutatur, geographo Nubienſi quoque dictus *Roſs*, & in Caſpium mare delabitur. Diverſimode tamen nominari ab aliis teſtatur Ortelius, qui & antiqua ejus nomina adfert. O.

## Atheſis

v. Silius L. VIII. v. 597. Virgilius Aen. L. IX. v. 680. HESSEL. Servius ad Aen. l. c. *Atheſis Venetiae fluvius eſt, Veronam civitatem ambiens & in Padum cadens.* Egregia multa habet ad hunc Virgilii locum la Cerda, ex quo ad verbum omnia mutuatus eſt Lloid in Dictionario. CLAUD. Atheſis hodie *Adige*, *Adeſe* item *Etſch*. In Veronenſi hiſtoria Torellus eundem cum *Atriano* Ptolemaei eſſe perhibet; verum hic, ab Hadria, quam adluit, dictus, rectius convenit cum *Tartaro* Taciti Hiſt. L. III. c. 9. & vel nunc idem hoc nomen ſervat; Euſtathio & aliis contra eſt *Adrias*. Plutarcho *Atheſis* dicitur Ἄτισων; in Peutingeriana tabula vocari *Aſeſia* per manifeſtum errorem, notat Cluverius Ital. Ant. L. I. p. 139. At ſalva res eſt. Editorum id mendum fuit. Franc. Chriſt. de Scheyb ex ſegmentis Vindobonenſibus expreſſit *Ateſia*, ubi etiamnum diſpiciendum reſtat, annon adſit *Ateſis*. Quod ni fuerit, a librario homine, qui tabulas deſcripſit, facile potuit in hac voce aberrari. Contra, aliud peccatum eſt Tabulae Theodoſianae, nullo modo excuſandum, quodque

apud Servium & Vibium noſtrum occurrit idem. In Padum cádentem ſiſtit illa Atheſim, praedicant hi; at is profecto ſuo ſibi alveo in Hadriaticum deproperat. cf. Cluverius l. c. qui & laboranti Strabonis loco medicam manum adferre nititur. O.

## Amaſenus

Secedit heic recte Sequeſter a Servio, qui ad Virgilii Aen. L. VII. v. 685. *Amaſenus*, dicit, *eſt fluvius, qui Anagnienſes agros inrigat.* Ab Anagnienſi agro aberat Amaſenus. Fraudi fuit Servio, quod Virgilius praecedenti verſu de Anagnia erat locutus. Ubinam autem Cluverius Ital. ant. L. III. p. 1008. recitatis Servii verbis addita invenerit iſta: *fluvius vicinus civitatis Preivernatium*, equidem haud intelligo; in commentariis Grammatici non leguntur. Quo nomine hodie veniat Amaſenus, patet inde ex ſententia Holſtenii, quod *Piperno*, Priverni locum occupans, fluvio *Baudino* vel *Badino* rigatur. Brietio tamen eſt *Toppia*, Georg. Fabricio in libro itinerum aliiſque *il fiume di Abbatia.* Irrepſerat & in Siciliam *Amaſenus*, idque eorum vitio, qui Ovidio Metam. L. XV. v. 279. ipſum obtruſerant; verum, detecta fraude ex Strabone & nummis, ſede pulſus eſt a Fulvio Urſino atque loco cedere juſſus *Amenano*, vere Siculo, quem hodie *Giudicello* dici & in Catanenſium nummis caput juvenile cornutum prae ſe ferre teſtatur Ill. Caſtellus P. T. M. in Proleg. Inſcr. Sicil. p. XXVIII. O.

## Aufidus

v. Horat. L. IV. od. 14. v. 25. HESSEL. Aufidus nunc *Ofanto*, item coaleſcente articulo *Lofanto* ſalutatur. Canuſium, cui hodie nomen *Canoſa*, attingere ſcribit Mela L. II. c. 4. Caeterum, ut ſolet, e Servio ſapuit noſter, qui ad Virgilii Aen. L. XI. v. 405. eadem tradiderat. Praeconium *tauriformis*, quo aufidum mactat Horatius, P. Burmanni ſententiam egregie firmat, qui tauros in nummis veterum frequenter flu-

vios ſignare exiſtimat. Ei adſtipulatur Vir ſummus Caſtellus P. T. M. in opere Inſcr. Siciliae proleg. pag. XXVII. O.

## Alyntos

Non memini hujus fluminis alibi mentionem fieri: verum, quod hic dicitur, id convenit ad flumen, ſive Heletis placet, ſive Haletis; de quo Cicero ad Attic. libr. XVI. epiſt. 7. *Nam XVI kal. Sept. quum veniſſem Veliam, Brutus audivit: erat enim cum ſuis navibus apud Heletem fluvium citra Veliam millia paſſuum* III. & ad famil. libr. VII. epiſt. 20. *Tu, ſi me audies, quem ſoles, has paternas poſſeſſiones tenebis, (neſcia quid enim Velienſes verebantur) neque Haletem nobilem amnem relinques, nec Papirianam domum deſeres.* HESSEL. Elea, olim Ὑέλη, quae & Velia, urbs & ipſa Lucaniae, Parmenidis & Zenonis patria, forſan a fluvio, quo rigabatur, *Eleete*, nomen accepit, teſte Strabone L. VI. p. 252. Is idem eſt cum *Halete* vel *Helete* Ciceronis. Quod autem Vibius eum Lucaniam a Velienſibus dividere refert, id ex Strabone intelliges, qui loco memorato Eleatas & Lucanis & Paeſtanis pares fuiſſe, imo ex contentione cum eis ſuperiores diſceſſiſſe ſcribit. Nomen *Alynti* vel *Alinti*, aut forſan *Alenti* non ex ſuo cerebello effinxiſſe Sequeſtrem illud probat, quod hodieque *Halente* id flumen dicitur. Cluverius etiam a recto caſu Ἅλης gemino modo Ἅλητος & Ἅλεντος obliquum factum autumat Ital. ant. L. IV. p. 1260. — Ex Ἅλεντος itaque *Halentus*, *Halintus* vel *Alintos* ſucceſſu temporis ortum. O.

## Aſinius

Hunc credibile eſt eundem eſſe atque *Aſinem* apud Plinium H. N. libr. III. cap. 8. *Promontorium Drepanum, colonia Taurominium, (quae antea Naxos) flumen Aſines, mons Aetna nocturnis mirus incendiis.* & *Aſinarum* apud Plutarchum in Nicia pag. 541. Οὐ μὲν ἀλλὰ καὶ τὴν νύκτα διεκαρτέρησε, καὶ τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν προήει βαλλόμενος πρὸς τὸν Ἀσίναρον ποταμόν, de Tauromenitanis v. Pintianum ad Plinii l. c. HESSEL.

Eſt *Aſines*, uti obſervavit Lloydius; non *Acis*, uti male Dalechampius ad Plinium l. c. GRONOV. Suo more heic rurſus duo fluvios confundit noſter. In Catanenſi agro eſt *Acis*, in littore Tauromenitano *Aſines* vel *Aſinius* vel Ravennatis anonymi *Aſignus*. Jam autem Tauromenium a Catana millia paſſuum triginta amplius & Acis ab Aſine octodecim circiter diſtat. Aſinium Thucydides L. IV. c. 25. *Aceſinem* vocat, ubi veretur Cluverius Sic. Ant. L. I. c. 6. ne corruptum ſit nomen a librariis, Aceſinem ex Scythia & Indis, apud quos memoratur Plinio L IV. c. 12. & L. VI. c. 20. aliiſque eo transferentibus. *Cantara* hodie vocatur *Aſinius*, Fazellam & Harduinam ſi audias; negat Cluverius, *frigidum*que potius *flumen* ſive *il fiume freddo* nuncupari contendit, & *Cantaram* Vibii Taurominium eſſe ſtatuit, conſentiente Dorvillio in Siculis T. I. p, 254. O.

## Ancus

Duplicem difficultatem hic movet & loci depravatio & nominum obſcuritas, quae Cl. Lloydium & alios ab emendatione horùm verborum abſterruerunt. Conjecturas qualeſcunque meas indicabo — primum corruptam eſſe primam vocem nullus dubito, cum *Aneci* nemo Geographorum in deſcriptione Siciliae faciat mentionem; unde mutatis duabus litteris mediis, veroſimile mihi fit, reſtituendum eſſe *Anapus* vel *Anapos*, aut ſi mavis, *Anopus*, quod cum ſequentibus apte convenit & alio ejuſdem Vibii in lacubus loco, *Cyane*, inquit, *Syracuſis*, *per quam Anopus tranſit per Stygiam paludem*, hic enim amnis Syracuſas praeterlabitur, uti ad Idyll. I. Theocriti v. 68. docent enarratores antiqui & Aelianus V. H. L. II. c. 32. atque alii multi. Quod hoc flumen porro tria habet nomina pro varietate locorum ubi fluit, id praeter Vibium nullus, quod ſciam, monuit. Vocabulum *Ano* corruptum crediderim & emendandum *Anopos*, ut ſupra; librariorum errore commiſſum eſt hoc mendum, qui ultimam ſyllabam, propter ſimilitudinem cum vocula *poſt*, omiſerunt. Primo igitur abſolute *Anopos* appellatur, poſt *Anopos caenos:*

ignotum eſt illud nomen, cui aperiendo ſolus Ravennas Anonymus lucem fert; hic enim in enumeratione fluviorum Siciliae quendam *Anopoſalios* appellat, qui idem mea ſententia cum *Anopo caeno*. Nam *caenos* vel καινὸς vox Graeca eſt, ſignificatque *novum*, ſicut *Anapos alios*, Latine *recentem* h. e. *alium* denotat. Firmant autem interpretationem praecedentia verba Vibii, hoc nempe flumen *per duo millia paſſuum ſub terra mergi, & ad Syracuſas rurſus emergere*. Jam, ſi quis miretur, noſtrum Graeco vocabulo uti, afferam & alium ipſius locum, in quo & de Siciliae urbe agit: is eſt de Tauromino; a quo dictum ait *oppidum Taurominium, quod oppidum aliter Euſebon chora dicitur;* ſic enim emendandum ibi oſtendemus. Ita illuſtrari poſſe obſcuriſſima alias verba videtur; ſi meliora alii indicaverint, mea lubens damnabo Quid autem ſit *Anotiſphoros*, ignorare me plane fateor. CLAUD. Divellendum eſt illud male conjunctum *Anotiſphoros*, aut *Anapoſolios*, uti Boccacius legiſſe videtur, vel uti in codice MS. legitur, *Anatosſalos*, unde effingo *Anapos palaios*, ſic ut ſenſus ſit appellari Anapum modo καινὸν, modo παλαιὸν, partemque inferiorem καινὸν, ſuperiorem παλαιὸν dici, uti alias fluvii παλαιὸι nuncupantur, quod vel ex Rheno hanc urbem alluente, vulgo *den ouden Rhijn* dicto, diſcere poſſumus. *Palaeſcamander* commemoratur & Plinio lib. V. c. 30. Lego itaque totum articulum Vibianum de Aneco ita, *Anecus Siciliae . . . appellaturque Anopos, & poſt Anapos* καινὸς, *ſuperior Anapos* παλαιός. Niſi forte in voce *ſuperior* hoc lateat, ſupra factam eſſe hujus fluvii mentionem, nam ita in Boccacio legitur, *Anapis Siciliae fluvius eſt leniter fluens. Hunc quidam Anapaſolios vocant.* Et dein, novo titulo, *Anecus Siciliae fluvius eſt . . .* RELAND. Quae elegantiſſimus Claudius notat de *Anopos caenos*, non reprobo; diu tamen apud Ravennatem Anonymum pro *Anopoſalios* mihi placuit *Anopos avios* vel *avius*. *Alius* ibi, ut verum fatear, flacceſcit, *avius* vel *avios* elegans eſt & epithetum continet, quod pulchre exprimit τὴν Anapi ἰδιότητα; abditos nempe fluvii ſeſe occultantis receſſus, in quibus revera aliquid peculiare & memoratu dignum. Haec autem

ſi vera ſit ſuſpicio, fors *Anopoſcenos*, quod in MS. Revii repperit Heinſius, vulgatum *Anopos caenos* ſarcinulas colligere jubet. Eleganter enim Anopus, ubi terrae viſcera petit & per duo millia paſſuum ſe oculis viſentium ſubtrahit, dictus *Anopos* κενὸς, quia ita occulte fluens eſt quidem unus idemque Anapus, ſed κενὸς & evanidus, dum nulla fluminis exhibet veſtigia. Nihil accommodatius. Jam pro *Ano, poſt Anopos* recte Claudius *Anopos, poſt Anopos*, ut nemo inficiabitur, cui ullus eſt rei Criticae guſtus: in ipſo initio an ſimiliter legendum ſit, dubito; fluvius antea dictus ſit *Anecus*, poſt *Anapus* vel *Anopus*, quid obſtat? An altiſſimum illud de Aneco ſilentium? Sed ita ſentias, nolim, ubi tot antiqua apud Plutarchum reperiuntur fluviorum nomina, quae ille itidem nunc commemorat ſolus, & de quibus tamen ambigit nemo. Igitur *Anecus* fortaſſe genuinum eſt & probum. Tandem propudioſum illud *Anotiſphoros* muto in *Anopoſphoros:* ſcilicet ut *Boſphorus* maris dicitur anguſtia, quae bovis natantis recipit trajectum eique viam aperit, ita pars fluvii & alveus Anapi *ſuperior*, qui Oceano proximus, ratione loquendi non admodum diſſimili dictus, *Anapoſphorus*, quia Anapum, ubi e terra iterum emergit, deducit quaſi eique in mare procurat tranſitum: uno verbo Boſphorus bovis, Anapoſphorus Anapi trajectus. Quid, quaeſo, probabilius? Hinc autem ſententia noſtra de *Anapo* κενῷ pulchre, ut mihi videtur, ſtabilitur. Nam, ſi pars fluvii *inferior*, ut nunc ita loquar ad mentem Vibii, antequam latebras quaerat, dictus ſit *Anopus*, pars autem *ſuperior*, ubi e terra iterum erumpens miſcetur mari, *Anapoſphorus*, intermedia ſane, quae ſic ſola reſtat, eleganter, ſi quid in his video, dici potuit *Anapos* κενὸς, vix autem ac ne vix quidem *Anapos* καινός. I. CORN. DE PAW. *Anecus* MS. *Ancus*. forte legendum *Anapus:* hic eſt ex fluviis Siciliae & proximus Syracuſis. Ovidius Metam. L. V, 417.

*Et me dilexit Anapis.*

Ita quidem Nob. Heinſius, ſed *Anapus* praeſtat, quod eſt nomen viri. Aelianus V. H. L. II. c. 33. Καὶ ἐν Σικελίᾳ δὲ

Συρακόσιοι τὸν Ἄναπον ἀνδρὶ εἰκάσαν· τὴν δὲ κυανῆν πηγὴν γυναικὸς εἰκόνι ἐτίμησαν. Apud Ovidium loquitur Cyane dilecta Anapo, non Anapi. *Anopos caenos* & *Anotiſphoros* Graeca eſſe videntur & malo legere: *appellaturque* Ἄναπος κενὸς, *ſuperior* Ἄναπος φανός. Nam MS. habet *anatos faeos*. Syracuſani Graece loquebantur & videtur Vibius ſermonem Syracuſanorum ſecutus: Ἄναπος κενὸς, *Anapus vanus vel inutilis*, hoc eſt, per duo millia paſſuum ſub terra labens. Nam fluvius terra ſe condens *inutilis*, imo magis nocet, quam prodeſt. Superior Ἄναπος φανὸς, *Anapus limpidus vel liquidus*: nempe fons Cyane, qui erat Anapus ſuperior: & ſolent fontes limpidas aquas producere juxta vulgatum

*Dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquae.*

Heſychius: Φανὸν, τὸ φαινόμενον, φωτεινὸν ἢ λαμπρὸν. Haec explicatio Heſychii aptiſſima eſt fonti Cyanae ſive ſuperiori Anapo. Quae dico, poſſunt juvari ex ſcholiaſte Theocrlti ad Idyll. I, 68.

Οὐ γὰρ δὴ ποταμοῖο μέγαν ῥόον εἶχεν Ἀνάπῳ

Ubi ſcholiaſtes: Ἄναπον δὲ εἴρηται, ὡς ἄνευ πόσεως ὢν ἢ βλητρὸν ἔχων ὕδωρ ἢ παρὰ τὸ τοῖς ποσὶ μὴ διαβατὸς εἶναι. quae Doctiſſ. Lloydius falſa putat & ἀσύστατα, quod parum liquet. Ἄναπον ἄνευ πόσεως ὄν, *Anapus ſine potu eſt*, ubi terram intrat: βλητρὸν ἔχων ὕδωρ *exiguam habens aquam* eſt Cyane ejus fons. Ovid. Metam. L. V, 435. de Cyane.

*Pectoraque in tenues abeunt evanida rivos.*

GRONOV.

Sed nares meas ferit ſpiritus quidam aſper & teter ex Sicilia; propudioſum illud *anotiſphoros* ſecum vectans; in quo ceu ſcopulo, vix e portu ſolvens, Pavonini ingenioli cymba naufragium fecit; forte, quia in talibus allidere non adeo periculoſum arbitretur: peſſimum tamen omen futurarum calamitatum fuiſſe adparet! intelligo omnium primam notulam Pavonis in haec Vibii verba: *Anecus Siciliae* &c. Ubi poſt alias inanias, de quibus nunc nihil dicam (e. g. quod defendat *Anecus*, cum in duobus codicibus *Ancus*, quo modo & meus liber; quod ſomniet *Anopos caenos* eſſe mu-

tandum in *Anopos* κενὸς, cum codices conſtanter habeant *caenos*, καινὸς & *Anopos* boni commatis putet, haec effutit: „ Tandem &c. (v. Corn. de Paw verba modo relata); Haec nota tam ſingulari doctrina ſane referta eſt, ut Pavum credam per quindecim brumales noctes ipſi doctrinarum Deae παλλάδι Ἀθήνῃ incubuiſſe. Primo enim diſcimus, inſulam Siciliam in oceano ſitam eſſe; & in eum ſe exonerare Anapum, non in majorem portum Syracuſanum. Nam Geographice, & ut jam tum meditans novam Stephani περὶ πόλεων editionem, hic loquitur Pavo, non poëtice; qua lingua ſane Oceanus aliquando mare mediterraneum notat, ſed qua ſemel modo in aevo utitur Pavo, . . . . . Secundo diſcimus φόρος hic notare *trajectum*. Ego putaram πόρος, unde πορίνω, id notare: at giganteum illum ſanctum χειροφόρον dictum, quia ſacrum onus humeris per flumen Jordanis transportaſſet, & ſane *alveus ſuperior* Anapi apte dici videretur *Anapoſphoros*, quia ita humeris quaſi Anapum fluvium veheret, nec inconcinne alvei dicantur *vectare*, *vehere aquas*. Tertio hinc diſcimus, Graecos ſolere integra, non in fine fracta, vocabula componere; quare codices omnes corruptos puto in voce χειροφόρος & ſimilibus. Scribendum enim χειροσφόρος ut Ἀναποσφόρος, ſic enim quoque ipſum illud βοσφόρος, ſic σιλατφόρος & σακετφόρος & alia. D'ORVILLE *in critica vannu* p. 71 ſq. In loco vitiato & tot doctorum virorum conjecturis vexato id modo nobis licere duximus, quod codices ſcripti tuentur. Itaque *Ancus* repoſuimus pro *Anecus*, reliqua, ut leguntur in editione Heſſelii, ſervavimus eadem. Neque Cluverius heic ullam medelam afferre malo eſt auſus, imo parum abeſt, quin locum, qualis extat, ſuo calculo probet. Ita ille Sic. ant. L. I. c. 13. p. 176. „ Anapus hodieque „ tempore aeſtivo VII. circiter millibus paſſuum ab oſtio ſeſe „ cuniculo condens poſt V. tandem millia renaſcitur; limpi- „ diſſimisque hinc aquis atque profundis in mare devolvi- „ tur. Vocabula illa ejus apud Vibium plurima ſui parte „ eſſe vitiata, jam dudum ſuſpicati ſunt viri docti. Superior

„ periot tamen ejus pars a fonte adpellata fuiſſe videtur „ *Antiſphorus* (legendum hic *Anotiſphoros*): media, qua „ ſubter terram fluebat, *Anos:* extima, ad mare uſque *Ana-* „ *pos.* „ Non profecto ſatisfaciunt haec Cluverii, nec tamen meliora ſunt in promptu, quae afferam. Subinde ejus fluminis mutata eſſe nomina, ex anonymo Ravennate quoque patet, cui eſt *Anapoſalios.* Perperam inſcia plebecula Alphei nomen hodie *Anapo* tribuit. *Il fiume d' Alfeo* dici, teſtatur Aretius; erroris cauſſam ex fabulis priſcis aperit Dorvillius in Siculis T. I. p. 182. Syracuſanum rigare agrum hunc noſtrum Anapum ex Cyane intelligitur fonte, qui in eodem potabatur, Plinio teſte L. III. c. 8, & quocum aquas ſuas miſcebat iſte, ut refert Ovidius L. II. ex Ponto ep. X. v. 26. Syracuſas inter & ſuburbium Olympicum in portum magnum infunditur. Illyrica quoque regio itemque Acarnania ſuum ſibi Anapum habuit. Ab iis omnibus probe diſtinguendus Anapis vel Anapias, Catinenſis homo, cujus & Amphinomi fratris pietatem in parentes, memoratam Straboni, nummi quoque Siculi celebrant apud Parutam & Carreram. Conferendus omnino Burmannus in comm. ad. NN. Dorvillii p. 314 & 318. Nummus tamen Parutae 78 tabulae XXXII, qui adverſa parte Amphinomum, averſa Onapiam exprimit, ſuſpectus eſt Ill. Caſtello P. T. M. in prima aggiunta alla Sicilia numiſmatica di Fil. Paruta, quae extant tomo XI. de'i opuſcoli di autori Siciliani. O.

## Alabis

Cellarius, magiſtro forſan & duce Bocharto Chan. L. I. c. 28. p. 538. *Alabon* probat, G. A. L. II. c. 12. §. 20. quippe ſic Diodorus Sic. L. IV. c. 80. & Stephanus Byz. in Ἀλαβών. *Alabis* vocatur Silio Ital. L. XIV. v. 228. *Alabus* Ptolemaeo L. III. c. 4. ac Plutarcho Timol. p. 252. ubi Ἄβολος pro Ἄλαβος trajectione litterarum.

*devaſtat*) Cellarius *devaſtabat;* bene, uti credo. HESSEL.

*Alabis*) Quandoquidem Vibius ſua e Latinis maxime fontibus hauſit, credo cum Silio legiſſe *Alabis*, fitque id eo veriſimilius, quo propius ad *Alebin* ſcriptorum codicum accedit, ex quo facillima ulterior corruptio. Rejiciendum certe τὸ *Alachis*. Quod Boccacius ad *regionem* adjicit *fertilem*, id vix eſt, quin penitus probem; praeſtat ſane quam τὸ *dilatavit*, quod in ſcriptis reperitur. Notandum autem, Megara Siciliae, Syracuſis ſat propinqua, intelligenda eſſe, non Megara Helladis. Alabim hodie *la Cantara* dici, auctor eſt Caſtellus P. T. M. neque dubitat, quin antiquus Megarenſium nummus hunc quoque fluvium ſub forma tauri faciem humanam oſtendentis ſiſtat. Eum ex Pellerini tabula CX. in ſeconda aggiunta di medaglie alla Sic. Num. di Paruta exhibet T. XII. de'i Opuſc. di Aut. Sicil. *Alabontem* urbem Hiſpaniae habet Antonini Itinerarium, quam *Alabam* Ptolemaeus vocat; *Alabum* oppidum Britanniae Ravennas recenſet anonymus. O.

## Acis

v. Silius It. L. XIV. v. 222. Claudianus de raptu Proſ. L. III. v. 332. Theocritus Idyll. I. v. 68. Pro *egiſſe* Munckerus ad Lactant. narr. fab. L. XIII. fab. 8. mavult *jeciſſe*. HESSEL. Ἄκις, ποταμὸς ἐν Κατάνῃ. Sic Heſychius, cujus verba laxius interpretanda; ſiquidem is fluvius a Catana octo millibus paſſuum diſtat, teſte Cluverio L. I. p. 116. Herbiferum dicit Ovidius L. IV. faſt. v. 468, ſacrum Theocritus Idyll. I. Idem Idyll. XI. frigidam aquam ei tribuit, quam expertum ſe teſtatur Cluverius, quamque autumat eſſe in cauſſa, ut Fazellus, Leander aliique in deſcriptione Siciliae eundem putarint Acim cum eo flumine, quod hodie vernacula *il fiume freddo* ſalutant. Verum id paulo ante Aſinio convenire magis oſtendimus. Acis itaque priſtinum nomen obtinet, *Aci*, *Jaci*, *Chiaci*, *Ghiaci* dictus. Dorvillius in Siculis T. I. p. 250. Caeterum vindicat lectionem Vibianam Burmannus ad Valer. Flaccum L. II. v. 179. & ad Vellejum

Paterc. L. II. 80. p. 438. Eandem firmat & Statius, qui L. VI. Theb. v. 717 ſic:

*Quale vaporifera ſaxum Polyphemus ab Aetna*
*Lucis egente manu, tamen in veſtigia puppis*
*Auditae, juxta inimicum exegit Vlyxem.*

Hic ergo *exegiſſe* dicit, ut Vibius *egiſſe*. Sed & Acis ipſe fluvius Cyclopei furoris monumentum eſſe perhibetur a poëtis; in eum quippe converſus fingitur Acis paſtor, a Polyphemo, cui iſtum Galatea praetulerat, ſaxo immiſſo interfectus. Praeter Ovidium ea narrantem L. XIII. Met. v. 883. ſq. extat & Pentadii epigramma, cui is titulum fecit *tumulum Acidis*, apud Burmannum ſecundum in Anthologia Latina T. I. p. 106. quod ſic habet:

*Acidos haec cernis montana cacumina buſti,*
*Aequor & ex imis fluminis ire jugis.*
*Iſta Cyclopei durant monumenta furoris,*
*Hic amor, hic dolor eſt, candida Nympha, tuus.*
*Sed bene, ſi periit, jacet hac ſub mole ſepultus,*
*Nomen & exſultans unda perenne vehit.*
*Sic manet ille quidem, nec mortuus eſſe feretur,*
*Vitaque per liquidas caerula manat aquas.*

verſu ſexto pro *vehit* Burmannus mavult *dedit*. cf. praeterea de Acide fluvio Caſaubonus in Lection. Theocrit. cap. 2. & P. Carrera in monum. urbis Catanae L. II. c. 6. O.

## Atax

*e Pyrenaeo*) v. Savaro ad Sidon. L. VIII. ep. 4.

*Circa Narbonam*) Heinſ. collat. ἀπόγρ. Gud. *circa Narb.* appoſita delendi nota, neſcio quare.

*in Tyrrhenum*) proprie decurrit Atax in ſinum Gallicum mediterranei maris. HESSEL.

*e Pyrenaeo*) recte ſic emendatus locus. Male contra apud Strabonem L. IV. pag. 183. e Cemmeno ſive Gebenna derivatur Atax. Rectius Mela L. III. c. 5. & Plinius L. III. c. 4.

Idem forſan eſt cum *Narbone* fluvio, cujus meminiſſe Polybium auctor eſt Athenaeus L. VIII. Fallitur autem Ortelius, quum & apud eundem Polybium hiſtor. L. III. c. 37. *Narbonem* fluvium quaerit. Urbs ibi non flumen intelligitur. *Ataci* fluvio *Atacem* quoque urbem adjectam M. Terentius Varro Atacinus nobilitavit. Fluvio hodie nomen *Aude*. Tyrrhenum mare nimium lato ſenſu ſed ſuo more dicit Vibius. v. infra Rhodanus. O.

## Atyr

v. Tibullus L. I. eleg. VIII. v. 4. Lucanus L. I. v. 419. Auſonius par. carm. IV. v. 11. & Moſell. v. 466. HESSEL. Ἄτυρον Ptolemaeus vocat L. II. c. 7. *Aturum* producta media vel duplicata canina littera *Aturrum* dicit Auſonius, ubi ſic:

*Inſanumque ruens per ſaxa rotantia late*
*In mare purpureum, dominae tamen ante Moſellae*
*Numine adorato, Tarbellicus exit Aturrus.*

Qui locus ergo ſimul curſum ejus fluvii deſignat, qui ex montibus Pyrenaeis fluens in Tarbellis ſupra aquas Tarbellicas oceano Tarbellico excipitur. In Bigerronibus ejus paene caput ſeſe vidiſſe Scaliger ſcribit ad cit. Tibulli verſum, in quo *Atur* dicitur, ubi codices tamen & impreſſi perperam habent *Atax*. Forſan & in noſtro legendum *Atur*, non *Atyr*. Tandem *Aturum* correpta media vocat Lucanus exitumque ejus in mare pingit:

*& ripas Aturi, qua litore curvo*
*Molliter admiſſum claudit Tarbellicus aequor.*

Hodie *Ador* v. *Adour* ſalutant accolae *Aturas* quoque vel *Aturres* fuiſſe in eo tractu urbem & populos ex Sidonio Apollin. L. II. ep. 1. patet; id oppidi nunc *Aire* vocatur. Tarbellam Vibii Ptolemaeus ὕδατα Ἀυγύστα, Antonini itinerarium *Aquas Tarbellicas*, notitia Galliae *Aquenſium civitatem* dicit; tabula Theodoſiana habet hic *Aquis*, appoſita balineorum figura, Auſonius quoque *Aquas Tarbellas* ſalutat, auctor vitae Ludovici Pii *villam aquis*, unde nunc Gallis *Aqs* vel *Acs*,

Vaſconibus *Daqs* nuncupatur. cf. Weſſeling. ad Antonini Itiner. p. 456. Aquas has memorat quoque Plinius L. XXXI. c. 2. Ex Romanorum aevo in ſuburbano veteris aquaeductus reliquias, in ipſa urbe in margine fontis aquarum calidarum ſolia marmorea, priſcae magnificentia veſtigia, ſupereſſe Oihenartus teſtatur in Notit. Vaſcon. p. 467. O.

## Almon

*ubi*) v. Ovidius faſtor. L. IV. v. 337. Lucanus L. I. v. 559. Valer. Flaccus L. VIII. v. 239. Silius Ital. L. VIII. v. 365. Statius L. V. ſilv. 1. v. 222. Martialis L. III. ep. 47. Claudianus de bello Gildon. v. 119. Prudentius περὶ στεφάν. hymn. 10. v. 156. HESSEL. Vibii verba ex Ovidii l. c. declarantur egregie. En illa:

*Eſt locus, in Tiberim qua lubricus influit Almo, . .*
*Illic purpurea canus cum veſte ſacerdos*
*Almonis dominam ſacraque lavit aquis.*

Scilicet quotannis in honorem Idaeae matris ſacra & ludos faciebant Praetores, teſte Dionyſio Halic. L. II. p. 68. tumque ſacerdotes ejus Phryges, vir & mulier, eam vicatim circumferebant, pectora plangentes ad cantum tibiarum tympanorumque ſonitum. Peracto planctu, *tepido Almone*, ut Silius habet, ad confluentes ejus & Tiberis, *fovebatur Cybele*. Hinc Valerius Flaccus l. c.

*Sic ubi Mygdonios planctus ſacer abluit Almo . . .*

Ritus ille *lavatio* dicitur *Matris Deum*. v. Arnobius. Adeoque ſcite Urſinus in eleganti marmore quadrato bibliothecae Farneſiae, quod faſtos Kalendares ruſticos exhibet, quodque Gruterus pag. CXXXVIII. itemque Graevius T. VIII. publici juris fecit, in fine Martii menſis, ubi legebant alii LAVMIO, legendum oſtendit LAVATIO. Hanc qui peragebat *purpureus cana cum veſte ſacerdos*, Archigallus erat, qualem Lucianus de Dea Syra deſcribit, & marmora memorant. v. Gruterus p. XXX & CCCVIII. Imo formam ejus habitumque ex anaglypho cognoſces apud Muratorium in theſ.

inſcr. T. I. p. CCVII. itemque ex ſtatua, quam offert Montfaucon Antiq. expl. T. I. Pl. 4. A. d. VI. Kal. Apr. pompas iſtas annales celebrari, & carpentum quo vehebatur ſimulacrum Almonis undis perlui ſolitum teſtatur Ammianus Marc. L. XXIII. c. 6. Ceterum ſoli noſtro is rivus *Almon*, reliquis *Almo* eſt; hodie *Dachia* ſalutatur, ut Ortelius refert; Cluverius *Accia* vel *aqua d'Accia* dici ſcribit, ex quo imperitia vulgi, *Aqua Daccia* & *Aquataccia* fecerit. Addit, eſſe breviſſimum amnem, qui via Appia inter fanum D. Sebaſtiani & portam Capenam defluat. O.

## Albis

v. Lucanus L. II. v. 51. HESSEL.

*Cheruſcis*) e conjectura Simleri reſtituimus; illi quippe Albim inter & Viſurgim habitabant. Eorum nomen quod minus cognitum erat librariis, inde factum, ut tam tetra effingerent monſtra. Caeterum ex his ipſis criticae artis haud ignari facillime *Cheruſcorum* vel *Ceruſcorum*, ut ſcriptum fuiſſe videtur, nomen latitare intelligent. Hodie fluvius albis *Elbe* dicitur; quod nomen Fabricius in Rebus Miſnicis a numero undenario derivandum ſtatuit; ſi quidem undecim fontes in formandum eum fluvium ex Hercynia ſilva profluere putantur. Bohemi tamen *Labe* dicunt orientem hunc amnem. Veteres Graeci ac Latini ſcriptores in nomine *Albis* conſpirant, niſi quod Dioni L. LV. c. 1. eſt Ἄλβιος, Fl. Vopiſco in Probo cap. 13. *Alba*, medio aevo *Albia* nominatur. O.

## Aous

Recte Simlerus legit *Aous*, legendum etiam *Jonium*, nempe mare: Ad ſanandum autem Vibium appoſite Lucanus VI, 361.

*Purus in occaſus, parvi ſed gurgitis, Aeas*
*Jonio fluit inde mari.*

*Acantem* enim & *Aoum* eundem eſſe dicunt. Studio etiam rei nummariae v. Harduini NN. antiq. pop. & urb. illuſtr. pag. 26. HESSEL. Boccacius recte *Aoum* dicit, male in

*Maeoniam* decurrere, vitiato noſtri exemplo uſus. Quae de *Aoi* & *Aeantis* eadem ſignificatione ſcribit Heſſelius, iiſdem verbis Hecataeus tradit apud Strabonem L. VII, p. 316. itemque Plinius H. N. L. III, 23. cf. & ea, quae infra ad *Haeus* afferemus. Caeterum Ravennati anonymo *Aloſus* ſalutatur is fluvius, Ptolemaeo *Lous* Λοῦς; ſed tollendum heic potius vitium, immiſſaque linguali litterae tranſverſa a librariis omiſſa, ſcribendum Λάος. Hodie tamen lingualis in nomine adeſt, ſiquidem *Lao* vocatur, ſed iſta ex articulo praefixo coaluit. Marius Niger *Piergo* dici aſſerit, Barletius *Vaviſſa*. cf. Ortelius. Verum *Pyrgo* e graeco πύργος, turris, caſtelli & vici ad oram maritimam locati potius nomen eſt. De *Vaviſſa* non liquet. Apollonia nunc corrupte *Polina* ſalutatur. O.

## Alto

Eruditus Vir Palmerius iſtum fluvium Ἄλγον eſſe conjectat, cujus Aeſchylus meminit in ſupplic. v. Graec. antiq. p. 121. Scylax Παλαμυς dicit, ſuſpecta lectio, Voſſius in marg. p. 10. HESSEL. Dyrrachii topographia curae cordique fuit noſtro, verum aut mendis illa ſcatet ſolito frequentioribus, aut reliqui heic coecutiunt geographi, ſolus ſapit Vibius. Adeo plurima fluviorum montiumque nomina eo ſpectantia, Alto, Icanus, Ululeus, Boreas, Eridanus, Oeniphile, aliis penitus incognita, apud noſtrum ſolum occurrunt. O.

## Arimaſpa

Conjecturam Simleri *Arimaſpa* legentis non *Aumaſipa* confirmat MS. cod. (Rel. & Rev.) a qua lectione non multum abludit Lucanus L. III. v. 280.

*Hinc & Sithoniae gentes, auroque ligatas*
*Subſtringens Arimaſpe comas.*

& libr. VII. v. 755.

*Quidquid fodit Iber, quidquid Tagus expulit auri,*
*Quodque legit dives ſummis Arimaſpus arenis.*

nec non & Val. Flaccus libr. VI. v. 130.

*&, qui tua jugera nondum*
*Eruis, ignotis inſons Arimaſpe metallis.*

MS. Rev. *Arimaſpa* plane proxime ad verum accedens. Etenim potuit amnis Arimaſporum tum Arimaſpus, tum Arimaſpa nominari. HESSEL. *Arimaſpa* ſine dubio legendum: a quo fluvio videntur nominati Scythae Arimaſpi, Hyperborei; licet Herodotus eos nominatos contendat ab uno oculo. L. IV. c. 27. Καὶ ὀνομάζομεν ἀυτοὺς Σκυθιστὶ Ἀριμασπους. ἄριμα γὰρ ἓν καλέουσι Σκύθαι, σπὰ δὲ τὸν ὀφθαλμόν. Tamen L. III. cap. 116. negat tales naſci. Mentionem quoque ejus gentis injicit Solinus cap. 20. Stephanus etiam ſic: Ἀριμασποὶ ἔθνος Ὑπερβορέων, τὸ ἐθνικὸν, Ἀριμάσπιος. Excerpta Julii Oratoris: *Gentes Oceani Septentrionalis quae ſint. Scythae gens &c. Leucoſiri, Mariaſpi*, lego *Arimaſpi*. GRONOV. *Arimaſpa* ex conſenſu codicum recte reſtituimus; etiamſi enim ejus fluvii nemo praeter Vibium mentionem faciat, ſatis tritum tamen eſt & conſuetum, gentes amnibus videre cognomines. Jam *Arimaſpi* omnibus fere geographis noti. Eos *Scythas, queis ſinguli oculi eſſe dicantur*, Mela refert L. II. c. 1. Ad quam fabulam, cujus Ariſteam Proconneſium auctorem perhibet Herodotus L. IV. c. 13. item Strabo L. I. p. 21. alludit Ennius, quum *decem Coclites* (ſic quoque Varro vocat de LL. L. VI.) memorat, *quos montibus ſcimus Riphaeis fodere*. Siquidem *ultimos a tergo Maeotarum & Riphaeis montibus proximos* locat *Arimaſpos* Plinius L. IV. c. 12. cf. & L. VI. c. 17. ubi prius *Cacidaros* dictos refert. *Arimaſpos* etiam in Drangiana habet Diodorus Siculus L. XVII. c. 81. quos *Zariaſpas* Plinius appellat, *Agriaſpas* vel, ut teſte Blancardo antiqui libri habent, *Ariaſpas* Arrianus & Curtius. Ibidem quoque Ptolemaeus urbem *Ariaſpen*. O.

## Aeas

Ita certe reponendum pro *Aras*, Palmerio Graec. ant. deſcr. pag. 146. judice. Neminem Vibianae Geographiae ſtudioſum poenitebit legiſſe L. I. c. 26 & 27. HESSEL.

Vibiana verba profecto corrupta ſunt, legendum cum Palmerio *Aeas*. S. CROIX. Nomen *Aeras*, quod ſcripti libri habent, oſtendit, ni fallor, vocem e Vibii manibus olim ſanam prodiiſſe, quam poſt Ortelium alioſque reſtituere nullus dubito. Boccacio ſuboluit mendum adeſſe; ſcribit enim *Aecis vel Acras Macedoniae* &c. Verum illud *Aecis* certe ex *Aeas* ortum eſt. Attamen adeſt & cui τὸ *Aeras* probum bonumque videatur. O. *Aeras* MS. Med. Recte. Nam ab hoc fluvio eſt civitas Macedoniae Ἀιραὶ πόλις Μακεδονίας apud Stephanum. GRONOV. Quum tamen neo apud Stephanum fluvii memoratae urbi cognominis fiat mentio, nec apud ullum ſcriptorem alium, malo equidem *Aeantem* ſervare, quem Hecataeus teſte Strabone L. VII. p. 219. eundem dicit eſſe eum *Aoo*. Conſentit & Plinius L. III. c. 23. *Anas* vocatur Dioni L. XLI. c. 45. ni a librariis corruptus is locus. Diverſa ejus fluvii nomina diverſis referre locis ſic ſatis uſitatum noſtro. Illud obſtare videtur, quod *Aoum* Apolloniae, *Aeantem* Macedoniae tribuit. Poterat tamen Melam ſequi, a quo L. III. c. 2. *Aeas* ſecundum Apolloniam emitti ſcribitur. Verum iſta Illyridis regio tempore bellorum civilium ad Macedoniam eſt relata. v. Dio. C. L. XLI. c. 49. p. 176. Inde & Dyrrachium Macedoniae accenſetur a Cicerone pro Ligario cap. 9 & Liſſus a Plinio L. III. cap. 23. De hodierno nomine v. ſupra in *Aous*. O.

## Anaurus

v. Callimachi hymn. in Del. v. 103. & ſchol. ejus ad hymn. in Dian. v. 101. item Spanhemius ad eum loc. Porro Lucanus L. VI. v. 369. cf. & Muncker. ad Hygin. Fab. 12. HESSEL. Anauri fluvii primus meminit Heſiodus in ſcuto Herculis v. 477. ubi Cygni ſepulcrum & monumentum hiemali inundatione Apollinis juſſu deleviſſe ſcribitur. Id autem in ea Theſſaliae parte erectum fingit Poeta, in qua & Jolcos & Trachiniae civitas ſita, id eſt in Phthiotide, cui proinde adſcribendus Anaurus. In tabula Graeciae, a

D'Anvillio publicata *Naurus* fluvius, puto errore chalcographi pro *Anauro*, Pheras rigans Phthioticas ſiſtitur, cum Oncheſto flumine Polybio L. XVII. memorato, in quem incidit, in Pelasgicum ſinum decurrens. Occupat hodieque priſtinum locum oppidum *Pheres*, quod quo amne rigetur, diſpiciendum. Forſan & is antiqui Anauri nomen retinet. Quicquid ſit, ſinus Pelasgici, quem nunc *Golfo di Volo* ſalutant, orientale latus Pelion claudit, unde fit, ut apte Euripides in Hercule Furente Cygnum ab Hercule interfectum dicat ad

Τάνδε Πηλιάδ' ἀκτάν,
Ἀναύρῳ παρὰ πύλας. O.

## Apidanos

Apidanus in Enipeum influit, Strabone teſte L. VIII. p. 356. ſive Enipeus recipitur ab Apidano, teſte eodem L. IX. p. 432. Ὁ δὲ Ἐνιπεὺς ἀπὸ τῆς Ἐρυθρᾶς παρὰ Φάρσαλον ῥεῖς εἰς τὸν Ἀπιδανὸν παραβάλλει, ὁ δὲ εἰς τὸν Πηνειόν. Hoc loco litteratiſſ. enarrator Iſ. Caſaubonus ἀπὸ τῆς Ἐρυθρᾶς mutat in ἀπὸ τῆς Ὄθρυος, ſuperiora verba Strabonis reſpiciens. At ego reponerem ἀπὸ τῆς Ἐρετρίας . . . De flumine *Emiſaco*, ut vulgo legitur, nihil occurrit mihi: fortaſſis hic eſt *Pamiſus* Plinii H. N. L. IV, 8. qui mutuatus ſuam deſcriptionem videtur ab Herodoto L. VII, 129. De Apidano v. & Schol. Apollonii Rhodii ad L. II. v. 517. & Ovidius metam. L. I. v. 579. HESSEL. Quis ille *Emicaſus*? fictum nomen. Boccacius primum illa, *in Enipeum inſtuit*, non agnoſcit, uti nec duo Cod. MS. deinde legit, *in qua eniphacus* &c. Ex his ergo Vibius emendandus. Vides etiam ſcriptionem *Emicaſus* & *Emiſacus* eſſe ortam ex *Emiphacus* & *Eniphaeus*. Ad confirmationem hujus rei facit, quod & *Enipei* & *Melae* & *Phoenicis* ſuo loco mentionem faciat Vibius, utique & *Emiſaci* mentionem facturus, ſiquidem is locum hic haberet. RELAND. Enipeus, poſtquam Pharſali moenia alluiſſet, in Apidanum defluebat, ut hic in Peneum, teſte Strabone L. IX. p. 432. Priuſquam ad Aſopum acceſſit

Xerxes, attigit Melanem, quinque ſtadiis ab oppido Trachine. v. Herodot. L. VII. c. 198. 199. Perperam proinde Vibius Melanem undas ſuas in Enipeum devolvere ſcribit. S. CROIX. Nondum, puto, interpolatus erat hic locus, quum eum exſcriberet Boccacius, unde ex hoc recte iſti medelam affert Relandus, cujus voluntati obſecundavimus. Melanem quoque expunxiſſemus, ni in eo retinendo conſpirarent libri manuſcripti. Forſan Boeotiae Melanem huc transtulit Vibius. Paſſim & alii ejus nominis fluvii occurrunt, in Theſſalia nullus. v. *Melas*. Caeterum ſibi non conſtat Strabo, quum altero loco Apidanum ab Enipeo, altero Enipeum ab Apidano recipi ſcribit. Hoc poſterius verum quin ſit, non eſt dubium. Itaque L. VIII. ubi legitur, Ἐνιπεὺς . . . ὃς ἀπὸ τῆς Οἴθρυος ῥέων, δέχεται τὸν Ἀπιδανὸν, καὶ ἐκχεόμενος ἐκ Φαρσάλου. falſum eſt decurrere Apidanum a Pharſalo, & incidere in Enipeum. Contraria docet ipſe L. IX. forſan ergo priora verba ſic legenda: . . . δέχεται ὑπὸ τοῦ Ἀπιδανοῦ, καὶ ἐκχεόμενος ἐκ Φαρσάλου. Qua quidem levi emendatione in pacem ſecum ipſe rediret Geographus, maxime, quum poſteriori loco, Caſaubonum ſecutus, pro ἀπὸ τῆς Ἐρυθρᾶς legas ἀπὸ τῆς Οἴθρυος, ut L. VIII. Demum fluvio hodieque antiquum nomen perſtat, *Apidano* quippe ſalutatur. O.

## Aſopos

*Epidamnon*) mihi placet *Apidanum*: id Simlerus conjecit. Lucanum inſpice L. VI. v. 374. Si vero *Apidanus* incerto me vocitatus ſit *Epidanus*, ſicut Vibius infra ſcribit, *Epidanum* legi oportet. HESSEL. Herodotus L. VII. c. 198. . . . ἔστι διασφὰξ πρὸς μεσαμβρίην Τρηχῖνος. διὰ δὲ τῆς διασφάγος Ἀσωπὸς ποταμὸς ῥέει παρὰ τὴν ὑπωρέην τοῦ ὄρεος. & Strabo L. VIII p. 382. Hunc Aſopum in Epidamnum fluere ait Sequeſter. GRONOV. Non in Apidanum, ſed in mare ſuas aquas devolvit Aſopus, recepto prius in alveum ſuum Phoenice; oſtium ejus prope templum Cereris fuit aut prope locum, ubi Amphictyones congregari ſolebant. v. Herodotus L. VII. c. 199. 200. S. CROIX.

Plures Aſopos diſtinguit Strabo L. VIII. p. 382. Primus ipſi eſt Sicyonius in Peloponneſo, quem Corinthiis Ptolemaeus aſſignat L. III. c. 16. Phliaſium vocat Pauſanias in Corinth. c. 5. quemque eundem eſſe cum Maeandro Phrygiae, ſubter mare in Peloponneſum delato, credula accolarum plebecula ſtatuebat; eum ex Coeloſſa monte decurrere & Aſopiae regioni nomen ſuppeditare addit Strabo. Secundus ei memoratur Thebanus; hunc Dicaearchus in ſtatu Graeciae v. 106. & Pauſanias quoque l. c. Boeotium dicit; Ptolemaeus ejus oſtia in Atticae littore locat L. III. c. 15. Tertium Heracleae Trachiniae adſcribit, ad Oetae montis radices ſitae; hic noſter eſt Vibii Theſſalicus. Macedoniae Livius vindicat, ſed ex more ſui temporis L. XXXVI. c. 22. Ejus curſum quoque Herodotus l. c. exponit. Accolas dictos Paraſopios refert Strabo. Quartum denique in Paro inſula quaerit idem. En ipſa Geographi verba: τῆς δὲ Κοιλωσης (ὄρος) μέρος ὁ Καρνεάτης, ὅθεν λαμβάνει τὴν ἀρχὴν Ἀσωπὸς ὁ παραῤῥέων τὴν Σικυωνίαν ἢ ποιῶν τὴν Ἀσωπίαν Χώραν, μέρος οὖσαν τῆς Σικυωνίας· ἔστι δ' Ἀσωπὸς ἢ ὁ παρὰ Θήβας ῥέων, ἢ Πλαταιὰς, ἢ Ταναγραν· ἄλλος δ' ἐστὶν ἐκ Ἡρακλείας τῆ Τραχινία, παρὰ κώμην ῥέων, ἣν Παρασωπίους ὀνομάζουσι· τέταρτος δ' ὁ ἐν Πάρῳ. Similia his habet idem L. IX. p. 408. & de noſtro iterum agit p. 428. Demum quintum Aſopum exhibet Plinius L. V. c. 29. in Aſia minori, Laodiceae ad Lycum latus alluentem. Quodſi nunc antiquis recentiora adjicienda ſint nomina, Sicyonius vocatur *Arbon*, ſi Theueto fides, Boeotius *Aſopo*; de reliquis mihi non conſtat. cf. Brietius & Ortelius. O.

## Aniger

Ovidius metam. L. XV. v. 281 ſq.

*Ante bibebatur, nunc quae contingere nolis:*
*Fundit Anigros aquas: poſtquam, niſi vatibus omnis*
*Eripienda fides, illic lavere bimembres*
*Vulnera, clavigeri quae fecerat Herculis arcus.*

Apud Boccacium ſic: *Aniger ſeu Antiger vel Anager fluvius eſt Theſſaliae, in quo . . .* Savaro ad Sidonii carm. XV. v. 142. *Aviger.* HESSEL. Ima pars Elidis in Peloponneſo dicta Triphylia, cujus oppidum arce inſtructum Arenen Homerus Iliad. L. XII. v. 721. laudat, prope quod *Minyeium* flumen in mare decurrere ſcribit.

Ἔστι δέτις ποταμὸς Μινυήϊος εἰς ἅλα βάλλων,
Ἐγγύθεν Ἀρήνης . . .

Arenen Homeri forſan Samicum eſſe in ora ſitum & *Minyium* fluvium poſtea dictum *Anigrum* tradit Strabo L. VIII. p. 346. Addit & antrum Nympharum Anigriadum prope fuiſſe & Anigrum profundum ſtagnantemque eſſe, ita ut piſces eſui incommodos reddat. Cujus rei duplicem cauſſam e fabulis adferri docet, vel quod Centaurorum nonnulli, quos Hercules vulneraverat, ibi hydrae venenum abluerint, vel quod Melampus ad luſtrandas Proetides ea fuerit aqua uſus. Repetit Strabonis doctrinam Pauſanias Eliacorum primo cap. 5. atque tetrum iſtum odorem rectius e terra, unde effluit, aquam recipere adjicit, quod idem & ſupra Joniam obſervetur. *Anigrum* porro e *Lapitha* Arcadiae monte decurrere teſtatur ac ſtatim a fonte graviter olere. Denique *Minterium* quoque *Minyium* noſtrum vel *Anigrum* apellatum fuiſſe, auctor eſt Strabo L. VIII. p. 347. cujus nominis cauſſa forſan in vicino monte, quem *Minthen* pag. 344. vocat, quaerenda; etſi ſcribendi forma haud prorſus conveniat. Intelligis ex dictis, qui fiat, ut Dioſcorides Elidi adſcribat Anigrum. Theſſaliae cur tribuat Boccacius, accipe. *Orchomenus* Theſſaliae fluvius & ipſe *Minyei* nomine venit, Plinio teſte L. IV. c. 8. ad quem locum Harduinus Homeri verba ſuperius relata invita trahit. Iſtum tamen Minyeum Boeotiae vindicant alii. Quicquid ſit, appellatio eadem duobus fluviis, quorum alter rigabat Triphyliam alter Theſſaliam, communis, forſan in cauſſa fuit, ut ſecum confunderentur invicem. Ni arbitrari malis, apud Boccacium pro *Triphylia* librariorum culpa *Theſſaliam* legi. Haec ſi minus arrideant, mea pace a *Lapitha* monte, ex quo profluit Aniger, Boc-

cacium in Theſſaliam, *Lapithis* inhabitatam, deductum credes. O.

## Apud Cicones fluvius &c.

Haec ex Ovidii Metam. L. XV. v. 313 ſq.

*Flumen habent Cicones, quod potum ſaxea reddit*
*Viſcera: quod tactis inducit marmora rebus.*

Ovidius ergo *tactis* ſcripſit: nec aliter extant in Senecae nat. quaeſt. L. III. c. 20. illius Poëtae verba. HESSEL. De Ciconibus infra agetur, ubi de gentibus. Thraciae non Indiae incolas heic intelligendos arbitror cum ſcholiaſtis Virgilii. Quod de Ciconum fluvio praedicat Poeta, idem de aliis rivis & lacubus notat Seneca l. c. Ita res in Puteolanum lacum abjectas lapideas ſubinde extrahi dicit & in quibuſdam Italiae locis evenire, ut, ſive virgam ſive frondem demerſeris, lapidem poſt paucos dies extrahas. Incruſtantia hoc modo flumina hodieque paſſim nota. O.

## Aternus

*Oſtia*) Nullus hic Oſtiae locus eſſe poteſt; quare reor a Vibio cognominem civitatem ad Aterni oſtia inſtitutam deſignari. Omnem mihi tollit dubitationem Strabo L. V. p. 241. Ἐπ' αὐτῇ δὲ τῇ θαλάττῃ τό, τε Ἄτερνον, ὅμορον τῇ Πικεντίνῃ, ὁμώνυμον δὲ τῷ πλαμῷ τῷ διεκβάλλοντι τήνδε Οὐηστίνην ἢ τὴν Μαρσικίνην· ῥεῖ γὰρ ἐκ τῆς Ἀμιτερνίνης διὰ δὲ Οὐηστίνων, παραλιτῶν ἐν δεξιᾷ τὰς Μαρσικινὰς ὑπὲρ τῷ τῶν Πελιγνῶν κειμένας, ξυνάπτει παραλός· τὸ δὲ πόλισμα τὸ ἐπώνυμον αὐτῆς Οὐηστίνων μέν ἐστι, κοινῷ δ' ἐπινείῳ χρῶνται ἥ τε οἱ Πελιγνοὶ ἥ τε οἱ Μαρσικίνοι. Caeterum Boccacius hic diſcedit a noſtro. Ita ille: *Aternus fluvius eſt Italiae, quem penes Adria colonia eſt. Hic per Marſos decurrit in Adriaticum.* HESSEL. Nimis feſtinanter Weſſelingius ad Antonini Itin. p. 101. delendam vocem *civitas* cenſet, eo quod a Dorvilliano codice abſit, vel ſcribendum *ubi ad Oſtia civitas.* Utrumque invitis membra-

nis fieret & abſque ulla neceſſitate urgente. Recte proinde hunc locum noſtrum ex Cluverio vindicat P. Burmannus ſecundus Anthologiae Latinae T. II. pag. 273. ad hunc verſum:

*Qui non debuerat obitus remanere in Aterno.*

Cluverius itaque L. II. Ital. Ant. L. XII. p. 751. ad imitationem Oſtiae Tiberinae ſic dici & ex Mela L. II. c. 4. *Oſtia Aterni* vocatum fuiſſe ipſum *Aternum* oppidum docet, nunc *Peſcara*. Ex verbis Melae tamen haud prono fluit alveo haec Cluverii doctrina, ſive cum ipſo legas apud Melam: *Ab eo Frentani tenent Aterni oſtia*, ſive cum Gronovio: *Ab eo Frentani jam Matrini habent ac Aterni fluminis oſtia*. Fluvii porro *Aterni* nomen Ciceroni L. II. de Divin. cap. 27. & Livio L. XXIV. cap. 44. reſtituendum cenſet, ſed utrumque improbantibus ad Ciceronis locum Jac. Gronovio & Joh. Daviſio. Plinius Aterni fluvii L. III. c. 12 & 13 meminit & oſtii ejus c. 5. itemque Varro L. IV. de LL. p. 12, & Ptolemaeus L. III. c. 1. nec non tabula Theodoſiana, in qua legitur *Oſtia Eterni*. Nomen *Peſcara*, quo hodie venit Aternus, ſat antiquum eſt; Paullus quippe Longobardus L. II. c. 20. *Piſcariam* dicit. Demum minus adcurate loquitur Vibius, quum Aternum Hadriae adſcribit & Marſis. Hadria, hodie *Atri*, inter Vomanum Matrinumque amnes ſed huic propior ſita, ab Aterno certe remotior fuit, qui nec per Marſos ſed Veſtinos inter & Marrucinos defluebat, ut verba Strabonis docent. O.

## Amymone

*Lyciae*) forte *Ciliciae* Simlerus; haud male ex ea parte, quatenus Thebae quoque ſunt in Cilicia: verum longe alia Vibius Sequeſter egere videtur medicina rationis. Haec, niſi quid me fallit, illi fiet ab Hygino fab. 169. *Amymone Danai filia, dum ſtudioſe in ſilva venatur, Satyrum jaculo percuſſit. Eam Satyrus voluit violare. Illa Neptuni fidem imploravit. Quo Neptunus quum veniſſet, Satyrum abegit, & ipſe cum ea concubuit: ex quo conceptu naſcitur Nauplius,*

*Id in quo loco factum eſt, Neptunus dicitur fuſcina pereuſſiſſe terram, & inde aquam profluxiſſe, qui Lernaeus fons dictus eſt, & Amymonium flumen.* & a Lutatio ad Statii Theb. libr. II. verſ. 433. *Amymone Danai filia, dum ſtudioſe in ſilva jaculo exerceretur, imprudens Satyrum percuſſit. Eam quum Satyrus violare vellet, illa Neptuni imploravit auxilium. Quo Neptunus quum veniſſet, fugato Satyro, ipſe eam compreſſit; ex quo coitu natus eſt Nauplius, ex Nauplio Palamedes. Neptunus vero cuſpide dicitur, in quo loco Amymonem compreſſerat, terram percuſſiſſe; unde quum aqua flueret, Lernaeus fons dictus eſt, & fluvius Amymonius.* & ab ipſo Statio Theb. libr. VI. verſ. 287.

*& in amne reperto*

*Triſtis Amymone . . . .*

Quibus accedat Pauſanias Corinth. cap. 37. Ἀπὸ δὴ τοῦ ὄρους τούτου τὸ ἄλσος ἀρχόμενον πλατάνων, τὸ πολὺ ἐπὶ τὴν θάλασσαν καθήκει. ὄροι δὲ αὐτῷ, τῇ μὲν πόλεμος ὁ Ποντῖνος, τῇ δὲ ἕτερος πόλεμος, Ἀμυμώνη δὲ ἀπὸ τῆς Δαναοῦ θυγατρὸς ὄνομα τῷ ποταμῷ. Jam vero, quum de fluvio Amymone conſtet, & quum quaſi capiti Vibii Sequeſtris quatuor ſcriptores modo laudatos perſpicuum, puto, ſit mederi; ſane quam vereor, nec immerito, tametſi multis videbitur mirum, ne reduviae non adaeque curentur; hoc eſt, haud equidem video, ut inter ſe ſatis apte cohaereant, quae reliqua ſunt, alia verba Vibiana cum Vibiano verbo primario, quod male antea ſe habens melius fieri ſine dubio nunc coeptum eſt, eaque ſint ſatis congruente veritati ſenſu: nullas enim, quod ſciam, Amymonius amnis, utpote qui duntaxat in Argolide fluit, neque Boeotias, neque Ciliſſas, neque Aegyptias, neque ceteras Thebas attingit. Nil tamen eſt, cur mortalis quiſquam magnis adnumeret fluminibus Amymonem: quippe quum ſaepius in fontium habeatur numero, velut eidem Lutatio ad Statii Theb. libr. IV. verſ. 735.

*Si quis Amymones ſuperet liquor.*

*Amymones*) *Ab Amymone Danai filia nuncupatus fons.* Quin etiam Amymonem numero fluminum eximit Strabo, tamquam

tamquam nos falſa dedocens uti voce, libr. VIII. pag. 371 Εἷς μὲν δὴ Ἰναχός ἐστιν ὁ διαῤῥέων τὴν Ἀργείαν· ἄλλος δὲ ποταμὸς Ἐρασῖνος ἐν τῇ Ἀργείᾳ ἐστίν . . . Δείκνυται δὲ καὶ Ἀμυμώνη τις κρήνη καλὰ Λέρνην. & Plinius nat. hiſt. libr. IV. c. 5. *Amnes, Inachus, Eraſinus; inter quos Argos Hippium cognominatum . . . Fontes, Niobe, Amymone, Pſamathe.* itemque Callimachus hymn. in lavacr. Pallad. verſ. 45.

Σάμερον ὑδροφόροι μὴ βάπτετε· σάμερον Ἄργος
πίνετ' ἀπὸ κρηνᾶν, μηδ' ἀπὸ τῶν ποταμῶν.
Σάμερον αἱ δῶλαι τὰς καλπίδας ἐς Φυσάδειαν,
ἢ ἐς Ἀμυμώνην ὄισετε τὰν Δαναῶ.
Καὶ γὰρ δὴ χρυσῷ τε καὶ ἀνθεσιν ὕδατι μίξας
ἤξει φορβάιων Ἴναχος ἐξ ὀρέων,
τᾷ Θάνα τὸ λοετρὸν ἄγων καλόν. . . .

*ubi* σχόλιον; Φυσάδεια καὶ Ἀμυμώνη θυγατέρες Δαναΐδ, ὅθεν τὴν ὀνομασίαν ἔσχον αἱ κρῆναι. Dijudicandus eſt porro fons Amymonius & diſtinguendus a propinquo fonte Lernaeo; ſicut admonet recte Spanhemius, qui conſulatur ad Callimachi locum, digniſſimus: etiamſi vetus gloſſematum interpres neſcio quis (ejus enim verba in contextum operis Hygini inrepſiſſe autumant, nec ſine cauſſa, homines litterati) refragetur. HESSEL. Error Vibii ex Statio male intellecto ortus. Apud eum legerat L. IV. v. 734.

- - *ſi ſtagna Lycinia reſtent,*
*Si quis Amymones ſuperet liquor . .*

& perſuaſit ſibi, Amymonem fluvium eſſe Lyciae. RELAND.

Quid ſi legas, *Ammone Libyae, non longe a Thebis?* De eo ita inter alios Curtius L. IV. c. 7. *Eſt etiam aliud Hammonis nemus, in medio habet fontem, aquam ſolis vocant; ſub lucis ortum tepida manat: medio die, cum vehementiſſimus eſt calor, frigida eadem fluit, inclinato in veſperam caleſcit: media nocte fervida exaeſtuat, quoque propius nox vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decreſcit, donec ſub ipſum diei ortum aſſueto tempore langueſcat.* Huic fonti alii adjungunt lacum. Noſter in Ind. Lac. *Hammonis Africae, qui ortu ſolis & occaſu incandeſcit, reliquo tempore gelidus eſt.*

Et Plinius L. II. H. N. cap. 103. ubi pro eo, quod legitur in pleriſque libris, *Jovis Ammonis fons interdiu frigidus, noctibus fervet*, codex Chiffletianus non minus vere: *Jovis Ammonis ſtagnum interdiu, &c.* quod ſedulo obſervandum. Jam autem, ſi & fons illic & ſtagnum, quid prohibet, quaeſo, quominus & fluvius illic extiterit, exiguus quidem & modicus, ſed fluvius tamen, qui ex fonte vel ſtagno ortus? Nihil, mehercule; ſaltem quod alii ſtagnum, alii vocabant fontem, hi illi potuerunt fluvium, ut magna olim inter veteres Geographos de his ſimilibuſve ſententiarum fuit diſcrepantia: ſic autem Vibius Auctores quoſdam imitatus nonne in literas referre potuit & forſitan referre potuit vere: *Ammone Libyae, non longe a Thebis?* Mihi, fateor, hoc jam olim placuit & ne nunc diſplicet, quia in loco difficillimo ſic nihil tortuoſum aut ambiguum: nam & fluvius Hammonis revera in ea parte Libyae, quae non longe a Thebis Aegyptiis, & non minus appoſite *Ammone* dictus a Jove Ammone, quam ſtagnum Padi *Paduſe* a Pado. Vide ſis ibi noſtrum & an rem acu tetigerim, judica. J. CORN. DE PAW. Ingenioſa magis quam vera Pavonis conjectura eſt, cui nonnulla favent. Statim enim nomen *Aminone*, quod ſcripti libri prae ſe ferunt, facillime potuit ex τῷ *Ammone* exoriri, deinde *Libya* & *Lycia* nulla prorſus opera permutari poterant, & quod in eo lapſus videretur Vibius, quod *prope Thebas* dixerit eſſe, illud inter minima noſtri menda reponendum foret. Potior tamen eſt vulgaris lectio, maxime, ex quo erroris fontem acute detexit Relandus. Ceterum fontibus non fluviis accenſenda *Amymone*. Ita & Ovidius Metam. II, 239.

*queritur Boeotia Dircen,*
*Argos Amymonen, Ephyre Pirenidas undas.*

Nec audiendus proinde Boccacius, qui *Amimonen fluvium* recenſet. O. Iſta de fonte *Ammone* mera ſunt ſomnia; nuſquam ille fluxit, niſi in madido iſto Pavonis cerebello.

DORVILLE *in critica vanu.*

## Abſyrtus

*Colchus* dicitur *Abſyrtus* Lucano L. III, 190 :

*Colchus & Hadriacas ſpumans Abſyrtos in undas*,

eadem videlicet ratione, qua Tibris vocatur Lydius Virgilio Aen. II, 781.

*Et terram Heſperiam venies, ubi Lydius arva*
*Inter opima virûm leni fluit agmine Tibris.*

HESSEL.

Verba Lucani male cepit noſter ; hinc error. RELAND.

Abſyrti a Medea ſorore diſcerpti crudele fatum nemo eſt, qui ignoret. In ejus memoriam a comitibus itineris exſtructa urbs *Abſyrtis* vel *Abſoris* v. Hyginus fab. 23. dictaeque *Abſyrtides* inſulae Hadriatici maris, memoratae Straboni L. VII. p. 315. & Plinio L. III. c. 26. & Stephano in Ἄψυρτίδες. Ptolemaeus L. III. c. 17. unam inſulam heic locat & *Abſorum* dicit. Mela duas habet *Apſorrum* & *Abſyrtida* L. II. c. 7. quod diſplicet Iſ. Voſſio, qui unam eſſe eandemque ſed diviſam in medio & ponte junctam refert, oppidoque inſignem, cui hodieque nomen ſit *Oſero* vel *Aſuero*. In Lucani verbis legit *Colchis* & *Abſyrtis* Grotius. Schrevelius *Abſyrtos*, & inſulam intelligit cum fluvio cognomine in Adriaticum prolapſo. *Colchum* quum dicit Poëta, alludit ad Abſyrti patriam. O.

## Alis

Vitioſa ſcribendi forma. Recte ex plurimis codicibus hic articulus exulat, expungendus heic penitus. v. Halys. O.

## Apſus

Falſa haec Vibii, qui hauſit ex Lucano, ſed perperam intellecto L. V. v. 460. apud quem facta mentione *Palaeſtinarum arenarum* (ad eum portum Caeſar appulit, cum Pompejo conflicturus) mox *Apſus* ſequitur

*——————— vento fluctuque ſecundo*
*Lapſa Palaeſtinas uncis confixit arenas.*
*Prima duces vidit junctis conſiſtere caſtris*
*Tellus, quam volucer Geneſus, quam mollior Apſus*
*Circumeunt ripis.*

Nullo negotio deprehendis, Lucanum Palaeſtinae fluvium Apſum non tribuere, ſed quum verſibus praecedentibus commemoratas *arenas Palaeſtinas* & mox *Apſum* legeret Vibius, id ſufficere arbitratus eſt, ut amnem regionis Palaeſtinae Apſum eſſe crederet. RELANDUS. *Apſus* in loco Lucani junctus Genuſo Vibium deducere debebat in Illyridem Graecam, ubi *in finibus Apolloniatium ad flumen Apſum caſtra ſeſe locaſſe* ipſe Caeſar refert de Bello Civ. III, 13. Idem *inter ſua & Pompeji caſtra unum flumen Apſum interfuiſſe* ſcribit. l. c. cap. 19. Non autem molli ſed duro elemento ſcribenda vox eſſe videtur. Pro Ἄλωρα apud Appianum de bell. civ. L. II. p. 463. reponendum judicat Ἄψον Palmerius v. ej. exercit. ad Graec. Auct. p 166. Ravennati Anonymo eſt *Abſura*. Hodie *Spirnaſſo* vocatur ſecundum Thevetum, *Ureo* ſecundum Nigrum. v. Ortelius. Nec tandem *Palaeſtinae arenae* Lucani in Aſia quarendae, ſed in Epiro. Caeſar locum *Palaeſten* dicit, quem non portum ſalutare debebat Relandus. v. Caeſar l. c. cap. 6. quod enim portus omnes timebat, ad *Palaeſten* milites expoſuit. Eam Sulpic. Verulanus, Lucani interpres, urbem dicit vicinam Orico, prope Ceraunia. In libris ſcriptis apud Caeſarem falſo legitur *Pharſalus*. O. Vibius Lucanum parum intelligenter audivit L. V, 460. cf. Lamb. Hortenſium ad Lucani l. c. Voſſium ad Caeſ. B. C. III. 6. Palmerium a Grentemeſnil Graec. ant II, 2. p. 239. Cellarium G. A. II, 13. Gyraldum Hiſt. Deor. ſynt. VI. p. 211. HESSEL.

## Benacus

v. Virgilius Aen. L. X. v. 204. HESSEL. Benacum rectius in lacubus ponit noſter, quare & nos de eo infra. De Mincio quoque ſuo loco. O.

## Brictates

, *Timato*) MS. Med. *Tymavo*. lege *Timavo*, eſt mons prope Aquilejam. Virgilius Ecl. VIII. v. 6.

*Tu mihi, ſeu magni ſuperas jam ſaxa Timavi.*

GRONOV.

Verum, quid *Timavo* monti & *Brictati* fluvio, ex eo decurrenti, cum *Arno*? Praeterea in loco Virgilii laudato Timavus fluvius, non mons eſt. Ex fonte ſuo tamen Timavum

*per ora novem & vaſto cum murmure montis*

in mare praeruptum ire, ſcribit idem poëta Aen. L. I. v. 244. Quocum conferendus Mela L. II. c. 4. Unde ex hoc loco ſaltem tutari verba Vibii liceret, ni pro *monte* cum Pariſino II. legere malis *fonte*. Sed hanc medelam afferre noſtro haud ſufficit. Timavus, quem nunc accolae *Timao* itemque *Duino* dicunt, haud procul mari orſus Aquilejam inter & Tergeſten, neque fluvium Brictati cuidam ſimilem ex ſe emittit, neque Arno miſcetur. Prius ſi ſaltem eſſet, forſan τῷ *Arno* ſubſtituere *Adriae* liceret, cui in ſcriptis libris facile *Arino* faveret. Ortelius forſitan e *Tifata monte* deducendum Brictaten ſuſpicatur, quod quale ſit, videamus. *Tifata imminentes Capuae colles* dicit Livius L. VII. cap. 29. Id nomen multitudinis numero poni ſolet, dicendum proinde foret e *Tifatis*; verum & hos colles procul ab Arno natura ſemovit, &, quantum novimus, nullo fluvio Brictatis nomen gerente beavit. Succedere poſſet *Timachus*, Moeſiae fluvius, ad quem aptandus forſan locus videretur. Sed cui bono? Delio natatore heic opus, ne interpres praefocetur. Forſan *Boactes* Ptolemaei L. III. c. 1. eſt intelligendus, qui verſus Liguriae fines incidit in *Macram*, quem cum Arno forte confudit noſter, ut Ortelius ferme cum Auſere. Id ſi ſit, *Boactem* hodie *Vara*, Macram appellari *Magra*, non *Serchio*, ut P. Bertio viſum, notaſſe juverit. *Macrallam* Ptolemaeus vocat l. c. Briniatium, quorum per agrum defluebat Boactus, nomen in nomine urbis *Brugneto* ſuperſtes eſt & facile dignoſcitur. O.

## Baetis

De nominis hujus orthographia v. Cellarius G. A. L. II. c. 1. HESSEL. Scilicet *Baetin*, *Baetim* & *Baetem* dici ex nominativis *Baetis* & *Baetes* docet; raro etiam abſque diphthongo ſcribi priorem ſyllabam & corripi. Antiquiſſimum nomen fluminis fuit *Tarteſſus* vel *Tarteſius*, commutatum deinceps cum nomine *Baetis*. v. Pauſanias Eliac. poſt. c. 19. Strabo L. III. p. 148. & Euſtathius ad Dionyſium Perieget. v. 337. Ab indigenis ſalutatum *Certim*, auctor eſt Livius L. XXVIII. c. 22. niſi *Circem* legendum cum Sigonio aut *Circium* cum aliis. Sic enim diſcrepant libri ſcripti. Stephanus Πέρκην ſalutari perhibet, ubi Sigonius Κίρκην reponi ſuadet, ut novum opinioni ſuae praeſidium paret. Praeferenda haec abſque dubio reliquis, ſi verum, quod Marius Niger tradit, Afrorum lingua *Circin* dici; quae res tamen jure in dubium eo venit Ortelio, quod Arabibus debetur nomen hodiernum *Quadalquivir* ſ. *Vadi al Kibir*, fluminis magni. O.

## Bagrada

Duplex Bagradas apud veteres occurrit, alter in Aſia Perſidem inter & Carmaniam, memoratus Ptolemaeo L. VI. c. 4. alter in Africa, mediam Zeugitanam perlabens, & a quo Muſti oppidum, haud procul diſtabat. Id cum hodierno *Seedy Abdel Abbus* convenire putat Shaw in itinerario p. 95. ubi ſimul docet inſignem hodieque triumphalem arcum ſupereſſe. Βαγράδας eſt Straboni L. XVII. p. 832. errore librarii, Appiano de bell. civ. L. II. p. 455. Βαγαράδας, Ptolemaeo Βαγράδας L. IV. c. 3. Similis diverſitas apud Latinos. Polybio Hiſtor. L. I. c. 75. dicitur Μάκαρ & L. XV. c. 2. Μάκρα. Hodie *Megarada* vel *Magerada* ſalutatur, quod nomen utriuſque veteris veſtigia ſervat. Alii tamen *Magiordeh* itemque *Magrida* ſcribunt. In tabulis D'Anvillii & apud Shaw eſt *Mejerda*. Jam *caſtris apud eum fluvium poſitis*, verba ſunt Gellii Noct. Att. L. VI. c. 3. *L. Aelius Tubero*

*in hiſtoriis ſcriptum reliquit, bello primo Punico Attilium Regulum conſulem proelium grande atque acre feciſſe adverſus unum ſerpentem in illis locis ſtabulantem, inviſitatae immanitatis; eumque, magna totius exercitus conflictione, balliſtis atque catapultis diu oppugnatum: ejuſque interfecti corium longum pedes CXX Romam miſiſſe.* Idem ex Livio, qui L. XVIII deperdito narrarat, repetiit Valerius Max. l. I. c. 8. Meminit & Florus L. II. c. 2. & Silius Ital. L. VI. v. 678. *Pellem ejus maxillaſque uſque ad bellum Numantinum duraſſe Romae in templo refert* Plinius L. VIII. cap. 14. Adjicit idem, accipere haec robur ex iis, quae de aquatili ſerpente *boa* tum nota fuerint Romae. Quippe in cujus, Divo Claudio principe occiſae, *alvo in Vaticano ſolidus ſpectatus ſit infans.* cf. & Hieronymus in vita D. Hilarionis cap. 33. Non minus portentoſa refert Olaus magnus de gentib. ſeptentrional. L. XXI. c. 43. ubi ſic: *In littoribus Norvegiae . . . . aſſerunt ſerpentem ducentorum pedum & amplius longitudine ac viginti pedum ſpiſſitudine in rupibus & cavernis penes oras maris Bergenſium verſari, qui vitulos, agnos, porcos deglutiat . . navigia infeſtet, hominesque ſe in ſublime inſtar columnae erigens rapiat ac devoret* &c. cf. & Geſnerus in hiſt. anim. L. IV. p. 1040. De Ceylanico ſerpente bubalino v. Seba; de Braſilienſibus Piſo, de aliis alii. Aſt illud non praetereundum, in Africanis Regnis Loango & Kakongo hodieque umbroſas ſilvas ſerpentes incolere, *Boma* appellatos, eodem fere, quo ex Plinio paullo ante vidimus, nomine, quindecim pedes longos, quorum quis integrum puerum deglutiit, teſte Proyart in hiſtoria iſtorum regnorum. Pariſ. 8. 1776. O.

## Barbana

Livius L. XLIV. cap. 31. *Duo cingunt Scodram urbem flumina, Clauſala latere urbis, quod in orientem patet, praefluens, Barbana ab regione occidentis ex Labeatide palude oriens. Hi duo amnes confluentes incidunt Oriundi flumini, quod ortum ex monte Scodro, multis & aliis auctum aquis,*

*mari Hadriatico infertur.* Emendandus ex his Plinius, qui H. N. L. III. c. 22. Scodram ſuper Drilonem fluvium ſi- tam docet, notatus propterea Harduino. Scodra Ravennati anonymo *Scodris*, hodie *Scutari* vel *Iſcodar*, a Drilone paullo remotior, Barbana rigabatur flumine, cui nunc *Boiana* nomen. O.

## Boryſthenes

Hic fluvius inſertus legitur in codicibus Pariſinis, neque video, quam ob rem abeſſe debeat, negligentia librariorum omiſſus. Curſum ejus deſcribunt Herodotus L. IV. cap. 53. Mela L. II. c. 1. & Ammianus Marcell. L. XXII. c. 18. Hodiernum ejus nomen *Dnepr* vel *Dniepr* ex alio, ſcilicet *Danapris*, quod medio aevo obtinuit, ortum eſt. Sic anonymus in periplo ponti Euxini: ὁ Βορυσθένης πόταμος ναυσίπορος, ὁ νῦν Δανάπρις λεγόμενος. Ravennas anonymus videtur diſtinguere duo flumina. Ita ille L. IV. *Per quas diverſas patrias tranſeunt plurima flumina, inter caetera quae dicuntur Ava, Boryſthenis, Danápris, quae cedunt in mare Ponticum..* niſi exciderit particula *ſive* ſimiliſve. Cum Danubio confundit Boryſthenem & Jornandes in Geticis c. 5. & anonymus auctor peripli Ponti Euxini. Utrobique librariorum culpa id factum, autumat Voſſius; quem ſi audias in adnotationibus ad fragmentum anonymi, apud iſtum leges.. *Boryſthene, quem accolae Danubrum vocant* — (non *Danubium*) . . . apud hunc pag. 7. verba ἤτοι Δανάπρεως expunges. Hocque arbitratur eo tutius fieri poſſe, quod in ſequentibus quoque bis terve repetatur, Boryſthenem appellari nunc *Danaprim.* O.

## Bactros

v. Lucanus L. III. v. 267 ſq. HESSEL. Strabo L. XI. p. 516. Πόλεις δ' εἶχον τά τε Βάκτρα, ἥντερ ἡ Ζαριάσπαν καλοῦσιν. ἣν διαῤῥεῖ ὁμώνυμος ποταμὸς ἐμβάλλων εἰς τὸν Ὦξον. GRONOV.

In Scythia Aſiatica poſtremum locum occupant Hyrcani, ad ortum Caſpii maris poſiti; contra Bactrus, qui rigato Bactro-

rum oppido in Oxum decurrebat, ab Hyrcanis Margiana & Aria interpoſitis erat ſejunctus. Iſtorum regio a Bactri curſu multum diſtabat. v. Examen critique des hiſt. d'Alexandre le Grand Sect. IV. s. CROIX. Bactra ſeu Zariaſpe quin eadem fuerit cum hodierna urbe *Balk*, vix dubium eſſe poterit. v. Golius ad Alfraganum pag. 175 ſq. & S. Croix l. c. p. 219. Quod oppidum rigat flumen *Dehash*, pro antiquo Bactro erit habendum; Marius Niger tamen *Bochara* nunc nominari aſſerit. Scythiae Bactrum male adſcribit Vibius; ad iſtam non pertinet Bactria vel Bactriana. Pejus eſt, quod Hyrcanos fines alluere adjicit. Utrumque iterum Lucano ſuo debet, cujus verbis imprudens eſt deceptus. Sic ille:

*tinxere ſagittas*
*Errantes Scythiae populi, quos gurgite Bactros*
*Includit gelido, vaſtiſque Hyrcania ſilvis.* O.

## Cayſtros

Cayſtri nomen ſcholiaſtes Dionyſii perieg. ad v. 837. derivat ἀπὸ τοῦ παρακεῖσθαι τῇ κεκαυμένῃ χώρᾳ. Graeci hodie *Kara-ſu* ſive aquam nigram dicunt, Turci *Kutſchuk Minder* ſive Maeandrum minorem. O.

*per Hypaepam*) ſic lego. Ut Cayſtros flumen Lydiae, ita Hypaepa urbs quoque Lydiae. Strabo L. XIII. p. 627. Ὕπαιπα δὲ πόλις ἐστὶ καταβαίνουσιν ἀπὸ τῆ Τμώλου πρὸς τὸ τῆ Καΐστρου πεδίον. Stephanus: Ὕπαιπα πόλις Λυδίας, κτισθεῖσα ὑπὸ τὸ παρακείμενον ὄρος ὑπό τῆ Ἀιπός. GRONOV. Ambabus manibus iſtam Gronovii emendationem recipio, acuti profecto ingenii foetum, ipſis quoque nominum monſtris, a librariis hominibus confictis, confirmatum. Qui *Epheſum* ſubſtituit *Hypaepis*, non enim ſilendum apud Auctores in plurali numero dici, v. Ovidius Met. L. XI. v. 150. is non cogitavit iſtam urbem non perlui Cayſtro, ſed vicinam eſſe. O.

*paludi Aſiae*) vide vet. ſcholiaſten ad Dionyſii orb. deſcr. v. 836. Servium ad Virgilii Georg. L. I. v. 383. *Cayſtrus autem Aſiae fluvius eſt. Aſia vero palus; unde fecit Aſia*

*prata. Et de palude Aſia a longa eſt; nam de provincia corripitur, ut, Europa atque Aſia pulſus, & eſt Homericus verſus:*

Ασίᾳ ἰν λειμῶνι, Καυστρίῳ ἀμφὶ ῥέεθρα.

ſic ed. Lugd. Bat. & Amſt. 1680. multo vitioſiora exprimit Homeri verba ed. Joh. Parv. 1529. Legendum autem eſt Ἀσίῳ ἰν λειμῶνι &c. cf. idem Servius ad Aen. L. VII. v. 701. item Homerus Il. L. II. v. 459. HESSEL. *palus Aſiae* eſt palus apud Sardes & ſtagnum Gygaeum. Herodotus L. I. cap. 93. ſepulcro Gygis regis dicit confinem eſſe lacum ingentem, dictum Gygaeum. Id. L. IV. cap. 45. refert tribum quandam Sardibus eſſe vocitatam Aſiadem. Strabo L. XIII. p. 626. de lacu Gygaeo loquitur & p. 627. aſſerit ex mente Scepſii, fortaſſe Maeoniam olim Aſiam dictam eſſe, citatque hac occaſione verſum Homeri

——————— Ἀσίῳ ἰν λειμῶνι &c.

Stephanus: Ἀσία πόλις Λυδίας παρὰ τῷ Τμώλῳ. Plinius L. V. cap. 29. Dionyſius perieg. v. 837.

Πολλοὶ γὰρ λειμῶνες ἰν Ἀσίδι τηλεθόωσιν.

ubi vid. Euſtathius. Aſia ſit itaque & maneat civitas ipſa Sardes, non Maeonia. GRONOV. Elucet ex dictis, minus adcurate a noſtro *Cayſtrum proximum* dici *Aſiae paludi*. Haec trans Pactolum erat & Sardes; aſt iſte, e Cilbianis montibus orſus, per citeriorem regionem defluebat. O.

## Camicos

*urbs Camicos*) recte. v. Cellarius G. A. L. II. cap. 12. Caeterum Vibio oppoſuit ſeſe Bochartus, qui cognitione quadam litterarum Orientalium refellit ejus opinionem. Chan. L. I. cap. 29. p. 555. HESSEL. *Camicos*, recte, Stephanus: Καμικὸς πόλις Σικελίας. GRONOV. Addit Stephanus: ἰν ᾗ Κώκαλος ἦρχεν. Simili modo & Herodotus L. VII. c. 169 & Diodorus Sic. L. IV. cap. 80. Camicon in ſingulari efferunt; Strabo contra in multitudinis numero L. VI. p. 273. qui aevo ſuo jam deletam urbem refert, unde apud Vibium.

intelligi debet; *ex quo olim urbs Camicos.* In hujus locum poſtea ſucceſſit, ut Cluverius putat, *Cena*, cujus in Antonini Itinerario mentio fit, quaeque forſan κοινὴ vel καινὴ manſio dicta videtur Weſſelingio. Hodie *Siculianae* nomen gerit, quod quidem oppidum Fazellus Dec. I. L. VI. cap. 1. anno 1350 conditum perhibet, inſtauratum potius Cluverius. Camicum fluvium praeter Vibium ex priſcis nemo nominat. Stephani epitomator tamen inter ea recenſet oppida Camicum, quae a fluviis, quibus rigabantur, ſint dicta. Hodie *fiume delle Canne* ſive *Cannarum flumen* ſalutari, auctor eſt Cluverius Sic. ant. L. I. c. 17. & Fazellus l. c. *Cannarum* hoc nomen forſitan a nomine *Cena*, de quo mox, originem traxit. Quod *Agrigentinos dividere Camicum* addit Sequeſter, id quidem vereor magnopere, ut plene ſatis dictum ſit. Non ita ſolet noſter. Nec medium Agrigentinum agrum rigabat Camicus, ſed ab Heracleenſium agro ſeparabat. Unde crediderim legendum: *dividit Agrigentinos & Heracleenſes.* Sed jam Cluverio ſupplendum viſum *ab Heracleenſibus* ſive *a Carthaginienſium ditione.* Demum Camici nomen ex Phoenicum lingua deducendum docet Bochartus l. c. & a flexuoſo ſuo aditu dictum cenſet, doctrinae ſuae indulgens. Phoenices quippe vocaſſe עקמקם & per aphaereſin קמקם quaſi *flexuoſum.* Sic Achatem quoque Punice עקד ſive *maculis reſperſum;* ſic Aſinium הציץ ſive *frigidum;* ſic Anapum ענב quaſi *uvarum*, quarum fertiles fuerint Syracuſanorum agri, *divitem;* ſic Alabim הלאורים quaſi *nectareum* vel *dulcem* ab Hyblaeo melle ſcilicet; ſic Acidem אחיש ſive *rapidum;* ſic Amenanum עמנץ ſive per intervalla *cohibitum* nuncupatum arbitratur. Similia de Arari, Baeti, Bagrada aliiſque affert. O.

## Caïcus

v. Virgilius Georg. L. IV. v. 370. & ibi Servius. Ovidius de arte amandi L. III. v. 196. Lucanus L. III. v. 203. HESSEL.

Quod in ſcriptis codicibus plurimis deſideratur hic fluvius,

nimiae librariorum feſtinationi id tribuendum, quos ad ſequentem articulum ſimile fere nomen abripuit. Myſos olim circa Olympum habitaſſe, ſed pulſos dein a Phrygibus conſediſſe ad fontes Caïci prope Lydiam, auctor eſt Strabo L. XII. p. 572. Idem L. XIII. pag. 615. iſtum fluvium in Elaiticum ſinum ſeſe effundere docet. Sic intelligimus, cur e Myſia venire Caïcum dicat Plinius H. N. L. V. c. 30. *Adurum*, itemque *Aſtraeum* dictum, donec a Mercurii filio, ejus undis merſo, Caïci nomen acciperet, narrat Plutarchus de fluviis. Hodie *Girmaſti* appellatur in tabulis nonnullis; Niger *Caſtri* nominat. v. Ortelius. O.

## Calos

An ſit καλὸν στόμα Danubii oſtiorum? GRONOV. Ejus καλοῦ στόματος meminere Apollonius Argon. L. IV. v. 313. Plinius H. N. L. IV. c. 12. Ptolemaeus L. III. c. 10. Ammianus Marc. L. XXII. c. 19. aliique. Neque dubium, quin id cogitarit Vibius. Eſt & alius *Çalus* fluvius, in Heniochorum regione, qui in Euxinum mare devolvitur. v. anonymi, quem Arrianum vulgo putant, deſcr. Ponti Euxini. p. 14. O.

## Cocytos

Virgilius Georg. L. IV. v. 479. & Aen. L. VI. v. 323. HESSEL. Cocytum ἀπὸ τοῦ κωκύειν dictum volunt, quod eſt gemere & flere. Is amnis inſuaviſſimus una cum Acheronte defluebat per Theſprotiam ad Cichyrum, teſte Pauſania L. I. c. 17. lugubrique ſono, quem ejus unda inter ſaxa forſan provoluta edebat, digna fuit, quam in inferno locaret Homerus Odyſſ. L. X. v. 514. Sic ſaltem Pauſanias Poetarum principem, quum ea loca vidiſſet, multa ex illis in ſuum de inferis poema transtuliſſe exiſtimat. Similia iſtis in Italia circa Avernum & Lucrinum lacum invenere Poetae Latini, ne Tartara foris quaerere opus eſſet. Sic Acherontem ſuum, ſic Styga, ſic Cocytum in iſta regione habent. Virgilii loca

occupavit Heſſelius. Addo Ovidium Metam. L. XIV. v. 104 ſeq. porro Silium Ital. qui L. X. v. 116.

*Aſt hic Lucrino manſiſſe vocabula quondam*
*Cocyti memorat . . .*

& Petronium in Satyrico, ubi ſic:

*Eſt locus exciſo penitus demerſus hiatu,*
*Parthenopen inter magnaeque Dicarchidos arva,*
*Cocyta perfuſus aqua . . .*

Operae pretium fuerit inquirere, an hodieque tetrae imagini, quae tanto horrore replevit Poetarum animos, reſpondeant flumina. De Averno ſaltem lacu eadem fere vel nunc obſervari, quae praedicarant veteres, oſtendemus infra. O.

## Criniſos

Bene. Videto de orthographia nominis hujus fluvii Nic. Heinſium ad Claudianum de raptu Proſerp. L. II. v. 57. & Cellarium G. A. L. II. c. 12. HESSEL. Scilicet *Criniſum* habes apud Virgilium L. V. v. 38:

*Troïa Criniſo conceptum flumine mater*
*Quem genuit.*

Ibidem tamen alii codices habent *Crimiſus* item *Crimniſus*. Servius *Crimiſum* a Virgilio poëtica licentia *Criniſum* vocari perhibet. Corn. Nepos *Criniſſum*, Plutarchus *Crimeſum*, Diodorus Sic. *Cremiſſum*, Lycophron *Crimiſſum* dicit. Praeferendum nomen *Crimiſi*, quo & Dionyſius Halic. utitur, putat Cluverius Sic. ant. L. II. c. 2. qui ſimul oſtendit, fuiſſe unum e majoribus Siciliae amnibus inter Lilybaeum & Agrigentinum agrum. Idem hodie *Belicem dextrum* appellari adjicit. Fazellus Dec. I. L. VII. c. 4. ſtatim *S. Bartholomaei* fluvium ab aedicula ejuſdem nominis & paullo inferius *frigidum flumen* vocari tradit. In Bruttiis quoque Crimiſus flumen, Crimiſa item urbs & promontorium extitit. Originem nominis vel a vitium vel ab apii copia e Phoenicum lingua ſuo more deducit Bochartus in Chan. L. I. c. 29. O.

*Atalae*) Videtur, niſi me fallit animus, neſcio quid fuiſſe locutus Sequeſter de *Atalla* civitate. Ei rei fundus ſit Is. Tzetzes ad Lycophronem v. 953. & v. 964. ubi narrat, Aegeſtem fluvii Crimiſſi filium in Sicilia tres condidiſſe urbes, Aegeſtam, Erycem & Atallam vel Entallam. HESSEL. Equidem veram Vibii lectionem reſtituiſſe mihi videor. *Entellam* poſuiſſem, ni propius ad codicum fidem accederet *Atalla* vel *Atala*, quo modo nomen id efferunt quoque codices quidam laudati Iſacii ad Lycophronem; Ptolemaeo tamen aliiſque, item in nummis *Entella* dicitur, quales tum in reliqua Sicilia numiſmatica tum apud Ser. Caſtellum P. T. M. in Inſcr. Siciliae in tabula NN. num. II & III. ſpectare licet. Extant & figuram tauri humana facie praeferentes ad Criniſum amnem deſignandum. Oppidum Entellae qui hodieque cum Leandro in *Miranda*, aut cum Aretio in *caſtello Vetrano* adeſſe perhibent, falluntur, teſte Fazello l. c. Mons nomen ſervat, quem praeciſae rupes & unicus tantum aditus parvi praeſidii indigus natura munitiſſimum reddunt; at urbs ipſa a Friderico II. Imp. Saracenis erepta & funditus deleta penitus jacet. Fuit & alia Entella, Liguriae, nunc *Lavagna*. Atallae nomen Phoenicium eſſe, & *montanum* deſignare *locum* placet Bocharto l. c. O.

## Calor

Duplicem Calorem fluvium norunt veteres, alterum in Samnio, Beneventum qui rigat, cujus mentio apud Livium L. XXIV. c. 14. & L. XXV. c. 17. item Appianum in Annibalicis p. 334, ubi capite truncatus Ἄλαρ ſalutatur, & in tabula Theodoſiana; alterum in Lucania, in Antonini itinerario notatum, ubi videndus Weſſelingius. Uterque priſtino nomine venit, *il Calore* dictus. Priorem excipit Sabatus, hodie *il Sabato*, poſteriorem Silarus, *il Silaro*. Quod autem Beneventanus Calor a pugna a. 663 ad iſtum commiſſa *Pugna* dictus memoratur a Paullo Diacono L. V. cap. 4. ſive 7, potius id ad Sabatum referendum exiſtimat Cam. Per-

egrinus in deſcr. Ducatus Beneventani Diſſ. VII. Imo id nomen *pugnae* non fluvio ſed loco tribuitur in ſcripto codice Paulli. O.

## Cryſas

v. Fulv. Urſinus ad Ciceronem in Verrem L. IV. c. 44. & Graevium ad eundem locum. Porro autem Nic. Heinſius, cujus etiam nunc inedita cura eſt, Vibium tangit ad Silium L. XIV. v. 230. De reliquo, antiquum numiſma, quod fuit apud Urſinum, id CLI. inter ſelecta Wildiana eſt, quantum ego exiſtimare poſſum, etſi unius partis explanationes multum differant. Vide porro & Gronovium Theſ. Graec. Ant. Vol. II. p. 15, ubi egit ſuper numiſmate Aſſorino Vibioque noſtro. HESSEL.

*Heraei* montes, Diodoro Sic. memorati L. IV. c. 86. per mediam fere Siciliam a ſeptentrione ad auſtrum jugum ſuum protendunt. Ad illud adjacent Herbita, Tabae, Enna. Ennam inter atque Tabas profluit ex monte Heraeo Chryſas fluvius, qui Aſorum mox rigat pauloque inferius in Symaethum incidit. Ciceronis locus memoratus hic eſt: *Chryſas eſt amnis, qui per Aſſorinorum agros fluit. Is apud illos habetur Deus & religione maxima colitur. Fanum ejus eſt in agro propter ipſam viam, qua Aſſoro itur Ennam.* O. Pro *Heraeo* Barthius adv. L. IX. cap. 3 legerat *Eryceo* v. *Aethnaeo*, non bene. HESSEL. Nummum a Gronovio productum l. c. primus in Siculis publicavit Paruta tab. CXXVI. Reliquos, qui de eo conſuli poſſint, recenſet P. Burmannus ſecundus ad NN. Sicula Dorvillii p. 428 & 612. Equidem non ſat perſpicio, iſti nummo ſitne prorſus habenda fides; neque enim in hoc monumentorum genere rara ſunt peccata in rectam ſcribendi formam. Sed ſit ita, ut Gronovio placet, valeatque adſpirationis rejectio, ſcriptis quoque Vibii membranis congrua. Hodiernum fluvii nomen ſi quaeris, Leander *Veria*, Fazellus, Aretius & Caſtellus T. M. Princeps *Dittaino* nuncupant. Aſſorus nunc *Azaro* vocatur,

Syracuſis peſſime adſcribitur Cryſas a Vibio noſtro. Excuſat tamen errorem Cluverius Sicil. ant. L. II. cap. 7. eo, quod Syracuſanorum tunc ditio in Aſſorinum agrum extendebatur. Verum, id eſt Aethiopem lavare. Quaeram equidem, de quonam tempore hoc valeat & unde hauſerit noſter? Frequentibus ejus vitiis & hoc accenſendum. Heinſii emendationem apud Silium recepit Drakenborchius, unde pro *Vagedruſa* nunc legitur:

*& fontes, vage Chryſa, tuos.*

Nominis origo Bocharti fugit induſtriam. O.

## Cydnus

Exhibuit Cl. Nicaſius de Nummo pantheo Hadriani Imp. ad ill. Spanhemii Diſſ. c. 2. nummum Vibio Sequeſtri commodum: nam in averſa parte, quae expreſſam habet formam figuramque Cydni cum ſubſcriptione vocabuli ΚΥΔΝΟC, haec inſcriptio eſt: ΑΔΡΙΑΝΗC ΤΑΥCΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC ΝΕΩΚΟΡΟΥ. v. & Sel. NN. ant. ex muſeo Jac. de Wilde pag. 143. Caeterum de Cydno ipſo v. Dionyſium perieg. v. 868. HESSEL. Locus Dionyſii ſic habet:

Κύδνου δὲ σκολιοῖο μέσην διὰ Ταρσὸν ἰοῦσαν.

Nomen fluvii a Cydno Anchiales filio repetit Euſtathius ad h. l. itemque Stephanus e Diodoro Grammatico. E Tauro oriri Cydnum docet Strabo L. XIV. p. 672. qui frigidum aſperumque praedicat. Notum, quod Alexander ex illius undis adiit, vitae periculum. De oſtiis fluvii non ſat convenit Straboni cum Ptolemaeo. v. Cellarius N. O. A. L. III. c. 6. Ravennas anonymus *Cygnum* dicit. Hodiernum nomen eſt *Kara-Su* ſive *aqua nigra*, item *Baradan*. O.

## Cyrta

Cirta aliis *Arauris* videtur nominari, ut Melae L. II. c. 5. aliis Ῥάυραρις ut Straboni L. IV. pag. 182. GRONOV. Cirtae qui praeter Vibium meminerit, novi neminem. Apud Strabonem

bonem legebatur ὁ Ῥάυρακις, apud Melam *Arauraris*, apud Plinium H. N. L. III. c. 4. *Araris*. Ubivis legendum esse *Arauris* docet Ptolemaeus, qui L. II. c. 10. habet Ἀραυέσιος ποταμὸς ἐκβολὴν prope Ἄγαθην πόλιν. Hoc nomen autem sic sese recte habere patet statim ex Antonini itinerario, qui *Arauram* recenset sive Ceseronem mansionem, a fluvio scilicet, quo rigabatur, appellatam. Appositе huc facit locus Wesselingio citatus e Vita S. Tiberii: *Et subito apparuerunt juxta fluvium, qui dicitur Araur, in vico, qui vocatur Ceseri.* Nunc hic vicus a S. Tiberio *S Tyberi* salutatur. Porro in diplomate Ludovici Pii a. 837. memoratur *fluvius Araur.* v. Hist. de Languedoc T. I. preuves col. 71. Hodie *Eraux*, *Airaut*, *Eraut* dicitur. Jam Valesius in not. Gall. p. 5. illustrando Vibio *Cyrtae* nomen putat Graecum esse, a Massilienſibus conditoribus eo inditum flumini, quod *sinuosus* vel *flexuosus* esset; *Araurim* contra antiquos nuncupasse Celtas. O.

## Crustumium

Lucanus L. II. v. 406.

*Crustumiumque rapax . . .* HESSEL.

cf. & Plinius H. N. L. III. c. 15. Ariminum inter & Pisaurum Umbriae oppida in via Flaminia id flumen fuit, quod hodie *Conca* vocatur & Sulpicio teste, Lucani scholiaste, urbem habuit olim cognominem, a Crustumerio Sabinorum probe distinguendam. O.

## Casilinum

Casilinum oppidum, cujus morientis reliquias memorat Plinius H. N. L. III. c. 5. norunt veteres, flumen ignorant. Boccacio est *Casilinus*. Fuit autem Casilinum urbs ad utramque Vulturni, qui hodieque *Volturno* vocatur, ripam, ubi nunc *Capua* nova. v. Camillus Peregrinus de Campania felice Diss. II. cap. 30. Succurrit commode profecto hic scriptor laboranti Sequestris fidei, dum ostendit Volturnum, qui

olim rigarat Caſilinum, poſtea hujus oppidi nomen adſciviſſe; quod quidem occidentis imperii Romani temporibus ſolemne fuerit. Adducit porro in eam rem teſtimonia duo, alterum Agathiae ex ſaeculo VI, qui L. II. p. 39. Francos ſub Juſtiniano Imp. ad *Caſulinum* amnem gravem accepiſſe cladem narrat, in cujus memoriam huic fluvio inhaerere quoque nomen *Sanguino* perhibet Ligorius; dein alterum Conſtantini Porphyrog. apud quem itidem *Caſulinum*, vel, quod corrupti codices prae ſe ferunt, *Caſudinum* ſalutatur. Imo & in tabula Peutingeriana Caſilinum forſitan de flumine intelligendum aſſerit, quod mihi tamen ſecus videtur. Quicquid ſit, aetas Vibii Sequeſtris ex his & ſimilibus aliquo modo definiri poteſt. Poſtrema Imperii Romani tempora videtur attingere, quibus Vulturni nomen exoleverat; inde factum, ut ex iſto & Caſilino duo flumina diverſa fecerit noſter. Nec rejicienda ergo protinus nomina Vibii, Romanis ſcriptoribus ignota. O.

## Cephiſos

Cephiſi orthographiam tractat N. Heinſius ad Ovidii Met. L. III. v. 343. Lilaea urbe Phocidos deſcendit is fluvius; teſtis eſt Strabo L. IX. p. 407. Οὗτοι μὲν ἐκ τῶν Φωκικῶν ὀρῶν οἱ ποταμοὶ καλαφέρονται, ὧν ὁ Κηφισσὸς ἐκ Λιλαίας Φωκικῆς πόλεως τὴν ἀρχὴν λαμβάνει, καθάπερ καὶ Ὅμηρος φησίν.

Οἵ τε Λίλαιαν ἔχον πηγῆς ἔπι Κηφισσοῖο.

ubi v. Caſaubonus. ſcholiaſtes Homeri ad Iliad. L. II. v. 522. & hunc 523. Ὁ δὲ Κηφισσὸς ποταμός ἐστι τῆς Φωκίδος ἔχων τὰς πηγὰς ἐκ Λιλαίας, ὥς φησιν Ἡσίοδος.

Ὅς τε Λιλαίηθι προρρέει καλλίρροον ὕδωρ.

Λιλαία) Πόλις Φωκίδος παρακειμένη ταῖς τοῦ Κηφισσοῦ πηγαῖς. Conſule Strabonem quoque L. IX. pag. 424. E latinis ſcriptoribus teſtis eſt Statius Theb. L. VII. verſ. 348.

*propellentemque Lilaeam*
*Cephiſi glaciale caput.*

*Euboeam*) Simlerus *Boeotiam*. Ariſtoteles her. Homer. epit. 1. Επὶ Πηνέλεω κειμένου ἐν Βοιωτίᾳ.

Τόν δ' ἐπὶ Κηφισσῷ ποταμῷ θέσαν ὠκὺ ῥέοντι
παῖδες Βοιωτῶν σώφρονα Πηνέλεων. HESSEL.

*Aliena*) reſtituo auctore & duce MS. *Lilaea*. In Lilaea urbe deſcendit, hoc eſt, in urbe Lilaea fontes Cephiſi. Pauſanias L. X. c. 33. Λίλαιαν δὲ τῶν καλουμένων Ναιδων, καὶ θυγατέρα εἶναι τοῦ Κηφισσοῦ, καὶ ἀπὸ τῆς νύμφης τὸ ὄνομα τεθῆναι τῇ πόλει φασί· καὶ ὁ ποταμὸς ἐνταῦθα ἔχει τὰς πηγάς· ἄνεισι δὲ ἐκ τῆς γῆς οὐ τὰ πάντα μεθ' ἡσυχίας, ἀλλ' ὥστε πλείω συμβαίνει, μεσούσης μάλιστα τῆς ἡμέρας, παρέχεται φωνὴν ἀνερχόμενος. cf. & Plinius L. IV. cap. 3. *Amnis Cephiſus praefluens Delphos ortus in Lilaea quondam urbe.* GRONOV. Vibius hic ſua nec clare ſatis effert, nec ſat ex rei veritate. Cephiſus ſcilicet ex Lilaea orſus in lacum Copaïdem vel Cephiſſidem defluebat. v. Pauſanias Boeotic. c. 24. Strabo L. IX. p. 407. Is Copaïs lacus per canales ſubterraneos cum mari copulatur. v. Wheeler voy. T. II. p. 277. S. CROIX. In varia lectione, quam pag. 8. indicavimus, heic emendabis, lector, quae de *Lilaea* notata ſunt & ſic leges: *Lilaea*) *ſic cod. Med. at in cod. Rev. Rel. & Pariſinis* aliena &c. . . ſcilicet, quod ſanus nunc hac parte locus, Mediolanenſi debemus codici. Neque de hac re dubium. Poſtrema verba ſunt oppido corrupta. Simleri *Boeotiam* non moror. Forſitan ſcripſerat Vibius: *& in lacum Copaidem fluit.* Caeterum ad radices Parnaſſi defluere reſonantem Cephiſſum Dionyſius perieg. ſcribit v. 440. ubi Euſtathius notat ſeptem Cephiſſos a Geographis numerari & paullo ante plures Aſopos, Acheloos & Cephiſſos occurrere docuerat. Hos Strabo L. IX. p. 424. paucis complectitur. Ἔστι δὲ Κηφισσὸς ὁ, τε Φωκικὸς, καὶ ὁ Ἀθήνησι, καὶ ὁ ἐν Σαλαμίνι· τέταρτος δὲ καὶ πέμπτος ὁ ἐν Σικυῶνι καὶ ὁ ἐν Σκύρῳ· ἕκτος δὲ, ὁ ἐν Ἄργει, τὰς πηγὰς ἔχων ἐκ Λυρκείου· ἐν Ἀπολλωνίᾳ δὲ τῇ πρὸς Ἐπισάμνῳ πηγή ἐστι κατὰ τὸ γυμνάσιον, ἣν καλοῦσι Κηφισσόν. Quod reſtat, Phocicus nomen antiquum ſervat, *Cephiſſo* dictus, Copais lacus *Livadia limni* ſalutatur. O.

## Cinybs

Totus hic locus in turpi mendo cubat. Vix eſt, quod dubitem, quin Vibio ſermo ſit de Cinypho, Africae fluvio & de oppido quodam ejuſdem Regionis, qualia Theveſte, item in tabulae Theodoſianae ſegm. III. *Thenebreſte*, quod ad *Tybreſti* ſonum ſic ſatis accedit, etſi a Cinyphi ſitu remotius. Verum codices ſcripti omnes habent *Arabiae*. Non puto quenquam huic malo allaturum medelam, ni in fontem incidat, ex quo iſta in Sequeſtrem promanarunt. Illud adjungo. In tabula, quae Arabiae felicis ſitum offert, a Niebuhrio & ſociis perluſtratae, ad Septentrionem occurrit *Wadi Schirrês*. Quid ſi ille *Schirrês* ſit *Cyrups* Vibianus? Sed haec dubia, imo forſan vana. O.

## Crathis

Graece Κράθις, v. Euſtathius ad Dionyſii orb. deſcr. v. 373 & 414. Schol. Theocriti ad eidyll. V. v. 15. Euripides in Troad. v. 226 ſq. Iſ. Tzetzes ad Lycophr. v. 1021.

*aurei*) ſic etiam Nic. Heinſius ad Ovidium met. L. XV. v. 313. At enim *auri* pro *aurei* non eſt ſine exemplis. Salmaſium ad Lampridii Alex. Sev. cap. 25, id conſulere jubet Relandus. HESSEL. Sybarin urbem inter duo fluvios Crathin & Sybarin eſſe conditam docent Strabo L. VI. p. 263. Plinius L. III. c. 11. Lycophron v. 1079. A caprario paſtore, cujus ad id flumen ſepulcrum ſit ſtructum, nomen quoque ei inditum Aelianus ſcribit de nat. animal. L. VI. c. 42. Idem & de aureo capillorum colore conſulendus L. XII. c. 36. conferenduſque cum Strabone L. VI. p. c. ubi: Ὁ δὲ Κράθις τοὺς ἀνθρώπους ξανθοτριχεῖν ἢ λευκοτριχεῖν dicitur. Ceterum in Peutingeriana tabula & apud Ravennatem anonymum *Crater* vocatur hic amnis; iſta quoque in Tyrrhenum exire jubet. Demum & in Sicilia & in Achaia Crathis fuit fluvius. v. Euſtathius l. c. Strabo L. VIII. p. 386. Pauſanias in Arcad. c. 15. O.

Crathis, de quo hic agitur, torrens fuit, cujus haud raro ſiccus alveus extitit. Ex Herodoti verbis ſaltem conſequi id videtur, referentis, Sybaritas templum Minervae conſecraſſe παρὰ τὸν ξηρὸν Κρᾶθιν. L. V. c. 45. Hodienum *Crate* ſalutatur ab accolis, mixtaque cum Sybari unda, per vaſtos amoenoſque campos, in quibus Sybaris oppidum ſteterat olim, in mare decurrit. v. voyage en Sicile & dans la grande Grece. p. 195. S. CROIX.

## Clitumnus

v. Propertius L. III. eleg. 21. v. 23. Philargyrius ad Virgilii Georg. L. II. v. 146.

*Jupiter*) v. Brouckhuſium ad Propertium L. II. eleg. 15. v. 25. & Cellarium G. A. L. II. cap. 9. HESSEL. Quae laeta dicunt Mevaniae (hodie *Bevagna*) prata Silius L. VIII. v. 457. & Juvenalis Sat. XII. v. 13. eadem taurifera vocat Lucanus L. I. v. 473. Tauris iſtis & ſolito grandioribus & albo colore conſpicuis tum ad ſacrificia uſi olim Romani, tum ad triumphalem pompam; quae paucis egregie exprimit Virgilius Georg. L. II. v. 146 ſeq.

*Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus*
*victima; ſaepe tuo perfuſi flumine ſacro*
*Romanos ad templa Deum duxere triumphos.*

Fluvii ejus fontem & decurſum ſcite pingit Plinius L. VIII. ep. 8. ubi ſic: *Vidiſtine aliquando Clitumnum fontem? Si nondum . . . vide . . . Modicus collis adſurgit, antiqua cupreſſu nemoroſus & opacus. Hunc ſubter fons exit & exprimitur pluribus venis, ſed imparibus; elucſatuſque facit gurgitem, qui lato gremio pateſcit purus & vitreus, ut numerare jactas ſtirpes & relucentes calculos poſſis. Inde non loci devexitate, ſed ipſa ſui copia & quaſi pondere impellitur. Fons adhuc, & jam ampliſſimum flumen atque etiam navium patiens; quas obvias quoque & contrario niſu in diverſa tendentes transmittit & perfert; adeo validus, ut illa, qua properat ipſe, quanquam per ſolum planum, remis non adjuvetur: idem ae-*

*gerrime remis contiſque ſuperetur adverſus. . . . Rigor aquae certaverit nivibus; nec color cedit . . .* Hanc imaginem fontis fluviique non alii convenire hodie arbitratur Alph. Ciccarellus in diſſ. de Clitumno, inſerta Theſ. Antiq. Ital. T. IX. P. VIII. quam illi, qui in ortu ſuo dicatur *le Vene di Piſcignano* in Comitatu Spoletino, quemque Mevenates, laudati auctoris municipes, dicant *la Timia* eo, quod ob frigus & rapidum defluxum timendus ſit. Cluverius tamen It. ant. L. II. c. 10. *Clitonno* nunc quoque nuncupari aſſerit. Neque hic audiendos eſſe Ciccarellus ſtatuit eos, qui in Comitatu Nuceriae potius oriri praedicent Clitumnum & nunc *Aqua Sancta* dici, itemque *Aqua blanca.* Praeterquam enim quod ſingula momenta a Plinio expoſita aptiſſime ad iſtas Piſciniani, ut vocantur, venas quadrent, reſtare hodieque in vicinia aſſerit & caſtri Faliſci, & templi Clitumni & ſacellorum veſtigia. Cluverio etiam teſte ſacrarium, nunc Servatori optimo inſcriptum, ſtructura ſua Romanum opus indicat. De Clitumno Deo, amni noſtro cognomine, quem Jovem ſolus quod ſciam ſed admodum veroſimiliter, dicit Vibius, appoſite iterum Plinius, ubi l. c. ſic pergit: *Stat Clitumnus ipſe, amictus ornatuſque praetexta. Praeſens numen atque etiam fatidicum indicant ſortes. Sparſa ſunt circa ſacella complura totidemque Dei; ſua cuique veneratio, ſuum nomen; quibuſdam etiam fontes. Nam praeter illum, quaſi parentem ceterorum, ſunt minores capite diſcreti; ſed flumini miſcentur, quod ponte transmittitur.* Suetonius in Calig. c. 43 nemoris mentionem facit, in quo ſcilicet cultus iſte peragebatur. Clitumni non meminit Strabo, at Teneam habet L. V. p. 227, eumque Mevaniam alluere & parvis navigiis merces in Tiberim devehere narrat. At Taenias, hodie *Topino*, navium patiens non eſt, unde & Silio l. c. v. 454.

\- - - *Tiniae inglorius humor*

dicitur, ſed Clitumnus, qui cum iſto aquas miſcet & in Tiberim defluit. Itaque Ciccarellum ſi audias, apud Strabonem *Teneae* ſubſtitues *Clitumnum.* Unicum addo: Vires a priſcis tributas Clitumno cur non amplius obſervare detur,

ſi quis quaerat, idem reſpondet, quod de oraculo Delphico apud Ciceronem praedicatur, vetuſtate eas evanuiſſe. O.

## Danubius

*qui & Iſter*) Hoc eſt, cur binominis appellari ſoleat. v. Ovidius ex Ponto L. I. ep. 8. v. 11. Statius L. V. Silv. v. 89. Silius Ital. L. I. v. 326.

*VII oſtia*) Quare ſeptemplex nominatur Ovidio triſt. L. II. v. 189. ſeptem geminus Val. Flacco L. IV. v. 718. & ſeptenus Statio L. V. Silv. v. 398. cf. & Val. Flaccus L. VIII. v. 185. ubi ſic:

*Haud procul hinc ingens Scythici ruit exitus Iſtri,*
*Fundere non uno tantum quem flumina cornu*
*Accepimus: ſeptem exit aquis, ſeptem oſtia pandit.*

& Euſtathius ad Dionyſii orb. deſcr. v. 298. HESSEL. Euſtathii locus reliquis contradicit, quinque oſtia enim Iſtro tribuit; ſed & ipſi Dionyſio v. 301. dicitur:

Ἴστρῳ πενταπόροις προχοῇσιν ἑλισσόμενῳ περὶ Πεύκην.

& Herodotus L. IV. c. 47. πενταστόμου vocat. Strabo ſeptem oſtia tribuit Iſtro L. IV. p. 207. ab Ephoro autem quinque iſti adſcribi teſtatur. Plinius ſex H. N. L. IV. c. 12. ſcholiaſtes Apollonii tria ponit. Herodotus porro & heic & L. II. c. 33 & 34. in deſignando Iſtri curſu multus eſt; in fontibus autem ejus definiendis oppido fallitur. Quid enim ſibi volunt iſta? Ἴστρῳ τε γὰρ πόλεμος ἀρξάμενῳ ἐκ Κελτῶν καὶ Πυρήνης πόλιος, ῥέει μέσην χίζων τὴν Εὐρώπην. οἱ δὲ Κελτοὶ εἰσὶ ἔξω Ἡρακλείων στηλέων . . . Abſque dubio Pyrenaeos montes cogitabat Herodotus. Sic ſaltem & Ariſtoteles Meteorolog. L. I. c. 13. Neque Strabo ſat recte rem docet; huic enim L. IV. p. 207. αἱ τοῦ Ἴστρου πηγαὶ ſunt πλησίον Σκιράων καὶ τοῦ Ἑρκυνίου δρυμοῦ. Contra verum fontium ſitum declarat Plinius l. c. ubi *in Germaniae jugis montis Abnobae oriri Danubium* narrat. Gemina habent Tacitus de mor. Germ. pag. 123. & Feſtus Ruf. Avienus in deſcr. orb. v. 437 ſq. Fuit & aliud antiquo aevo nomen Iſtro; *Matoas* enim

appellatus, teſte Euſtathio l. c. quod graece interpretandum Ἄσιον tradit. Atque haec ex Strabone ſe hauſiſſe profitetur ſcholiaſtes; Caſaubono tamen magis arridet, ex Stephano deſumta ab Euſtathio, in cujus ſane epitome totidem verbis leguntur. Demum bina nomina fluvio noſtro non promiſcue data referunt Geographi. Sed ſuperiores ejus partes, ad cataractas uſque *Danubium*, inferiores ad Pontum uſque *Iſtrum* appellatum Strabo L. VII. p. 304 docet. Quocum conferendus Mela L. II. c. 1 & 3. Plinius ibi, unde primum Illyricum alluit, Iſtrum appellatum pronunciat. Ptolemaeus L. III. c. 8. ab Axiopoli uſque ad Pontum & oſtia hoc nominis ferre narrat. Demum ad Vindobonam uſque Danubium vocari, Agathemeri ſententia eſt L. II. c. 4. Recentiori aevo Danubii maxime inferioris curſum ſplendido opere illuſtravit Ill. Marſilius Comes, qui Leopoldo regnante ad ejus ripas exercitui praeerat. Majores aeneae tabulae numero 288 exornant ejus Danubium Pannonico-Myſicum, qui Hagae Comitum & Amſtelodami prodiit forma maxima tomis ſex. O.

## Drinius

*Drinus*) MS. *Drimus*, forte *Drinius*, ut apud Plinium H. N. L. III. c. 26. *Illyrici longitudo a flumine Arſia ad flumen Drinium DCCC. M.* &c. Strabo tamen L. VII. p. 316. Καὶ Δρείλων πόλεως ἀνάπλουν ἔχων πρὸς ἕω, μέχρι τῆς Δαρδανικῆς. a Ptolemaeo L. II. Geogr. cap. 17. etiam vocatur Δρείλων. Nodus dignus vindice Hercule: bene tamen eſt, ut faſtidiatur *Drinus*. GRONOV. Pro *Drilone* fluvio addo auctoritatem Nicandri Theriacon v. 607.

. . . . Δρείλων τε Νάρων᾽ ὄχθαι

Theophraſtus hiſt. Plant. IX. 7. pro quo habet Plinius H. N. L. XXI. c. 7. *in ſilveſtribus Drilonis & Naronae.* Denique Stephanus Byz. v. Δυββάχιον ubi Δρείλων τε Λα᾽ occurrit. SCHNEIDER.

*Ligniſti*) *Lychniti* legendum eſſe judicat Cellarius G. A. L. II. cap. 8. qui conſulendus. HESSEL. Equidem, li-

brariorum hominum vitia vitaturus, recta repoſui, a quibus codices citati parum abſunt: Lychnitem paludem Anna Comnena ſuo aevo lingua in barbariem degenerante *Achridem* dictam refert. Alexiad. L. XII. p. 371. Cedrenus p. 341. e magna palude ad urbem Achridem ſive Lychnidum exire Drinum narrat. ἐξ ἧς ποιεῖται τὰς ἐκβολὰς ὁ Δρῖνος ποταμὸς, πρὸς ἄρκτον ἰών, εἶτα νεύων πρὸς δύσιν, καὶ ἐκβάλλων εἰς τὸ Ἰόνιον πελάγει τὸν Ἐλισσὸν τὸ φρούριον. Quocum conferendus Niceph. Calliſtus L. XVII. c. 28. qui antiquitus *Daſſaritem* vocatum ſcribit. Haec ita Cellarius ex ſcriptoribus medii aevi, quaſi apud veteres altum eſſet de hac palude ſilentium. Verum Straboni L. VII. p. 327. memorantur αἱ λίμναι αἱ περὶ Λυχνιδοῦντα (Caſaubonus legit Λύχνιδον) ταριχίας ἰχθύων ἀνταρκεῖς ἔχουσαι . . Polybius L. V. c. 108. Λυχνιδίαν; Diodorus Sic. L. XVI. c. 8. Λυχνίτιδα λίμνην appellat; utroque nomine Stephanus. *Aſcuridem* paludem memorant Florus L. II. c. 12. & Livius L. XLIV. c. 2 & 3, quam cum Lychnitide vel Lychnite eandem putat Ortelius. Forſan *Aſcuris* per vitium pro *Achride* poſita, quo nomine quoque veniſſe Lychnitem paullo ante vidimus. Lychnido urbi, memoratae & Ptolemaeo L. III. c. 13. id ipſum nomen hodieque ſervatur, *Akrida* dictae. Caeterum eſt & Lychnitis palus in Armenia apud Ptolemaeum L. V. c. 13. Qui e Lychnite Illyrica oritur Drinius, niger dicitur, *Cara Drino* vel *Drino nero*, quocum aquas miſcet defluens e Scardicis jugis alius, Ptolemaei L. II. c. 17. Drilon, albus appellatus, *Drino bianco;* hi ambo juncti conficiunt Drinium, qui apud Liſſum, hodie *Aleſſio*, in mare defertur. Scodram, de qua ſupra in Barbana, non attingit, quod perperam proinde tradit Vibius, qui verba Plinii forſan male cepit, L. III. c. 22. ubi ſuper Drilonem Scodram locat, quod ſanum ſenſum poteſt admittere. Niſi tamen Plinius Drilonem a Drinio diſtinctum cupiat, quod non prorſus eſt abſimile vero. Ptolemaeus hunc Drinium noſtrum Drilonem, Drinum contra aliud flumen vocat, quod in Savum decurrit. Demum parum intereſſe cenſeo, *Drinus* an *Drinius* nuncupetur hic Vibii, ſiquidem

diverſimode nomen exprimunt ſcriptores. In tabula Theodoſiana *Drinum Fl.* legitur. Apud Livium L. XLIV. c. 31. ſalutatur *Oriundus.* O.

## Enipeus

v. Servius item Pierius ad Virg. Georg. L.IV.v. 368.HESSEL.

*Othry*) v. Plinius L. IV. c. 8. *In Theſſalia ſunt quatuor atque triginta, quorum nobiliſſimi Cerceti, Olympus, Pierus, Oſſa; cujus ex adverſo Pindus & Othrys.* GRONOV. Othrys Thraciae mons dicitur noſtro infra, male, ut ex hoc loco conſtat. Ex eo in Apidanum defluit Enipeus; cujus tanquam Theſſaliae fluminis meminit jam Herodotus L. VII. c. 129. Strabo quoque L. IX. p. 432. Enipeum dicit in Apidanum labi. Porro Plinius l. c. inter Theſſaliae amnes recenſet eundem. Attamen Strabone teſte L. VIII. p. 356. τὸν δ' ἐν Θετταλίᾳ Ἐνιπέα γράφουσιν; eſtque id eo magis memoratu dignum, quod hoc *Eniſei Theſſalici* nomen nomini *Enipei Peloponneſii*, cujus & Homerus meminit Odyſſ. L. XI. v. 237 & 239. opponere videatur, tanquam diverſimode ſcribi ſolitum. Non tamen ex hoc uno Geographi loco reliqua & ejuſdem & aliorum loca mutanda cenſet Caſaubonus. Quod autem hic apud Vibium non *Enipeum* ſed *Enipheum* legi adjicit, id verum quidem eſt, habent enim codices *Enipheus*, *Enifeus*, aſt id nullius profecto momenti & librariorum hominum culpa ortum; unde nec in lectionis varietate iſtud diſcrimen notavimus. Demum humani quid paſſus Caſaubonus ad Strabonis l. c. L. IX, ubi Livii Enipeum L. XLIV. c. 8. cum Enipeo Strabonis & Vibii pro eodem habet, & apud hiſtoricum Romanum pro *Olympi montis*, ſubſtituit *Othryis.* Non animadvertit vir doctus, ſermonem ibi de Enipeo eſſe, qui quinque millia paſſuum a Dio Macedoniae diſtabat, ipſo proinde Macedonico fluvio non Theſſalico, quemque nullo modo ex Othry ſed ex Olympo promanare oportet. *Pharib* nunc dici Thevetus quum aſſerit, eum cum Baphyro Livii L. XLIV. c. 6. vel Pharybo Ptolemaei L. III. c. 13. confundit, qui Dio urbi proximus in mare decurrit. O.

## Evenus

Joſ. Simlerus conjectaverat *Evenus Aetoliae* & M. Ant. Delrio ad Senecae Herc. Oet. v. 502. recte. Quod autem in MS. legitur; *qui & Licorum* vel *Lycorum* vel *Lucorum* vel *Licor*, non eſt nihil; etenim Evenus olim Lycormas audiit, Strabone teſte L. X. p. 451. & Plutarcho de fluv. ubi ſic Λυκόρμας ποταμός ἐστι τῆς Αἰτωλίας· μετωνομάσθη δὲ Εὔηνος. Ceterum Lycormas Statio vocatur perquam appoſite Centaureus Theb. L. IV. v. 838. ubi Lactantius ſive Lutatius. *Lycormas Thebanus fluvius, quem centaureum dixit, quod in eo Herculis ſagittis centaurus Neſſus ſit interemptus; ut Lucanus:*

*Et Meleagream maculatus ſanguine Neſſi.*

*Centaureum ideo, quia hunc Neſſus centaurus cuſtodiebat.* Verum, cur ſcholiaſtes Thebanum faciat Lycormam, mihi, fateor equidem, non liquet. Fabulam Neſſi eſt legere in Ovidio metam. L. IX. v. 101 ſeq. & Epiſt. Heroïd. IX. v. 141. & Lucano L. VI. v. 365. HESSEL. Si me conſulis, nomen nihili eſt *Eſper*, natum ex eo quod ſcriptum fuerit *Lycormas, per quem Neſſus* &c. Male conjunctum *as* & *per* peperit *Eſperum*, qui in Boccacio legitur, novum articulum inchoans. RELAND. Boccacius iſtud erroris ex Vibio hauſerat. Quae enim is habet: *Eſper fluvius, apud quem ſecundum quoſdam &c. Evenos fluvius eſt, qui & Licorim.* eadem fere ſunt, quae ex MS. Codicibus Vibii poſt Heſſelium notavimus. Recte de reſtituendo hoc loco ſentientes doctos viros ſecuti ſumus. Fabulam de Neſſo, quam Vibius tangit, Strabo L. X. p. cit. ita refert: Εὔηνος . . . ἐκαλεῖτο Λυκόρμας πρότερον· ᾗ ὁ Νέσσος ἐνταῦθα λέγεται πορθμεὺς ἀποδεδειγμένος ὑφ' Ἡρακλέους ἀποθανεῖν, ἐπειδὴ πορθμεύων τὴν Δηϊάνειραν ἐπεχείρει βιάσασθαι. Cum eo cf. Hyginus Fab. 34. Eveno, qui in tab. Theodoſ. ſegm. VII. ſcribitur *Evvenos*, hodie nomen *Fidari*. O. Evenus eſt Aetoliae flumen. v. Strabo L. VII. p. 327. & X. p. 451. GRONOV. v. Pauſanias in Phoc. c. 38. Is fluvius exorſus ex terra τῶν

Βοιάων per Chalcidem & Calydoniam decurrebat. Ante dictus Lycormas. v. Strabo l. c. S. CROIX.

## Euphrates

Euphrates Meſopotamiae fluvius limes imperii Romani conſtitutus, quo ſubmoverentur Parthi. v. Lucanus L. VIII. v. 235. Propertius L. II. eleg. VIII. v. 17. L. III. eleg. III. v. 3. L. IV. eleg. VI. v. 79. Claudianus in primo Coſ. Stilicon. L. I. v. 53. HESSEL. Cui bono iſta repetitio & cur ita diverſimode? Scilicet hinc certo colligere licet Vibium ab amanuenſium grege & miſere habitum & a poſterioris aevi grammaticis turpiter eſſe interpolatum. Nam vel prior vel poſterior articulus haud dubie eſt inſititius & interdictum Praetoris metuit. J. CORN. DE PAW. Equidem Praetoris vices hic mihi ſumo, poſterioremque articulum, qui inepti gloſſatoris obſcuram redolet diligentiam, ſubmoveo. O. Iſta, quae in perperam adjectis leguntur repetita e Salluſtio, debentur Hieronymo de loc. Hebr. apud quem ſcriptum eſt *demonſtrari* pro *monſtrari*. HESSEL. Parthiae Euphratem auctor de fluviis quoque aſſignat; rationem docuit Heſſelius. Idem ille, ſive Plutarchus ſit ſive alius, olim *Zarandam* dictum fuiſſe refert, poſtea *Medum* a Medo Artaxerxis filio, undis ejus merſo, demum *Euphratem* ab Arandaci filio Euphrate. Utrumque fabulam ſapit, nec minus illud, quod de Aſtige lapide adjicit, in partu difficili prodeſſe. Fluvio hodie nomen *Frat*. Item *Nahar al Kiufa* & *Morad-Su*, ſive aquae deſiderii. Sitne navigabilis an minus, diſputat S. Croix in Examen critique des hiſtor. d'Alexandre. p. 292. O.

## Eurotas

*Laconices*) ſic legendum. v. Mela L. II. cap. 3. Straboni etiam Λακωνικὴ dicitur. GRONOV. Triplex Eurotae nomen refert dubius auctor de fluviis, dictus quippe *Marathon*, *Himerus*, *Eurotas*. Iſtud antiquiſſimum, illud ab Himero Tay-

getae nymphae filio, hoc ab Eurota Lacedaemonum imperatore, utroque undis rapto, exortum. Cum Alpheo Eurotam undas miſcere, communique fluere alveo ad ſtadia prope XX, tum eodem cuniculo excipi, ex quo erumpentes is in Megalopolitanorum finibus, hic in Laconica e novis emergat fontibus, docet Pauſanias in Arcadicis c. 44 & 54. Addit Strabo L. VI. p. 275. coronas in communem alveum injectas, partito itinere quamque in eo, cui nuncupata fuerit, fluvio prodire rurſus. Apud Ravennatem anonymum fluvius noſter *Eurotis*, hodie *Baſilipotamo* ſalutatur. Fuit & Eurotas Theſſaliae, Titareſius Homeri. v. Strabo L. IX. p. 441. itemque Magnae Graeciae ad Tarentum, alias Galeſus. O.

## Eridanus

Servius ad Virgilium Georg. L. IV. v. 368. & Philargyrius ad loc. eund. HESSEL. Eridanus Rex fluviorum vel Padus, hodie *Po*, accolis olim *Bodencus* dictus, teſte Polybio Hiſt. L. II. c. 16 *Bodincus* auctore Plinio H. N. L. III. c. 16. qui *fundo carentem* interpretatur, cui aſſentit Chorier in hiſt. Delphin. L. II. p. 94. Germaniae *ohne Boden*. Atque ſic quadraret etymon ad illud, quod Menagius tribuit Pado ipſi, a βάθος, ſi eum audias, derivando. v. le orig. della lingua Italiana p. 374. Aliis aliunde trahere placet. O.

*mutantur*) pro *mutatae ſunt*. Familiari ſatis praeteriti in praeſens commutatione, quod ad majorem ſignificationem figurandam fieri ſolet, ut obſervat Servius ad haec Virgilii verba Aen. L. IV. v. 228.

*Grajumque ideo bis vindicat armis.*

Idem in Ciri v. 246.

*Per tibi Dictynnae praeſentia numina juro,*
*Prima Deum quae te mihi dulcem donat alumnum.*

CLAUD.

*in populos*) Virgilius Aen. L. X. v. 189. Valer. Flaccus L. V. v. 430. Lucanus, L. II. v. 410. Ovidius Metam. L. II.

v. 340 ſq. In alnos autem verſas fuiſſe Heliadas Virgilius ait Ecl. VI. v. 62.

*Tum Phaëthontiadas muſco circumdat amarae*
*corticis atque ſolo proceras erigit alnos.* HESSEL.

Alnos metrum peperit. Reliquis poetis populeae dicuntur ſorores. Eam fabellam variis monumentis quoque expreſſam videas. Fuſe quidem apud Maffeum in anaglypho. v. Muſ. Veron. p. LXXI. Porro in gemma, cujus ectypon extat inter Lippertinas M. I. n. 741. In larices converſas Heliadas innuit Accoleius Lariſcolus in nummo, quem ad cognomen ſuum alludens tribus feminis in larices mutatis ornavit. Laricem vero ad Padi ripam reperiri auctor eſt Vitruvius L. II. c. 9. O.

## Eraſinus

Longe omnium clariſſimus eſt Eraſinus amnis Argiae, dictus quoque Arſinus; ceteri Eraſini regionum ſunt aliarum; conſule ſis Strabonem L VIII. p. 371. at nullus eſt, quod ſciam, Lyciae. HESSEL. Iterum ex loco Statii male intellecto a Vibio noſtro hoc erroris quicquid eſt profluxit. Is Theb. L. IV, 117. ita:

*Qui ripas, Lyrice, tuas, tua littora* &c.

ubi codices ſcripti habent *Lichie*, *Litie*, *Lyrciae* aut *Lircie*. Quum dein mox apud Statium legatur:

——— *Dryopumque trahens Eraſinus ariſtas,*

credidit Vibius aut interpres alius Statii, quem is eſt ſecutus, *Litie* vel *Lyciae* littora ab *Eraſino* allui: eademque opera intelligimus, unde varians codicum Vibianorum ſcriptura *Litiae* & *Sithiae* nata ſit, quod in codicibus Statianis diverſo modo ea vox legatur. RELAND. Boccacius ſic: *Eraſinus fluvius eſt Nemeae . . alii autem Litiae fluvium dicunt.* In noſtrum his digitum intendit, cujus peccatum nec ex parte quidem ſuum facere debebat. Ceterum Nemeae quum dicit, Argolidos vel Argivum fluvium intelligit, de quo praeter Strabonem Pauſanias in Corinth. c. 24 & in Arcad. c. 22.

ubi ipſum Stymphalum fluvium, quum per cuniculum in Argolide erumpit, Eraſinum appellari ſcribit. O. Eraſinus Pomponio Melae memoratur L. II. c. 3. is in Arcadia ad Stymphalidem ortus. v. Strabo L. VIII. 1 c. Plinius L. II. c. 103. L. IV. c. 5. Atticam quoque exiguus rigabat fluvius, Eraſini nomine. S. CROIX.

## Eſia

Eſiam atque Iſaram eundem putant eſſe. Ad hoc facit Antoninus itin. prov. pag. 384.

*Item a Caeſaromago*
*Lutetiam uſque M. P. XLVI.* ſic
*Petromantalium* M. P. XVIII.
*Brivaniſaram* M. P. XIIII.
*Lutetiam* M. P. XV.

ubi *Brivaniſaram* interpretantur *Brivam Iſarae.* Itaque non opus eſt conjectura Simleri, forte *Aeſis Galliae Senonum in Adriaticum fluit.* Papirius Maſſonus deſcr. Flum. Gall. qua Franc. eſt pag. 211. pro *Eſia* legit apud Vibium *Aiſia* & *influit* pro *fluit.* HESSEL. *Eſia* vel *Oeſia*, qui & *Iſara*, infunditur Sequanae nomenque vetus refert, dictus *Oiſe.* RELAND. Eſiae vel Oeſiae nomen ignorat Cellarius in Geogr. Ant. contra Iſaram citat ex hoc Fortunati verſu carm. 4. L. VII. ad Gogonem :

*Iſara, Sara, Chares, Scaldis, Saba, Somena, Sura*

Apud quem veterum nomen Eſiae vel Oeſiae occurrat, diſpiciendum. Neque enim heic a me impetro, quin a doctiſſimo D'Anvillio, quem Geographorum noſtrae aetatis facile principem dixeris, diſſentiam. Is in Notice de la Gaule p. 388. hunc Vibii articulum male ſedulae librariorum hominum poſterioris aevi curae deberi ſuſpicatur. Verum pluribus aliis locis accidit noſtro, ut nomina fluviorum, qualia ultimis Romani imperii ſaeculis obtinuere, antiquioribus ſubſtituat, etſi apud alios ſcriptores haud obvia. Ejus rei exempla in Camico atque Caſilino ſupra ſuppeditavimus,

alia in ſequentibus hinc inde occurrent. Ceterum non nihil eſt, quod apud Ducheſne in Normannicis p. 5. *Hiſae* nomen Iſarae tribuitur, quod jam minus ab *Eſiae* nomine diſtat. Denique nomen *Oiſe*, quo hodieque mactatur is fluvius, non repente ex Iſarae nomine exortum credi debet, ſed variis inflexionum modis intercedentibus. O.

## Epidanus

Secundum vulgarem lectionem hic ita fit mentio Epidani, ut is videatur ſupra Apidanos labi; verum nil aliud innuitur, quam antea hunc fluvium recenſitum & ſupra ad vocem Apidanos videndum eſſe de Epidano. Sic ergo interpungendum eſt: *Epidanus Theſſaliae. Supra, Apidanos.* RELAND. Male ab Apidano diſtinguitur Epidanus. S. CROIX.

## Faneus

*Siris*) Heracleae quadantenus eſt, non autem Beneventi. HESSEL. Locus corruptus. Fanei nec vola nec veſtigium uſquam. O.

## Fabaris

Eum eundem eſſe ac *Farfarum* autumat Servius ad Virgil. Aen. L. VII. v. 715. v. Savaro ad Sidon. L. I. ep. 5. Martinii Lex. Philolog. & G. J. Voſſii etymol. LL. HESSEL. Ex Servio Vibius. Is ita: *Fabarim quem dicit, etiam ipſe per Sabinos tranſit & Farfarus dicitur. Plautus: Diſſipabo te tanquam folia Farfari. Ovidius: Et amoenae Farfarus umbrae.* Plauti locus male citatur a Servio, v. Cluverius It. Ant. L. II. c. 10. p. 708 apud Comicum quippe farfarus arbor eſt, non fluvius. Contra Ovidii verba ex Metam. L. XIV. v. 330. deſumta ſunt & recte ſe habent. *Fabaris* metri cauſa Virgilio dicitur, ex quo Sidonius L. I. ep. 5. *gelida Clitumni* (*fluenta*) *Anienis coerula, Naris ſulfurea, pura Fabaris, turbida Tiberis.* Quod *Faber* quoque corrupte vocetur, ut Vibius addit, hoc aevo ipſius tribuendum

& ejuſ-

& ejuſdem eſt indolis cum Eſiae nomine & Caſilini & aliorum. *Farfarum* vulgo ſalutant ſcriptores. Hodie *Farfa*, quod & nomen oppidi eſt Ravennati anonymo, a fluvio dicti & vetere monaſterio Benedictinae familiae inſtructi. Fluvius ipſe paullo ſupra Capenas incidit in Tiberim. O.

## Ganges

v. Lucanus X. 33. & III, 230. Sidonius carm. II. v. 442. & VII, v. 74. HESSEL. v. Mela III. 7. *Ganges multis fontibus in Hemodo Indiae monte conceptus, ſimul unum alveum fecit, fit omnium maximus, & alicubi latius; quando anguſtiſſime fluit*, X. M. P. *patens, in ſeptem ora diſpergitur.* cf. & Solinus cap. 54. GRONOV.

*ſolus*) Hortenſium videto ad Lucanum L. III. v. 231. maxime etiam Miſſon nov. itin. Ital. Gallice ſcripto. ep. 34. pag. 33. HESSEL. Hic ſoluto ſermone ligatum Lucani exprimit noſter

> - - - - - *toto qui ſolus in orbe*
> *oſtia naſcenti contraria ſolvere Phoebo*
> *audet, & adverſum fluctus impellit in Eurum.*
> *Hic ubi Pellaeus poſt Thetyos aequora ductor*
> *conſtitit* - - -

ubi illud in primis notabis, *poſt Thetyos aequora* a Vibio reddi *poſt Oceanum.* Hoc quoque obiter, ſi Ganges ortum verſus labatur, ut illi tradunt, non eſſe illum Gangem, qui vulgo eſſe creditur & circa oppidum Bengalam ſe effundit in mare, ſed illum, qui nunc quoque *Guenga* dicitur & per regnum Golcondae fluens vere adverſus orientem fluit. RELAND. Secas nodum, Relande, non extricas. Errat hic noſter cum Lucano, qui a Strabone, quem male intellexerat, deceptus videtur. Strabo L. XV. p. 690. Gangem, ubi e montana regione deſcendit, πρὸς ἕω ἐπιστρέφεσθαι, in ortum ſolis converſum ſcribit. Ea Lucanus ad Gangis oſtia transfert, invito Strabone; haec certe auſtro ſunt objecta. Non minorem vero Gangem ſ. Guenga reſpexiſſe Vibium patet inde,

quod latiſſimum fluvium nominat, quem Alexander navigare timuerit. Caeterum pro more auctor de fluviis Gangis nomen a nomine viri juvenis, ex Indo nati quique ſe in eum amnem projeciſſe ſcribitur, deducit. O.

*quem Alexander* &c. Gangem ſalutare non tum in animo habuit Alexander, quum ad Oceanum acceſſiſſet, ſed poſtquam Hyphaſin v. Hypanim ſuperaſſet. v. Arrianus L. V. c. 25, 26. Diodorus Sic. L. VII. nº. 93, 94. Neque Ganges ſolus eſt fluvius, qui curſum ſuum verſus ortum ſolis dirigat, ut Vibius refert (poſt Lucanum). Imo nec ipſe orientem verſus defluit, niſi inde ab urbe Helabas ad eum locum, ubi fluvium *Nadi* recipit, hinc in auſtrum deflexus. v. tab. Geogr. D'Anvillii. s. CROIX.

## Galeſus

*Tarentinorum*) v Martialis L. II. ep. 43 & L.V.ep. 38. Statius L. III. Silv. III. v. 93 & L. II. Silv. II. v. 110. Heic Nic. Heinſius *vineta* mutat in *pineta*: etenim margini Stat. edit. Amſterd. 1630, quem in libelli fronte teſtatur ſe a patre habere, & qui nunc penes me eſt, hoc allevit ille; *f. pineta. vid. Propert.* Propertii verſus, qui ad aures obverſabantur, procul dubio hi ſunt L. II. eleg. XXV. verſ. 67.

*Tu canis umbroſi ſubter pineta Galeſi*
*Thyrſin & attritis Daphnin arundinibus.*

Etſi minime adſpernanda ſit haec conjectura, tamen veterem ſcripturam eſſe rectam opinor: nam Tarentum nobilitavit etiam vini bonitas inibi nati. Plinius nat. hiſt. L. XIV. c. 6. *Verum & longinquiora Italiae ab Auſonio mari non carent gloria, Tarentina* & reliqua. & cap. 3. *Nec non Tarentinum genus aliqui fecere, praedulci uva.* Horatius L. II. od. 6. v. 13.

*Ille terrarum mihi praeter omnes*
*Angulus ridet: ubi non Hymetto*
*Mella decedunt, viridique certat*
*Bacca Venafro.*

*Ver ubi longum, tepidaſque praebet*
*Jupiter brumas; & amicus Aulon*
*Fertili Baccho minimum Falernis*
*Invidet uvis.*

ibi Porphyrion; *Aulon locus eſt contra Tarentinam regionem ferax boni vini.* Acron; *Hic Aulon mons eſt Calabriae; &, quia impar non eſt, ideo dixit non invidere.* Martialis L. XIII. epigr. 125.

*Nobilis & lanis, & felix vitibus Aulon*
*Det pretioſa tibi vellera, vina mihi.*

Caeterum Galaeſus penultimam habet diphthongum. v. Emmeneſſius ad Virgil. Georg. L. IV. v. 126. & Dacerius ad Horatii l. c. HESSEL. Cur *nigrum* dicat Galeſum Virgilius l. c. diſputant; inventus, qui *pigrum* ſubſtitueret, quod ſtanti ſimilis ſit. Turnebus nigrum vocatum putat, quaſi profundum; aliis nec immerito viſus idem dicere Virgilius, quod Propertius, quum umbroſum ſalutat. Apud Polybium L. VIII. c. 28. abſque dubio vitioſe Γαλαῦσος nominatur; Victorius tamen legit Γαλέσος; forſan ſcriptum initio erat Γαλαῦισος. Eundem fluvium vulgo etiam Eurotae nomen ſuſtinere Polybius adjicit, idque Parthenios Laconum colonos ſecum a patrio flumine attuliſſe Tarentum cenſet. Quod autem Ortelius Spartanum quoque fluvium binominem fuiſſe autumat, Eurotam Galeſumque vocatum, id vereor, ut probet. Martialis enim l. c. & Statius Silv. L. III. v. 422. Lacedaemonium Galeſum non alia ex ratione dicunt, quam quod ad pecuaria, quae rigabat, Lacones coloni habitarint. Ovibus enim nobilitata fuit Tarentina regio, Horatio teſte, l. c. Hodiernum Galeſi nomen eſt *Bagrada* in tabula Neapolitana Ligorii. v. Ortelius; apud Brietium P. II. p. 642. ſalutatur *Tara.* Quae vulgo huic articulo noſtro in editis adjecta leguntur: *quinque millibus a civitate diſtans: Livius auctor.* (ſcilicet L. XXV. c. 11.) ex margine irrepſiſſe puto. O.

## Gallus

Ovidius faſtor. L. IV. verſ. 363.

*Inter*, ait, *viridem Cybelen altaſque Celaenas*
*Amnis it inſana, nomine Gallus, aqua.*
*Qui bibit inde, furit. Procul hinc diſcedite, quis eſt*
*Cura bonae mentis. Qui bibit inde, furit.*

magis explicate Plinius nat. hiſt. L. XXXI. cap. 2. *Item in Syriae fonte juxta Taurum montem, auctor eſt M. Varro: & in Phrygiae Gallo flumine Callimachus. Sed ibi in potando neceſſarius modus, ne lymphatos agat: quod in Aethiopia accidere his, qui e fonte rubro biberint, Cteſias ſcribit.* Eandem vim lacubus Aethiopiae quibuſdam attribuit Ovidius metam. L. XV. v. 317.

*Quodque magis mirum, ſunt, qui non corpora tantum,*
*Verum animos etiam valeant mutare liquores.*
*Cui non audita eſt obſcenae Salmacis undae,*
*Aethiopeſque lacus; quos ſiquis faucibus hauſit,*
*Aut furit, aut mirum patitur gravitate ſoporem.*

HESSEL.

Gallus ſupra Modra natus in Sangarium incidit. v. Strabo L. XII. p. 543. *Garippo* ſalutatur hodie. v. Ortelius. Fanatici dicti olim, qui circum fana, maxime Bacchi, Bellonae, Iſidis, Serapidis, bacchabantur. Apud Gruterum in theſ. inſcr. p. CCCXII. n. 7. occurrit *Fanaticus ab Iſis Serapis ad aedem Bellonae* & p. ſeq. n. 1. *fanaticus de aede Bellonae.* O.

## Gela

v. Virgilius Aen. L. III. v. 701. & ibi Servius. Silius Ital. L. XIV. v. 218. Claudianus de raptu Proſ. L. II. v 58. HESSEL. Is amnis hodie ex nomine urbis *Terra nova*, quae in locum antiquae Gelae ſucceſſit. *fiume di Terra nuova* ſalutatur, teſte Ser. Caſtello P. T. M. in proleg. ad Inſcr. Sicil. p. XXVIII. Alii *Cherza* vocari perhibent; Fazellus & Aretius eundem cum *fiume Salſo* credebant; id inde factum, quod Ptolemaei Hi-

meram putarint esse. In nummis Gelois taurus conspicitur cornutus humana facie insignis. v. Paruta tab. C. CI. & CII. Dorvillius tab. X. Castellus P.T.M. in terza Agg. alla Sic. Num. tab. V. n. 21. & seq. item in quarta agg. tab. VII. n. 22. Jam eum Minotaurum, perpetuum Geloorum symbolum, in memoriam Cretensium, primorum Gelae incolarum, interpretantur Begerus, Spanhemius, Haverkampius, Burmannus. Harduinus ad Plinium L. III. c. 14 agricolas signari perhibet, fluminis Gelae accolas, perferentes laboris. Castello P. T. M. Gelas fluvius ipse sisti videtur, consueta forma expressus, idque & in his Gelae & in Selini nummis eo minus esse dubium pronuntiat, quod nomen ipsum adscriptum ostendant. Neque audiendum proinde putat Ignarram nuperum auctorem operis de Palaestra Neapolitana, qui tauriformes istos fluvios in nummis ad solum Acheloum referendos novo commento tradidit, omnesque omnino Acheloios esse dicendos. v. Opuscoli di autori Siciliani tomo XIII. p.26. Verum, ut ad priscum fluminis nostri nomen redeam, is Gelas Diodoro Sic. & Plinio L. III. c. 8. salutatur, Aretius in Chorogr. Sic. Gelae nomen barbarum esse dicit & Latine interpretatur *Caliginem;* idem nomen Gelae hodieque in monte *Gelae*, ab Agrigento XXIV. fere milliaribus distante, superstes esse contendit. Marius Niger in descr. Sic. *Gelam* Siculos vocare pruinam tradit, fluviumque sic dictum, quod generet multum pruinae. Ἀπὸ τῦ γελᾶν sive a ridendo Pythiae jussu nuncupatum ex eo, quod Antiphemus istius, quam consuluisset, responso in risum esset effusus, ex Aristaeneto Stephanus Byz. commemorat; quae nominis ratio probatur Maurolyco Sican. hist. L. I. Non desunt, qui a Gelonis cujusdam nomine deducant. Certiores his nugis nugas sese inveniisse arbitratur Bochartus in Chan. L. I. c. 29 ubi a Punico בלע sive vortice sic salutatum asserit Gelam, teste Ovidio Fast. L. IV. v. 470. *vorticibus non adeundum*, qui naves absorbeant, quae vis vocis ejusdem in Arabica cognatisque linguis sit. Aeolica dialecto litteram Β in Γ transiisse adjicit. O.

## Genuſus

Flumen, cui *Gelagienſis* ſit nomen, non memini me legere: ſed inter Dyrrachium atque Apolloniam it amnis nomine Genuſus, de quo Lucanus V, 462.

> *Prima duces vidit junctis conſiſtere caſtris*
> *Tellus, quam volucer Genuſus, quam mollior Apſus,*
> *Circumeunt ripis.*

ac, ne teſtem producam Caeſarem comment. de bell. civ. L III. cap. 75 & 76. Livius L. XLIV. cap. 30. *Jam & Ap. Claudius, adſumptis ad eum exercitum, quem habebat, Bulinorum & Apolloniatium & Dyrrachinorum auxiliis, profectus ex hibernis circa Genuſuum amnem* (*Genuſum* legit Cellarius G. A. L. II. cap. 13.) *caſtra habebat.* Verum enim vero quod Vibius ſcribit *Gelagienſem*, ſive *Gelagienſum*, ſive *Gelagenſum* ex ſive in Epiro decurrere, miror equidem: nam Genuſus in pelagi vicinia, non autem in Epiro ſuum caput habere videtur. Dabit teſtimonium Lucanus verſ 463.

> *Apſo geſtare carinas*
> *Cauſſa palus, leni quam fallens egerit unda.*
> *At Genuſum nunc ſole nives, nunc imbre ſolutae*
> *Praecipitant. Neuter longo ſe gurgite laſſat,*
> *Sed minimum terrae vicino littore novit.*

HESSEL.

Confuſio his ineſt; nam iſta ſane, *Dyrrachium* &c. ad fluvium pertinent *Geneſum*, vel, ſi ita mavis, *Genuſum* non *Gelagienſem*, cujus nomen mihi hactenus inauditum & ſuſpectum. Fors *Gela* in *Gelagienſis* articuli eſt praecedentis ſyrma, ſub *gienſis* vero vel *genſus*, ut Cod. MS. habent, *Genuſus* latet, quod ſimulac coaluit cum *Gela*, mox *Geneſus* ex aliis autographis male repetitum, eique a ſciolo quodam τὸ *Palaeſtinae* adjectum, quod MS. ignorant. J. CORN. DE PAW. Meo judicio *Genuſus* latet in voce *Gelagienſis* vel *Gelagenſus*, uti MS. Cod. exhibet. *Gela* pertinet ad titulum antecedentem, & *Genſus* non eſt alius a *Geneſo*. RELAND. In re manifeſta, haeſitatione quid opus? Equidem corrupta

Vibii verba ex communi doctorum virorum decreto & ſanae rationis praeſcripto reſtitui. Boccacius hic rectiora tradit, ſed mox ineptit cum noſtro. Praeſens autem articulus Vibii, qualem poſuimus, nil continet, quod non cum veritate conſentiat. Neque enim Heſſelium offendiſſet, quod noſter ex Epiro defluere Genuſum tradit, ſiquidem cogitaſſet, ſequiori aetate adeo Epiri limites fuiſſe prolatos ad Boream, ut, quae prima ejus pars fuerat olim, Chaonia, eam in media recenſeat Stephanus Byzant. cujus temporibus Vibium ſat propinquum fuiſſe cenſeo. Demum Genuſus hodie *Semno* dici videtur. O.

## Genuſus Palaeſtinae

Ex Lucani verbis hoc ortum; quod fruſtra alii de lacu Palaeſtinae Γεννησὰρ ſive mari Tiberiadis dictum credide-runt. RELAND. Falſiſſima haec ſunt & ex Lucani verbis (reſpice pag. 84, ubi ea dedimus) male intellectis exorta, prorſus ut illa, quae ibi de Apſo dicta ſunt. Forſan nequidem a Vibio profecta, in plurimis quippe codicibus deſiderantur. Caeterum in editis hic fluvius *Geneſus*, in tabulae Theodoſ. ſegm. VI. *Geneſis* vocatur. O.

## Hebrus

v. Horatius L. I. ep. III. v. 3. & ep. XVI. v. 12. & ibi Porphyrion. Silius It. L. II. v. 75. HESSEL. Optime Herodotus L. IV. c. 90. ὁ δὲ Τίαρανις λέγεται ὑπὸ τῶν περσικῶν εἶναι ποταμὸς ἄριστος . . . ἐκδιδοῖ δὲ . . ἐς τὸν Κονδάυσδον ποταμόν· ὁ δὲ Κονδάυσδος, ἐς τὸν Ἀγγαίνην· ὁ δὲ Ἀγριάνης, ἐς τὸν Ἕβρον· ὁ δὲ, ἐς θάλασσαν τὴν παρ' Αἶνον πόλιν. cf. Mela L. II. c. 2. Plinius L. IV. c. 11. Stephanus: ἐν τῇ ἐκβολῇ τοῦ Ἕβρου, διστόμου ὄντος, πόλις Αἶνος ἢ κλίσμα Κυμαίων, item Euſtathius ad Dionyſii perieg. v. 538. Mirum vero, ni Hebrum ex nomine viri, eo flumine merſi, dictum tradat Plutarchus de fluviis. Atque ſic eſt, Caſſandri Regis filium nece ſua nobilem reddidiſſe amnem ſcribit, cui prius *Rhombi* nomen

inhaeſerit. Pro Hebro nonnunquam abſque adſpiratione Ἔβυος item Εὖρος vocatur, Medio aevo ſalutatus *Maritza*, ut videre licet apud Georgium Acropolitam. Atque id nomen hodieque obtinet. Aenus & nunc *Eno* nuncupatur. Demum *Oeagrius* Virgilio Georg. L. IV. v. 524. vocatur Hebrus, quod *& fluvius Thraciae, de quo Hebrus naſcitur*, ut Servius ad h. l tradit, *& pater Orphei*, ad Hebrum a Ciconum matribus diſcerpti, dictus ſit *Oeagrus*: O.

## Hermus

v. Claudianus in Eutropium L. I. v. 214. Lucanus L. III. v. 210. Silius L. I. v. 159. HESSEL. Orſus e Tmolo Pactolus, amiſſo nomine, in Hermum influebat, qui e Dindymo prolapſus rigabat Lydiam, pluribus aliis, in his Hyllo, auctus. Lydius poſtea appellatus & Pactolus. v. Strabo L. XIII. p. 626. In ſinum Smyrnaeum incidit. v. Mela L. I. c. 17. S. CROIX. Rectius proinde dixiſſet Vibius: *cui Pactolus adfunditur.* Herodotus L. V. c. 101. Παχίωλὸν ποταμὸν, . . ὃς ἐς τὸν Ἕρμον πολαμὸν ἐκδιδοῖ, ὁ δὲ ἐς θάλασσαν. Dein Joniae fluvius dicendus erat Hermus; Lydiae latiori ſenſu vindicatur, quod omnis ille tractus aliquamdiu Lydis paruit. Simili modo Λυδοῖο ῥόος . . Ἕρμοιο dicitur Nonno Dionyſ. L. XII. v. 124. Porro, ut Pactolus e Tmolo, ſic Hermus defluebat e Dindymo, teſte Strabone l. c. juxta Dorylaeum Phrygiae urbem, v. Plinius L. V. c. 29. Pactolo auctus aurum ferre credebatur. In quem exit ſinum Hermus, Hermeum vocat Herodotus in vita Homeri c. 2. In tabula Theodoſiana *Hermon* ſalutatur is amnis; hodie *Sarabat*, itemque ab antiquo oppido Cadis *fluvius Kedus.* Demum Achaja Peloponneſi quoque Hermum ſuum habuit, teſte Pauſania in Achaïcis c. ult. O.

## Hiberus

Eſt & alius Iberus Aſiae, ut notum, qui itidem Iberiae regioni nomen conciliavit. Utrique ſcribundo vulgo abeſſe adſpiratio ſolet. Habet tamen & Tacitus inter Aſiae gentes Hiberos & apud Gruterum pag. 690. num. 5. legitur:

ILLIC, UNDE TAGUS ET NOBILE FLUMEN HIBERUS.

Huic nunc *Ebro* nomen. Alium quoque Iberum Hiſpaniae ex S. Rufo Avieno oſtendit Ortelius. O.

## Hydaſpes

Hydaſpi nihil eſt cum Parthis & Medis, quod attinet ad ſitum. (Haec adverſus vulgarem lectionem afferuntur.) Erroris anſam dare potuit Virgilius Georg. L. IV. v. 210.

*Praeterea regem non ſic Aegyptos, & ingens*
*Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes*
*Obſervant.*

ubi Servius. *Medus Hydaſpes, fluvius Mediae.* At quanto rectius, obſtrepant alii licet, Philargyrius: *Apud omnes ſatis conſtat, Hydaſpen flumen Indiae eſſe, non Mediae: ſed poteſt videri poëta Hydaſpen Medum dixiſſe jure belli, quod Medi duce Alexandro vicerint Porum Indorum regem, & in ſuam redegerint poteſtatem. Oritur autem Hydaſpes ex Caucaſo, & miſcetur Indo.* & Probus: *aut Medus Hydaſpes*) *Flumen Judeae.* (ſine dubio legendum eſt *Indiae*) *ſed Virgilius Mediae dixit flumen Hydaſpen, quod Medi duce Alexandro per eum regem Indorum & ipſam Indiam ſubegerint.* Nec eſt, quod quemquam Lactantius moretur divin. inſtit. L. VII. cap. 15. §. 19. *Hydaſpes quoque, qui fuit Medorum rex antiquiſſimus, a quo amnis quoque nomen accepit, qui nunc Hydaſpes dicitur* & reliqua. Quid enim obſtat, quominus aliquiſpiam rex Mediae ſuum nomen indere caſu neſcio quo Indiae flumini potuerit? Ergo ſub *urbis Mediae*, ſive *Mediae urbis*, ſive *urbis mediae*, latet Sagala, etiam Eu-

thymedia vocata; quam urbem praeterlabitur Hydaſpes. Hanc obſervationem amicitiae Relandi mei debeo.

*Indo miſcetur*) Legendus tamen Arrianus eſt de exped. Alex. L. VI. cap. 3. 4 & 5; nec non hiſt. Ind. cap. 3. & 4. cui velim adjungas Curtium L. IX. cap. 4, atque Euſtathium ad Dionyſ. orb. deſcript. verſ. 1137. add. Lucanus L. III. v. 235.

*Caucaſum*) Nempe ſic Alexandri gratia denominatum. Arrianus de exped. Alex. L. V. cap. 3. Τὸν δὲ Καύκασον τὸ ὄρος ἐκ τῶν Πόντου ἐς τὰ πρὸς ἕω μέρη τῆς γῆς καὶ τὴν Παραπαμισάδων χώραν, ὡς ἐπὶ Ἰνδοὺς μεταίσσειν τῷ λόγῳ τοὺς Μακεδόνας, Παραπάμισον ὄντα τὸ ὄρος αὐτοὺς καλοῦντας Καύκασον, τῆς Ἀλεξάνδρου ἕνεκα δόξης, ὡς ὑπὲρ τὸν Καύκασον ἄρα ἐληλύθοτα Ἀλέξανδρον. cf. & hiſt. Ind. cap. 2. Porro Strabo L. XI. p. 505. Καὶ τὰ πρὸς τὸ ἔνδοξον ἐρυθηθέντα καὶ ὁμολογεῖται παρὰ πάντων, οἱ δὲ πλάσαντες ἦσαν, οἱ κολακείας μᾶλλον ἢ ἀληθείας φροντίζοντες· οἷον τὸ, τὸν Καύκασον μετενεγκεῖν εἰς τὰ Ἰνδικὰ ὄρη, καὶ τὴν πλατυάζουσαν ἐκείνοις ἐῶαν θάλατταν, ἀπὸ τῶν ὑπερκειμένων τῆς Κολχίδος καὶ τῆς Εὐξείνου ὁρῶν· ταῦτα γὰρ οἱ Ἕλληνες Καύκασον ὠνόμαζον διέχοντα τῆς Ἰνδικῆς πλείους, ἢ τετρακισχιλίους σταδίους. & reliqua. Conſule Cl. Salmaſii Plin. exerc. in Solini polyhiſt. cap. 38. & J. Gorop. Becani orig. Antwerp. Indoſcyth. pag. 473. De Caucaſo & Hydaſpe loquitur Horatius L. I. od. 22. v. 1.

*Integer vitae ſceleriſque purus*
*Non eget Mauri jaculis, neque arcu,*
*Nec venenatis gravida ſagittis,*
*Fuſce, pharetra;*
*Sive per Syrtes iter aeſtuoſas,*
*Sive facturus per inhoſpitalem*
*Caucaſum, vel quae loca fabuloſus*
*Lambit Hydaſpes.*

Uter debeat hic intelligi Caucaſus, in utramque partem reor diſputari poſſe. HESSEL.

De Hydaſpe recte Vibius: *Indo miſcetur.* Nam hoc adeo verum, ut Hydaſpes, antequam ita dictus, propterea, ceu pars & brachium Indi, & ipſe indigitatus ſit Indus. Plu-

tarchus perſpicue: Χρυσίππη διὰ μῆνιν Ἀφροδίτης, εἰς ἐπιθυμίαν ἐμπεσοῦσα τοῦ γεννήσαντος Ὑδάσπου, καὶ μὴ στέγουσα τοὺς παρὰ φύσιν ἔρωτας, νυκτὸς βαθείας, τῷ προειρημένῳ συνῆλθεν, τῆς τροφοῦ συνελθούσης· οὐκ εὐτυχήσας δὲ περὶ τῶν συμβεβηκότων ὁ βασιλεὺς τὴν μὲν ἐνεδρεύσασαν αὐτὸν γραῦν ζῶσαν κατέχωσεν· τὴν δὲ θυγατέρα σταυρώσας, διὰ λύπης ὑπερβολὴν ἔρριψεν ἑαυτὸν εἰς ποταμὸν Ἴνδον, ὃς ἀπ' αὐτοῦ Ὑδάσπης μετωνομάσθη. Ita locus eſt accipiendus. Eruditiſſimus Mauſſacus, qui haec aliter accipit & Plutarchum *propter fabularum jucunditatem* Indum cum Hydaſpe perperam confudiſſe cenſet, vere delicias agit & audiendus non eſt. Nam de utroque fluvio auctor diſtincto & duobus capitibus diverſis. Hoc certum & perſpicuum. Mox ſequitur apud Plutarchum: Ἔστι δὲ τῆς Ἰνδίας νεανικῶς καταφερόμενος εἰς τὴν Σαρωνιτικὴν Σύρτιν. An pro Σαρωνιτικὴν illic legendum Σαρωνικὴν & de notiſſimo ſinu Saronico haec capienda? Sic ſentit Mauſſacus, verum enim vero id credat Judaeus apella, non ego; nihil, ita ſim felix, inficetius foret, nihil anilius: ad Divae Criticae provoco tribunal. Quid igitur? Si Lucanum, ſi Aethicum Coſmographum inſpicias, Hydaſpes in mare Eoum ſe exonerare dicitur; quam ſententiam ſi vel ipſe ſecutus ſit Plutarchus, vel Auctores, quos ille deſcripſit, ut mihi admodum ſit veroſimile, nullus ego dubito, quin revera in mari Eoo ſinus aliquis extiterit Saroniticus, cujus in tanta librorum antiquorum penuria nunc ſolus meminit Plutarchus. Quid tutius, quaeſo, aut probabilius, ubi infinita haud dubie ſunt in antiqua orbis deſcriptione, quae ignoramus eheu! & nunc deſideramus fruſtra & incaſſum? Porro, ut ad Vibium tuum revertar, quod de *Parthis & Medis* hoc loco editiones vulgatae promunt, quanquam & mihi ſummopere diſpliceat, longe tamen diſplicet magis, quod mox de Caucaſo ſubjungunt. Nam, ut ipſa verborum cohaerentia docet, ſic juxta Vibium ad pedes Caucaſi fluvii occidentis cubile, quod, ſi ad locorum attendas ſitum, & abſonum eſt & veteres negant uno ore. Editio Florentina, cui, ut nunc video, adſtipulantur duo Codd. MS. *Hydaſpes Indiae Urbis Mediae defluit*

*Indo & Caucaſo.* Quod longe ſincerius eſt & ubi cum vulgata ſcriptura comparo, ut mihi videtur, lectionem continet πεωτοτύπην. Quare omiſſis nunc naſuti alicujus Grammatici naeniis rogo, ut haec ita legas, *Hydaſpes urbis Mediae, defluit Indo ex Caucaſo.* Sic ſingula ſibi conſtant & nihil eſt, quod hoc loco reprehendi queat. *Urbs media*, ut veriſſime animadvertit eruditiſſimus Relandus noſter, urbs *Euthymedia*, quam alluit Hydaſpes & cujus opportune meminit Vibius in deſcriptione fluvii, ut aliarum ſaepe alii: *Indiae*, quod extat praeterea in libris melioribus, vel gloſſa eſt vel lectio diverſa, quae τῆ *urbis mediae* adſcripta e margine irrepſit in textum. *Defluit Indo ex Caucaſo* pro *ex Caucaſo fluit ut Indo ſe miſceat*, caſus tertii uſum & δύναμιν noſti, praecipue apud Graecos, locutio eſt ſatis apta. Quid quaeris! haec genuina lectio eſt, quam miſere interpolarunt homines doliares. J. CORN. DE PAW. Annon ipſe hic ſit homo doliaris, dubito, nam nulli alii in mentem venire poterat, conſtructionis genus poëticum &, ut ipſe ait, Graecis uſitatius quam Latinis, quale *it clamor coelo*, velle obtrudere Vibio in tam ſimplicis ſtyli libello. Caeterum de ſinu Saronitico Pavus ſequitur Ortelium in voce *Canthi.*

D'ORVILLE *in critica vannu* p. 221.

Medi Parthique nunquam ad Hydaſpem uſque victricia arma tulerunt, nec proinde is fluvius iſtorum regionem rigare dici poteſt. Oriebatur Hydaſpes ex Emodo, cujus ad occaſum ſitus erat Paropamiſus, perperam Caucaſi nomine inſignitus. Nec porro is fluvius undas ſuas cum Indo commiſcuit, ſed, Arriano teſte, cum Aceſine, qui in Indum devolvebatur. v. de exped. Alex. L. VI. c. 4. Indic. c. 3. S. CROIX. Contra tamen Dionyſius perieg. v. 1138.

. . . τόθι λοξὸν ἀπὸ σκοπέλων Ἀχεσίνην
συρόμενον δέχεται πλατὺς νήσσιν Ἰδάσπης.

ubi vid. Euſtathius. Quodſi hodierna fluminum nomina quaeras, Indus nunc *Sind*, Aceſines *Ravei*, Hydaſpes *Shantrou* vel *Ramad* ſalutari videntur. O.

## Hypanis

Philargyrius ad Virgilii Georg. L. IV. v. 370. *Hypanis Scythiae amnis.* HESSEL. Hypanis oſtia apud Ptolemaeum L. III. c. 5. gradu longit. 58. contra Boryſthenis 57, 30. locantur, quod oppido falſum. Inter Tyram quippe ſive Danaſtrim & Boryſthenem ſive Danaprim intereſt Hypanis, qui in occidentalem oram Boryſthenis haud procul ab ejus oſtio influit. Hodiernum nomen *Bog* apud Ravennatem Anonymum in voce *Bagos* deprehendere mihi videor, ubi L. IV. c. 5. ſic: *Et deſuper ipſum fluvium Danapri perlongum intervallum eſt . . fluvius maximus Tanaïs. Item fluvius Tyram, item Bagos ſolam.* Alius eſt Hypanis Indiae apud Strabonem L. XV. p. 700, qui aliis Hypaſis item Hyphaſis dicitur. Sed cum Strabone facit Dionyſius perieg. v. 1145. O.

*Gallus*) Caſp. Barthii adverſ. L. XLI. c. 26. videſis. Hoc Galli fragmentum fugit ſcientiam Jan. Brouckhuſii, ut obſervatum eſt jam nunc J. A. Fabricio B. Lat. L. I. c. 14. §. 4. HESSEL. Galli illud fragmentum, quod affert Vibius ſolum eſſe, quod apud auctores hodie reperiatur, obſervat Barthius l. c. Gallus autem quiſnam fuerit, vide apud Servium ad Virgilii Ecl. X. CLAUD.

*Aſiam ab Europa ſeparat*) Haec quum dicit Vibius, oblitus videtur ejus, quod alio loco ſcribit, Tanaim Aſiam ab Europa dividere. Atqui ita tamen res habet. In eum errorem de Hypane inductum crediderim Vibium a loco quodam Alexandri Polyhiſtoris, qui, teſte Stephano Byzantino in voce Hypanis, hunc fluvium in duas diſcedere partes retulit, quarum altera in Pontum Euxinum, altera in Maeotidem paludem defluat. Hunc poſteriorem ergo alveum Vibius forſan confudit cum Tanaï. Procul autem a vero abeſt Polyhiſtor. Hypanis enim haud ita procul Olbia, celebri Mileſiorum colonia in Boryſthenem abit. v. Herodotus L. IV. c. 53. Strabo L. VII. p. 210. 211. Dio Chryſoſt. Orat. boryſth. S. CROIX.

## Halys

*Croeſus*) Cicero de Divin. L. II. c. 56.

*Nam quum ſors illa edita eſt opulentiſſimo regi Aſiae, Croeſus Halym penetrans magnam pervertet opum vim, hoſtium vim ſeſe perverſurum putavit, pervertit autem ſuam.* Effatum iſtuc ipſum Graecum

Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει.

exſtat apud Euſebium evang. praepar. L. V. & Suidam in voc. Κροῖσος ac Λοξίας, itemque in orac. veter. a J. Opſop. collect. atq. Sibyll. orac. ſubject. oper. Serv. Gallaei p. 25. quocirca Lucanus L. III. verſ. 272.

*Qua Croeſo fatalis Halys.* HESSEL.

Lydia tempore Croeſi pertingebat uſque ad Halyn fluvium. v. Herodotus L. I. c. 72. ὁ γὰρ ὁρος ἦν τῆς τε Μηδικῆς ἀρχῆς νῦν τῆς Λυδικῆς ὁ Ἅλυς ποταμὸς, ὃς ῥέει Ἀρμενίου οὔρεος διὰ Κιλίκων &c. Quem Herodoti locum laudat Euſtathius ad Dionyſ. v. 784. cf. & Thucydides L. I. GRONOV. Hodie *Kizil-Ermak* ſalutatur. O.

## Helorus

Non ſat recte Helorus Vibio Syracuſarum dicitur fluvius, quas inter & Pachynum promontorium medio fere ſpatio defluebat. Forſan tamen id ſibi Sequeſter voluit, id flumen Syracuſarum ditionem rigare. In pingendo ejus curſu totus eſt Fazellus de Reb. Sic. Dec. I. L. IV. c. 2. docetque, duplex nomen hodie ſuſtinere; ſtatim enim *Attellari* ſalutatum, ubi ad pontem Bayhachemum devenerit, neglecto priore nomine vocari *Abiſo*. Amoeniſſimum porro Helorinum agrum eſſe adjicit, neque perperam laudata Ovidio Faſt. L. IV. v. 487. *Heloria tempe.* Cur *clamoſum* vocitet Silius L. XIV. v. 270. idem quoque his declarat: *Poſt Aſinari oſtium ad Elorum uſque dirutum caſtellum tota ferme littoralis ora, quae ad paſſuum millia IV. extenditur, Lauphis hodie vulgo dicta, clamoroſa eſt ob id, quod exeſas habet*

*ſpeluncas & aſperas concavitates; in quas, flante Euro atque Africo, frequentibus procellis delata maris tempeſtas refringitur ac refracta maximum edit fragorem.* Denique *ſtagnans* quod Virgilio *Helorus* ſalutatur, Aen. L. III. v. 689. inde factum aſſerit Fazellus, quod *per paſſus mille ad oſtium uſque adeo leni ac placido tramite incedit, ut ſtagni inſtar vix loco moveri videatur; hiemalibus quoque imbribus, clauſo oſtio maris fluctibus, adeo frequenter excreſcat, ut agris more Nili ſuperfundatur ſtagnetque.* Quod ipſum jam Servius ad Virgilium notarat innueratque, a Graecis, qui ſtagna ἕλη nuncupent, nomen amni tributum. cf. & Cluverius Sic. ant. L. I. c. 13. Helori oppidi rudera, a theatris, quorum fundamenta adhuc cernuntur, *Coliſeum* & *S. Philippi* vocata, reſtant in loco, quem a domino ſuo *Muri Ucci Rocari* ſalutant accolae, teſte Fazello l. c. O.

## Himella

De Himella Virgilius Aen. L. VII. v. 713.

*Qui Tetricae horrentcis rupes montemque Severum*
*Caſperiamque colunt, Foruloſque & flumen Himellae.*

HESSEL.

Boccacius habet *Imala* itemque *Imelle.* In Tiberim influere credit Cellarius. Nunc *Aggia* dici ex Ligorii tabula regni Neapolitani tradit Ortelius. Aliis *Aja* eſt vel, praefixo articulo, *Laja.* v. Brietius in parall. G. V. & N. T. II. p. 611. O.

## Herbeſos

Solinus polyh. c. 5. *Apud Segeſtanos Helbeſius in medio flumine ſubita exaeſtuatione fervet.* v. M. Ant. Delrionis emend. ex Cl. Salmaſii Plin. exercit. in Solin. polyh. l. c. qui tamen non ita multum lucis afferunt ſcriptori noſtro, ut ne diſconveniat inter eum & Solinum. HESSEL. Locus mire turbatus. *Herbeſum* fluvium itemque *Endrium* & oppidum *Alluriam* ignorant veteres; binas urbes Herbeſſi nomine referunt, ut putat Cluverius Sic. ant. L. II. c. 10. &

11. refragantibus tamen Cellario L. II. c. 12 & D'Orvillio in Siculis T. I. p. 109. Quae *Helbeſo* vel *Herbeſo* vel *Herbeſio* fluvio vel fonti videbantur favere apud Solinum, reſpuit prorſus Cluverius L. c. c. 11. atque ex Aeliano V. H. L. II. c. 33. in Solini loco *Thermeſſum* vel *Telmiſſum* eſſe reponendum ſuſpicatur. Erbeſſum vel Herbeſſum oppidum ſi duplex admittamus, alterum ad Sequeſtrem ſic ſatis aptari poteſt; non item alterum. Hoc quippe, Polybio teſte L. I. c. 17. ſupra Agrigentum urbem inter Acragantem Halycumque amneis poſitum, prorſus non quadrat. Id ab altiſſimis ſpecubus, qui ipſi ſubſunt, hodie *le Grotte* ſ. *Cryptae* dictum videtur Fazello Dec. I. L. X. qui ea propter Bocharto aſſentit, in Chanaane L. I. c. 28. Herbeſſum ab הר בצע quaſi *montem foveae* vel ab הר־בצוע quaſi *montem exciſum vel excavatum* appellatum aſſerenti, quod minus probatur Dorvillio l. c. Fazellus ab *Erebo* dictum arbitratur, verum adſpirationem in voce non eſſe negligendam, ex Plinio patet, L. III. c. 8. Circa Syracuſanum agrum alterum Herbeſſum memorari Livio L. XXIV. c. 30. & Pauſaniae in Eliacis poſt. cap. 12. qui vitioſe Ἐρβυσσὸν ſcribit, putat Cluverius eo loco, ubi Fazellus nunc reperiri *Pantalica* tradit. Id ſi ſit, Herbeſſo huic oppido aquas ſuppeditaſſe cognominem fluvium credendum eſt, qui per fines Helori potuit defluere, ut Vibius habet.

## Himera

*Thermitanorum*) ſic legendum. Sic nimirum res ſeſe habet. A Carthaginienſibus aequata ſolo Himera, Himeraei ſedem omnium rerum ac fortunarum ſuarum Thermis Himerenſibus collocarunt; cujus oppidi cives Thermitani exin audierunt. Dicat teſtimonium Cicero in Verr. L. II. cap. 35. *Etenim, ut ſimul. P. Africani quoque humanitatem & aequitatem cognoſcatis, oppidum Himeram Carthaginienſes quondam ceperant, quod fuerat imprimis Siciliae clarum & ornatum. Scipio, qui hoc dignum populo Romano arbitraretur, bello confecto, ſocios ſua per noſtram victoriam recuperare, Siculis omnibus,*

*omnibus, Carthagine capta, quae potuit, reſtituenda curavit. Himera deleta, quos cives belli calamitas reliquos fecerat, ii ſeſe Thermis collocarant in ejuſdem agri finibus, neque longe ab oppido antiquo. Hi ſe patrum fortunam ac dignitatem recuperare arbitrabantur, quum illa majorum ornamenta in eorum oppido collocabantur.* Nonnunquam τὸ ἰδιωτικὸν utrimque derivatur. Argumento ſit haec tabula parieti affixa in veſtibulo templi recentioris, quod Himerae in Sicilia eſt.

C. MAESIO. AQUILIO. FABIO. TITIANO
C. V. COS. OPTIMO. CIVI. AC. PATRONO
BENE. MERENTI. ORDO. ET. POPVLVS
SPLENDIDISSIMAE. COL. AVG. HIMERAEORVM
THERMIT. PECVNIA. SVA. POSVIT

hoc elogium collocavit in bono lumine Jan. Gruterus corp. inſcript. pag. 433. num. 6. Immo vero *oppido Thermitanorum.* exſtat ipſum in Cicerone in Verr. L. II. cap. 34. *Sthenius vero non ſolum negavit, ſed etiam oſtendit, id fieri nullo modo poſſe, ut ſigna antiquiſſima, monumenta P. Africani, ex oppido Thermitanorum, incolumi illa civitate imperioque populi Romani, tollerentur.* Haec ubi ego litteris conſignavi, ita me Muſae bene ament, Cluverium jam antea legiſſe hic *Thermitanorum* didici a Bocharto Chan. L. I. cap. 29. ſiquid mihi cum laudatis viris convenit, triumphans gaudio. HESSEL. Ortelius in Theſ. Geogr. jam *Thermitanorum* eſſe legendum judicarat. O.

*nomen*) Cicero in Verrem L. II. c. 35. HESSEL.

*flumen*) In nummis Himerenſium taurus humana facie praeditus occurrit, quo fluvius ipſe notatur. Eum fuiſſe cultum a Siculis, nuper Ser. Caſtellus T. M. Princeps docuit, producto hoc lapide:

ΑΣΚΛΗΠΙΩ ΚΑΙ ΙΜΕΡ ΠΟΤΑΜ
Ο ΔΑΜΟΣ ΤΙΣ ΝΙΣΙΣ
ΣΩΤΗΡΣΙΝ

v. ejus Inſcriptiones Siciliae pag. 4. Quum contubernalem heic habeat Aeſculapium Himera, quem ab חמר *incaluit* ita vocatum audacter pronunciat Bochartus in Chanaan L. I. cap. 27, dubium haud erit, ad thermas Himerenſes potiſſi-

mum referri monumentum debere, quod ceterum vitiis aliquot ſcatet. Sic ΤΙΣ ΝΙΣΙΣ eſt pro ΤΗΣ ΝΙΣΗΣ. Niſa enim oppidum Siciliae fuit, teſte Thucydide L. III. tametſi neget Dorvillius in Siculis T. I. p. 270. humani quid paſſus. Certe & aliud marmor apud Ser. Caſtellum pag. 50. NISSAE POPVLVM commemorat. Ad eam quoque Niſam nummum Golzii inſcriptum ΝΙΣΑΙΩΝ trahit laudatus Caſtellus l. c. qui urbis locum circa *Calataniſſettam*, ubi inventi lapides, quaerendum exiſtimat. O.

*in duas findi partes*) v. Silius L. XIV. v. 233.

*Littora Thermarum, qua mergitur Himera ponto*
*Aeolio; nam dividuas ſe ſcindit in oras,*
*Nec minus occaſus petit incita, quam petit ortus,*
*Nebrodes gemini nutrit divortia fontis.* CLAUD.

Nebrodes, Cluvério teſte L. II. c. 16. inter utrumque fluvium quidem longo jugo protenditur; ipſi tamen fontes amnium XL. amplius millia paſſuum inter ſe diſſiti ſunt; alias quoque *Maro* vocabatur, hodie *Madonia* dicitur. Himera, qui ad boream decurrit, nunc *fiume grande*, item *fiume di Termini*, ſi Cluverium L. II. c. 3. ſequaris; qui ad auſtrum, *fiume ſalſo* audit. Apud Solinum cap. 11. e contrario male aſſeritur, iſtum ſalſum, hunc dulcem eſſe. O. Duas Himeras etiam recenſet Ptolemaeus. GRONOV.

*Steſichorus*) Is eſt poëta celebratiſſimus, de quo multa Plinius, Pauſanias & alii, quem Himeraeum fuiſſe docet Pauſanias L. III. c. 19. & VIII. c. 3. Clemens Alex. Strom. L. I. p. 308. CLAUD. v. Fabricius Bibl. Graecae L. II. c. XV. §. 57. HESSEL. De Steſichori monumento ſepulcrali v. Fazellus Dec. I. L. III. c. 1. Maurolycus L. I. p. 35. Dorvillius T. I. p. 216. Himerenſes ſtatuam ſenatoriam ex marmore, quam in curia oſtendunt, Steſichori eſſe perhibent, & quidem eandem, cujus mentionem facit Cicero l. c. c. 35. Verum haec aenea fuiſſe videtur. cf. Dorvillius p. 25. Locus Steſichori, a Vibio citatus, inter fragmenta ejus poëtae deſideratur. O.

## Hypſa

In Selinuntiorum nummis vir cernitur cornuta fronte ad aram ſacrificans, appoſita voce ΗΥΨΑΣ. Is Hypſa fluvius eſſe videtur tum aliis tum Ser. Caſtello Pr. T. M. in proleg. ad Inſcr. Sic. p. XXVIII. qui hodie *Belice ſiniſtro* dici adjicit, qua re Fazelli aliorumque ſententiam ſtabilit. Non audiendi videntur propterea, qui *Platina* itemque *Lapriſſa* nuncupari tradunt. Harduinus quoque falli videtur, quum ad Plinium L. III. c. 8. *Marſala* vocari docet. Ceterum hic Hypſa Plinii eſt. L. III. c. 8. prope Selinuntem; alium habet Ptolemaeus L. III. c. 4. prope Agrigentum, eique oſtia ibidem tribuit. Is hodie *Drago* videtur dici Cluverio L. I. c. 15. neque ſuo ſibi ore in mare effunditur, ſed in Acragantem ſive *S. Blaſii* fluvium, qui in orientali latere urbem claudit, incidit & mixtis cum iſto undis in mare delabitur. Hunc Hypſam more ſuo a Punica voce חפצא *delicioſum* dictum tradit Bochartus in Chan. L. I. c. 29. quod vel ex nummo Selinuntiorum antea memorato, formoſi pueri imaginem prae ſe ferente, pateat. Ridet haec recte Dorvillius T. I. p. 78, & Selinuntio Hypſae forſan ἀπὸ τῦ ὕψους vel alveo mire depreſſo nomen datum autumat, qui Crimiſſo auctus in mare deproperat. O.

*Inycon*) Sic legendum. Stephanus Byzantinus: Ἴνυκον πόλις Σικελίας, ἐν ᾗ Κώκαλος ἦρχεν ὁ Δαιδάλου· Χαράξ δὲ Ἴνυκον ταύτην φησίν. cf. Luc. Holſtenius & Abr. Berkelius it. Cellarius G. A. L. II. c. 12. HESSEL. Locus citatus non apud Stephanum ſed apud ejus epitomatorem extat. Inycum olim in laeva fuiſſe Hypſae ripa, Selinuntem in dextra putat Cluverius. v. L. I. c. 18. O.

*Siciliae*) Sic, non *Hiſpaniae*. Illius enim inſulae flumen eſſe Hypſam cognitiſſimum eſt. HESSEL. Cluverius l. c. *Sicaniae* legendum praecipit; recte, hinc enim facilius illud *Hiſpaniae* oriri potuit. O.

## Hiparis

*Hypanis*) Male legitur judicio Nic. Heinſii ad Silium Ital. L. XIV. v. 230. hunc Vibii locum dilucidantis. Non aliud autem hic intelligatur flumen oportet, quam *Hipparis*, de quo Pindarus loquitur Olymp. od. 5. v. 27.

Καὶ σεμνὰς ὀχετὰς, Ἵππαριος οἷσιν ἄρδει στρατόν

ubi ſcholiaſtes: Ἵππαρις· ποταμὸς οὗτος ἐν Καμαρίνῃ. ἔστι δὲ αὐλὼν τῷ ῥεύματι τὸ μὲν γλυκὺ, τὸ δὲ ἁλμυρόν· διὸ καὶ Πίνδαρον εἰρηκέναι σεμνοὺς ὀχετοὺς ἀνασείλοντα. HESSEL. MS. *Hiparis*, quem Ptolemaeus L. III. cap. 4. Ἱππώριον vocat; & in margine in parallelis *Hippari* legitur. *Hypanis* Scythiae fluvius nihil ad Siciliam, de quo ante egit Sequeſter. GRONOV. Locus Ptolemaei dubius eſt. Certiora habemus ex Pindari Olymp. 5. p. 27, quem locum explicuit Libanius Opp. T. II. p. 386. ed. Morell. cf. & Nonnus Dionyſ. XIII. 212. D'Orville Sicula p. 220. unde conſtat *Hipparis* verum eſſe. SCHNEIDER. Illud *Hypanis*, quod hic articulus gerebat in fronte, jure reprehenſum ab omnibus, diutius ferendum non duxi; ſuadent profecto MS. Codices, ante vulnus illatum ab inſano librarii cujuſdam capite ſcriptum fuiſſe *Hiparis* vel forſan *Hyparis*, quod uſpiam inveniſſe Vibium non eſt abſimile veri. In nummo Camarinae urbis apud F. Urſinum ad ſcriptores rei ruſticae hujus fluvii nomen legitur ΙΠΠΑΡΙΣ. Fallitur enim Paruta, quum Tab. CXXXVI. ad urbem Siciliae, quae ſane nulla fuit, referendum cenſet. Hodiernum nomen a Camarina urbe gerit, *Camarina* & ipſe dictus, licet Leander *Terrae novae* fluvium ſalutari ſcribat. Quid, quod urbi Camarinae quoque antiquum nomen, ab nomine Hipparis parum abludens, fuiſſe videtur? Didymus ſaltem atque Euſtathius ad Homeri Odyſſeam L. VI. v. 4. *Hyperiam* olim dictam tradunt, qua de re inferius, ubi de paludibus, plura. Hipparim ipſum naves ferre & per mediam Camarinam defluere, ſcholia Pindari docent. O.

## Haeus

Rejecta lectione vulgari, H. Relandi medelam, quam is inſano loco attulit, ambabns ſum amplexus. Rationes, quas affert, condiſces mox ex ipſo. Gronovii conjectura, ut videbis, eſt nihili. O. Ego non dubito, ſub voce *Haeſuſa* latere flumen *Aeum*, quod Polybio L. V. & Straboni L. VII. Ἀῶϊος, Ἄιας Hecataeo, Aeas Lucano nuncupatur & in Vibio ipſo *Aous* dicitur, ubi iiſdem fere verbis eum deſcribit, *Aous Apolloniae in Jonium decurrens.* Sic ut pro *Haeſuſa* legendum arbitrer *Haeus* vel *Aeus* vel *Aeas.* Illud *undeae finibus* &c. natum puto ex *Aeus inde a finibus* quia & Lucanus vocem *inde* uſurpat de Aea L. VI, 361.

*Aeas Jonio fluit inde mari*,

vel *Aeus a Pindo* (inde enim oritur) *& finibus* &c. vel *in finibus.* Boccacius una littera mutata *Aduſa* legit pro *Aeuſa* &c. & pro ſententia mea facit, quod idem addit, a quibuſdam *eas* appellatum. Nam ſub *eas* latet *Aeas* vel *Aous.* RELAND. Forte legendum, *Haeſuſa uſtis de finibus*, id eſt, campis uſtis, Graece Κεκαυμένη vel Καλακεκαυμένη. de quibus Stephanus Φιλαδέλφεια. Strabo XII. pag. 579. XIII. p. 628. cf. Euſtathius in Dionyſ. perieg. v. 830. GRONOV. Quod reſtat, *Haeus* non *Aeus* ſcripſiſſe videtur Vibius; adſpirata voce, licet perperam, quod ex ordine quo iſta locata deprehenditur, patet; rectius paullo Boccacius. Is tamen, ubi Epiro hunc fluvium adſcribit, non antiquos regionis limites, ſed ſucceſſu temporis prolatos reſpicit. Scylax, his verbis, ὁ Ἄιας ποταμὸς παρὰ τὸν Πίνδον ὄρος παρὰ τὴν Ἀπολλωνίαν παραῤῥεῖ, parum abeſt, quin in eam me ſententiam deducat, apud noſtrum quoque pro *inde* legendum eſſe *a Pindo.* Verum Lucanum exprimere ſtuduit. Apud Polybium L. V. c. 110. Aeas nominatur quidem Ἀῶϊος, ſed dubio caret, & heic labiali immittendam lineolam, ut ſit Ἀᾶϊος, prorſus ut de Ptolemaeo ſuſpicati ſumus ſupra, in artic. *Aous.* O.

## Indus

Temere ſatis veterum nonnulli perſuaſere ſibi, Indum ex parte Indiae latus occidentale terminare. v. Examen critique des hiſtor. d'Alexandre le gr. verum iſtius regionis limites in ora maritima trans eum fluvium ſeſe porrigebant; Arrianus enim, Nearchum ſecutus, Arabies vel Arbies ad occaſum Indi ſitos, poſtremum Indiae hac ex parte populum eſſe tradit. ἰχθύους Ἰνδῶν. Indic. c. 22. S. CROIX.

*Hydaſpem*) v. Lucanus L. III. 235. Dionyſius 1137. Priſcianus perieg. v. 1044. HESSEL. De Hydaſpe v. ſupra ſuo loco, ubi etiam Indo hodie nomen eſſe *Sind* notavimus; verum jam olim *Sindum* dixere accolae, teſte Plinio L. VI. c. 20. Muhammedanis dicitur *Murhan*, *Devil*, *Kaarched*. Plura de Indo dabit S. Croix op. cit. Sect. IV. O.

## Iſara

Papirium Maſſonum videto deſcr. flum. Gall. qua Franc. eſt pag. 213 & 342. cf. & Lucanum I, 399. HESSEL. Male Boccacius Iſaram in Galilaea quaerit, ita ille: *Iſara Galilaeae fluvius eſt, in Rhodanum fluens.* Rectius ergo Vibius noſter. Conſtat enim *Iſaram*, qui hoc ipſo die nomen *Iſere* ſervat, Rhodano miſceri. Quem ego *Iſaram* non exiſtimo eundem eſſe cum *Eſia*, de quo Vibius ſuo loco. RELAND. Boccacii errorem non ipſius ſed librariorum incuriae tribuendum eſſe, ex eo patet, quod in Rhodanum decurrere Iſaram adjicit, quem certe Boccacius non in Galilaea quaeſiverit. Ceterum Graeci recto caſu efformant ὁ Ἴσαρ. v. Strabo L. IV. p. 185. Dio Caſſ. XXXVII, 51. Ptolemaeus L. II. c. 10. Flumen maximum, quod in finibus eſt Allobrogum, Iſaram dicit Plancus ad Ciceronem ep. 15. L. X. Iſarae nomen, ubi vulgo legebatur Arar, reſtituit Livio L. XXI. c. 31. Gronovius. Idem ſentiunt faciendum Valeſius & d'Anvillius in ſua quiſque Notitia Galliae. De alio Iſara Galliae, quem Eſiam dicit Vibius, actum eſt

ſupra p. 111. Vindelicus amnis non Iſara ſed *Iſarus* ſalutatur, itemque *Iſargus*, hodie *Iſer*. O.

## Icanus

Dubium & fluminis & caſtelli nomen; cave tamen prorſus expunxeris. Sane hodie reſtat haud procul Dyrrachio oppidum *Hiſmo* ad oſtia cognominis fluvii. v. D'Anvillii tabulam Graeciae hodiernae. Atque haec ratio eſt, ob quam *Iſanum* caſtellum & amnem iſtis in tabula antiquae Graeciae ſubſtituerit. Ita nomen effert Boccacius. In codicibus ſcriptis habes *Iſamnus*, item *Iſaumus*, quae propius ad hodiernum nomen accedunt. Vide quae ſupra ad *Alto* notavimus. O.

## Ilerda

*Sicoris* vocatur infra fluvius ad Ilerdam noſtro. Forſan tamen & ab urbe, qui mos fuit tempore ruentis imperii Romani, nomen acceperat, etiamſi ejus rei nulla apud ſcriptores mentio. Aſt, quin idem in opere quodam medii aevi, actis Sanctorum aut diplomatibus reperiri poſſit, non dubito. Gemina his ſupra in *Caſilino* item in *Camico* obſervavimus, & mox in *Icano* non ſuſque deque habendam Vibii doctrinam oſtenſum eſt. O.

## Inachus

*Theſſaliae*) *Pelopponneſi* Simlerus. v. Spanhemius ad Callimachum in hymn. in Pall. v. 50. HESSEL. Hoc nomine, Inachi ſcilicet, duo fuere fluvii priſcis noti. Prior Argos rigabat. v. Pauſanias Cor. c. 15. Strabo L. VIII. p. 255. Alter Acarnaniam, non Theſſaliam. Hic in Acheloum decurrebat. v. Strabo L. VII. p. 326. Erroris Vibiani fons forſan quaerendus in Sophocle, qui apud Strabonem L. VI. p. 271. Inachum ex primis Pindi radicibus procurrere ſcribit. Is autem maxima ſui parte ſtabat in Theſſalia. S. CROIX. Ab amiciſſimi viri ſententia heic diſceſſionem facere lubet.

Equidem, ut Ovidium potius anſam peccato Vibiano dediſſe credam, eo perducor, quod ex loco ejus, Metamorph. L. I. v. 579 ſq. Theſſaliae fluvios Spercheum, Enipeum, Apidanum, Amphryſum deſumſiſſe patet. Ibi autem de amnibus ſermo eſt, qui ad Peneum, ab imo effuſum Pindo, gratulabundi convenerant. Subjicit tum Poëta v. 583.

*Inachus unus abeſt - - - -*

Facile ſane fuit Sequeſtri in hoc verborum nexu hallucinari. Quid, quod Ortelius quoque Ovidium in Theſſalia ponere Inachum ſcribat! Faceſſere autem illud *Peloponneſi*, quod Simlerus ſubſtituendum cenſebat, prorſus jubemus. Hic enim Argivus fluvius, olim, teſte Plutarcho, *Carmanor* & *Haliacmon*, hodie *Planizza* ſalutatus, ad Ovidii locum non quadrat. Epiri potius flumen eſt, quod cogitabat Vibius, in Acheloum defluens. Id dein ſub mare demerſum ad Argos Peloponneſi comparere rurſus fabulis veterum ferri conſueviſſe auctor eſt Strabo p. 271. Sic unum eſſet idemque. Ex Pindo profluere docet & Ariſtoteles meteorolog. L. I. c. 13. & Stephanus de urb. Ab utroque Inacho diverſus is eſt, cujus in Boeotia apud Eleonem urbem meminit Plutarchus in quaeſt. Graecis. Opp. T. II. p. 301. O.

## Jader

v. Lucanus L. IV. v. 402. HESSEL. Jadera oppidum eſt Dalmatiae, cui hodie *Zara vecchia* nomen. In MS. nonnunquam dici *Jader* notat Cellarius G. A. L. II. c. VIII. ſect. 5. Cui praeter Lucanum *Jader* flumen ſit, novi neminem. Ejus haec verba ſecutus eſt Vibius:

*Qua maris Hadriaci longas ferit unda Salonas*
*Et tepidum in molles Zephyros excurrit Jader.*

Salonas multitudinis numero habet & Ptolemaeus L. II. c. 17. Alii Graecorum maſculine quoque ὁ Σάλων. Rudera ejus hodieque viſuntur, maxime quae ad Diocletiani palatium ſpectaverant olim, deſcripta magnifico opere ab Adamo. fol. Lond. 1764. *Spalatrum*, quod in vicino loco tanquam ex

illius cineribus reſurrexiſſe tradit Cellarius & quod a cognomine fluvio rigatur, jam Ravennati anonymo *Spalatum* vocatur & a Salona diſtinguitur. *Iatrum* Moeſiae flumen, delabens in Iſtrum, memorat Jornandes in Geticis c. 18. & *Nicopolin ad Iatrum*, niſi legendum ſit *ad Iſtrum*. O.

## Kaïcus

v. Caicus.

## Lynceſtius

Legebatur *Liceſius*. Simlerus *Lynceſtis Macedoniae*, optime. Plinius N. H. L. II. c. 103. *Lynceſtis aqua, quae vocatur acidula, vini modo temulentos facit.* Ovidius metam. L. XV. verſ. 329.

*Huic fluit effectu diſpar Lynceſtius amnis;*
*Quem quicumque parum moderato gutture traxit,*
*Haud aliter titubat, quam ſi mera vina bibiſſet.*

quibus verſibus utitur Seneca nat. quaeſt. L. III. cap. 20. Sequeſtrem credo ſcripſiſſe *Lynceſtius*, ſcilicet amnis. Plinii interpretamento Dalechampiano adjunge Callimachi fragment. a Rich. Bentleio V. I. collect. pag. 334. §. 38. edit. Ultraject 1697. HESSEL. Cujus quondam caput erat Lyncus, de quo Thucydides L. IV. c. 124. Lynceſtis dicta Macedoniae regio, memorata Ptolemaeo L. III. c. 13. Populum Lynceſtas Thucydides L. II. c. 99. Strabo Lynciſtas vocat L. VII. p. 326 & 327. Fluvium addit Plinius l. c. & Ovidius. De ejus vinoſa natura & ὕδατος ὀξέος cf. & Ariſtoteles L. II. Meteorol. c. 3. ſic & Vitruvius L. VIII. c. 3. Eodem ſpectare crediderim & Oribaſii locum corruptum, apud eum quippe ex Ruffo L. V. c. 4. fonti cuidam laudata vis tribuitur ἐν Λιγυστικῇ forſan pro ἐν Λυγκιστικῇ. Caeterum Lynceſtis flumen abſque dubio aliud quoque nomen ſuſtinuit, quod ſi notum eſſet, tum hodiernum quoque expiſcari liceret. In Erigonem defluere Ortelius ſcribit; unde hauſerit, neſcio. O.

## Lethe

v. Virgilius Aen. L. VI. v. 713. Lucanus L. III. v. 28. Ovidius ep. ex Ponto 4. L. II. v. 23. Claudianus de Raptu Prof. L. I. v. 278. HESSEL Oblivionis fluvium in Inferis locavere Poëtae. Locis heic laudatis addo epigramma elegans incerti auctoris, quod L. III. Anthologiae p. 283. in Brunckii edit. T. III. p. 287. ita habet :

Τῦτό τοι ἡμετέρης μνημήϊον, ἰοθλὲ Σαβῖνε,
ἡ λίθος ἡ μικρὰ, τῆς μεγάλης φιλίης.
Ἀιεὶ ζητήσω σε· σὺ δ' ἐι θέμις, ἐν φθιμένοισι
τῦ Λήθης ἐπ' ἐμοὶ μή τι πίῃς πόμα῀.

Ceterum Lethaeis fluviis varias regiones rigatas voluere veteres. De Creta insula mox. In Libya ad Berenicen urbem Solinus *Lethon* habet. Ptolemaeus L. IV. c. 4. *Lathonem* nuncupat. Is fluvius inferna exundatione credebatur prorumpere. Lucanum si audias, prope Tritonidem paludem defluebat. L. IX. v. 335.

- - - - *Tritonida dixit ab unda,*
*Quam juxta Lethes tacitus praelabitur amnis,*
*Infernis, ut fama, trahens oblivia venis;*

sed idem mox Hesperidum hortos adjungit, poëtice magis quam vere. Ex his tamen licebit Casaubono satisfacere, qui ad Strabonem L. XIV. p. 647. Lethaeum fluvium in Libya neminem veterum collocasse pronuntiat. Hispaniae Lethe sive *Limia*, ut Melae L. III. c. 1. vel Λίμι῀, ut Ptolemaeo L. II. c. 6. vel Λιμαίας, ut Straboni L. III. p. 153. vocatur, eo potissimum inclaruit, quod D. Bruti expeditionis terminus fuit. v. Epitome Livii L. LV. Florus L. II. c. 17. Unde Lethes dictus, docebit Strabo l. c. Tandem & Lethaeum fluvium Magnesiam in Asia minori praeterfluere, Strabo docet L. XII. p. 554. O.

## Liris

*Maricae*) Sic equidem lego. Servius ad Virgil. Aen. L. VII. v. 47.

*Hunc Fauno & nympha genitum Laurente Marica*
*Accipimus.*

*Eſt autem Marica Dea litoris Minturnenſium juxta Lirim fluvium. Horatius :*

*& innantem Maricae*
*Litoribus tenuiſſe Lirim.*

*quodſi voluerimus accipere uxorem Fauni Maricam, non procedit: Dii enim topici, id eſt locales, ad alias regiones numquam tranſeunt. Sed poteſt dictum eſſe per poëticam licentiam Laurente Marica, quum ſit Minturnenſis. Dicunt alii per Maricam Venerem intelligi debere; cujus fuit ſacellum juxta Maricam, in quo erat ſcriptum* ΝΑΟΣ ΤΗΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ & reliqua, cui ceteros poëtae interpretes adjungi pervelim. Porphyrion ad Horat. L. III. od. 17. verſ. 8.

*Liris flumen, ubi Marica nympha colitur . . . Maricam autem Minturnenſes maxime colunt.*

Porro v. & Martialis L. X. ep. 30. v. 8. HESSEL. Liris non a Veſtinis decurrit, ſed a Marſis, ut itaque ſuo more vera falſis miſceat noſter. Verum heic ſaltem excuſari meretur, errat cum Strabone, qui loco mox laudando eadem tradit. Ex Apennino effuſus Liris olim *Clanis* vel *Glanis* vocabatur, teſte Strabone L. V. p. 233. & Plinio L. III. c. 5. qui Minturnas coloniam hoc amne dividi adjicit. Placidas ejus undas pingit Horatius L. I. ode 31.

*Non rura, quae Liris quieta*
*Mordet aqua, taciturnus amnis.*

eleganter etiam Silius Ital. L. IV. v. 350. quem videbis. Glanim triplicem in Italia occurrere docet Caſaubonus ad Strabonis l. c. Liris hodie *Garigliano*. O.

## Lycus

v. Servius ad Virg. Geogr. L. IV. v. 367. ubi ad *Lycumque* habet *fluvius Aſiae*. HESSEL. Lycus fluvius multiplex memoratur priſcis; Lycas oppidum nuſquam, quod norim. Herodotus L. VII. c 30. Λύκος ποταμὸς (Coloſſis

Phrygiae majoris oppido) ἐς χάσμα γῆς ἐσβάλλων ἀφανίζεται· ἔπειτα διὰ σταδίων ὡς μάλιστα ἑπτὰ ἀναφαινόμενος ἐκδίδοῖ . . . ἐς τὸν Μίανδρον. cf. & Strabo L. XII. p. 578. & Plinius L. II. c. 103. In Bithynia Lycum habent Scylax & Apollonius Rhodius L. II. v. 724. In Lydia Thyatiras Lyco allui docet Plinius L. V. c. 29. In Cappadocia alium locat ipſe L. VI. c. 3. & Strabo L. XII. p. 556. in Armenia idem L. XI. p. 529. Habet & Aſſyria Lycum, in Tigrim qui defluit, teſte Polybio L. V. c. 51. & Strabone L. XVI. p. 737. Itemque Phoenicia, auctoribus Strabone L. VI. p. 755. & Plinio L. V. c. 20. Sed & extra Aſiam Lycus occurrit, ut in Sicilia, Scythia Europaea, circa Byzantium, cf. Ortelius. O.

## Liger

Papirium Maſſonum conſulito, deſcript. flum. Gall. qua Franc. eſt. p. 97. HESSEL. Liger ipſe ſic olim, non Ligeris. Sic Caeſar quoque B. G. L. VII. c. 55. Ubi Ortelius Graece in recto caſu invenerit Λίγηρ, neſcio; apud Strabonem dicitur, Λίγηρ, L. IV. p. 189. apud Ptolemaeum Λίγηρ. Iſte curſum fluvii apte deſcribit: ῥεῖ δὲ ἐκ τῶν Κεμμένων εἰς τὸν Ὠκεανόν . . . Ἀκουῖτανοὶ . . . μεταξὺ τῆς Γαρουνᾶ κατοικοῦσι καὶ τοῦ Λίγηρος . . . ὁ δὲ Λίγηρ μεταξὺ Πικτόνων τε καὶ Ναμνήτων ἐκβάλλει. Quod Aquitanos ad Ligerim pertingere recte ſcribit, ex Auguſti partitione Galliae eſt, ſub Caeſare quippe Garumna terminabatur Aquitania. Fluvio nomen hodie *Loire*. Pro *Britannico* mari rectius Vibius poſuiſſet *Aquitanicum*. O.

## Lycaſtus

*Coae*. Fortaſſean *Ceae*. HESSEL. An *Cretae?* nam ibi civitas Lycaſtus. v. Mela L. II. c. 7. GRONOV. In Creta Lycaſti urbis jam meminit Homerus Iliad. II. v. 647.

Λύκτον, Μίλητόν τε, καὶ ἀργινόεντα Λύκαστον.

addit ſcholiaſtes πόλιν Κρήτης, ſed locus ipſe jam rem declarat; recenſentur enim urbes Cretae, quibus haſta clarus

praecerat Idomeneus. Milytum atque Lycaſtum ipſius aevo non amplius ſuperfuiſſe, Strabo refert L. X. p. 479. Attamen id oppidum recenſet iterum Plinius H. N. L. IV. c. 12. Idem aliud ejuſdem nominis in Cappadocia vel Ponto memorat L. VI. c. 3. quod a Lyco fluvio dictum forſan fuit. Lycaſti fluvii altum ubivis ſilentium. O.

## Lethaeus

Strabo L. X. p. 478. poſtquam de Gortyna, Cretae oppido, verba fecit, adjicit, διαῤῥεῖ δ' αὐλὴν ὅλην ὁ Ληθαῖος ποταμός. Ptolemaeus L. III. c. 17. Lethaei fluvii oſtia in auſtrali Cretae latere recenſet. Quibus extra Cretam eodem inſigniri nomine contigit, fluvios paullo ante ad *Lethen* notavimus. O.

*Harmonia*) Heſiodus deor. gener. v. 933.

αὐλὰρ Ἄρῃ
Ῥινοτόρῳ Κυθέρεια Φόβον τε Δεῖμόν τε τέκεσθην
Δεινώς, οἵ τ' ἀνδρῶν πυκινὰς κλονέουσι φάλαγγας
Ἐν πολέμῳ κρυόεντι σὺν Ἄρῃ πτολιπόρθῳ,
Ἁρμονίην θ', ἣν Κάδμος ὑπέρθυμος ἔθετ' ἄκοιτιν.

Hyginus fab. 6. *Cadmus Agenoris & Argiopes filius ira Martis, quod draconem fontis Caſtalii cuſtodem occiderat, ſuorum prole interempta, cum Harmonia Veneris & Martis filia uxore ſua in Illyriae regionibus in dracones ſunt converſi.* Hoc rectum eſt nomen uxoris Cadmeae: attamen ſcriptura diſcrepitat Acron ad Horat. art. poët. verſ. 187. *Cadmus & Hermione in angues converſi ſunt: nam Hermione filia Martis & Veneris dicitur fuiſſe. Dicuntur autem in angues converſi propter occiſum draconem, qui erat Marti conſecratus.* Sunt, qui Hermionen his locis Harmonie commutent. HESSEL.

## Mincius

v. Virgilius Georg. L. III. v. 12 ſq. HESSEL. Burmannus ſecundus in Antholog. Lat. T. I. pag. 354. arbitratur, forſan apud Vibium legendum eſſe, *proximus Mantuae*

*nis agris*, *ex Benaco* ſcil. fluens. Conjectura haec non diſplicet, aſt membranis invitis ſollicitare locum non eſt viſum. Subaudiendum fortaſſis: *agris*, ni gentile ſit *Mantuanis*, ſubſtantive poſitum. *Agitur* idem quod *labitur*, *prolabitur*. De Mincio v. & Virgilius Aen. L. X. v. 206. Sidonius Apollin. L. I. ep. 5. Claudianus de ſexto Conſ. Honorii v. 198 & in Epithal. Pallad. & Seren. v. 108. Minciadem vocat Maronem Sedulius praef. hiſt. Evang. v. 10. Andibus prope Mantuam oriundum, cuius eapropter Andinum cantum laudat Silius Ital. L. VIII. v. 594. Mincio idem nomen hodieque. O.

## Moſella

Hoc flumen celebravit Auſonius edyll. 10. HESSEL. Moſella, cui *taurinae frontis honorem* Auſonius tribuit, cuique idem nomen hodieque inhaeret, apud Florum L. III. c. 10. *Moſula* dicitur. In tabula Theodoſiana *Muſalla*. Apud Venantium Fortun. L. VII. c. 4. v. 7. *Muſella*. Ravennas anonymus *Moſelam* vocat. Sunt, qui Ptolemaeo *Obringam* ſalutari arbitrentur L. II. c. 9. cf. Hadr. Valeſius in Notit. Gall p. 363. Negant Cluverius atque Cellarius; mirum tamen, ni is ſit fluvius, Moſellam prorſus praeteriri a Ptolemaeo. cf. & D'Anville Notice de la Gaule p. 499. De Moſellae cum Arari tentata conjunctione, qui egregius conatus L. Veteris fuit, noſtra jungendorum marium fluviorumque omnis aevi molimina conſules. O.

## Minio

v. Servius ad Virg. Aen. L. X. v. 183. *Fluvius eſt Minio Tuſciae ultra Centum cellas*. cf. Joſ. Simlerum, Joſ. Caſtalionem & Theod. Sitzmannum ad Rutilii itiner. v. 279. HESSEL. Hodie *Mignone* item *Mugnone* ſalutatur. Inter Graviſcas & Centumcellas (nunc *Civitavecchia*) defluebat; atque ſic etiam in tabula Theodoſiana ſiſtitur, corrupte licet *Mindo* vocatus. Neque audiendus hic eſt Mela, qui Pyrgos inter & Caſtrum

novum exire jubet L. II. c. 4. notatus eapropter Cellario G. A. L. II. cap. 9. ſect. 2. Haec autem ut ſunt obvia & trita, ita difficultatis plenum eſt, quod Sequeſter addit: *a Minione.* Puto *urbe.* Verum ejus apud veteres ſcriptores Romanos nullibi fit mentio. Inde Boccacius mutavit poſuitque, *haud longe a Roma.* Verum, ecce, quod jam aliquoties nobis contigit, ut Vibii verbis ex ſequioris aetatis operibus robur conciliaremus, id & heic licebit. *Minium* oppidum, quod profecto & *Minionis* nomine, ut fluvius ipſe, venire potuit, aptiſſimo loco & bis quidem inſerit Ravennas anonymus. Ita ille L. IV. c. 32. *Caſtro novo, Centumcellis, Minium, Tabellaria, Graviſca* &c. dein L. V. c. 2. eadem repetit, ubi Plac. Porcheron adnotat: *Minionem amnem aut certe urbem juxta ipſum poſitam intellige.* Imo vero amnem non licet, urbem oportet. Sic ſalva res eſt. De Minio Luſitaniae nota ſunt omnia. O.

## Metaurus

v. Silius L. VIII. v. 451. HESSEL. Olivarius ad Melam L. II. c. 4. notat: *nunc Plumba fluvius*, cum retineat nomen antiquum *Metaro.* GRONOV. Haud procul Fano Fortunae Metaurum Umbriae fluvium locat Strabo L. V. p. 227. Habet ſimilia Plinius L. III. c. 14. Hodie is fluvius *Metaro*, itemque *Metro* vocatur. Curſum ejus graphice pingit Silius l. c.

\- - - - - - - - *rapidaſque ſonanti*
*Vertice contorquens undas per ſaxa Metaurus.*

Tabula Theodoſiana *Mataurum* dicit & ad oſtia male *Matava.* Habes & apud Cluverium antiquum lapidem, in quo legitur *Matauro.* v. Ital. ant. L. II. c. 5. Diſtinguendus autem hic Umbricus Metaurus eſt ab alio in Bruttiis, de quo Strabo L. VI. p. 256. & Plinius L. III. c. 5. Nunc *Marro* vocatur ab accolis. O.

## Maeandros

Pomp. Melam L. I. c. 17. & Ptolemaeum L. V. c. 2. ſi audias, Maeander Joniae fluvius erat. Cum iis ſentit & Plinius, qui Joniam antiquo ſuo nomine Lydiam vocat: *Lydia autem perfuſa flexuoſi amnis Maeandri recurſibus.* L. V. c. 19. D'Anvillius ſpretis his veterum teſtimoniis Maeandro fluvio Cariam ſejungit a Lydia. v. tab. aſiae min. s. CROIX.

*flexuoſus*) Euſtathius ad Dionyſ. orb. deſcr. v. 824. Servius ad Virg. Aen. L. V. v. 251. Propertius L. II. eleg. 25. v. 35. Ovidius metam. L. II. v. 246. L. VIII. v. 162. L. IX. v. 449. & ep. heroïd. IX. v. 55. Seneca herc. fur. v. 683. Silius L. VII. v. 139. Lucanus L. III. v. 208. ubi pro *erectis* Salmaſius & Heinſius legunt *& rectis*. Maeandri forma in itinerario Gallico Georgii Wheeleri deſcripta eſt p. 274. T. I. ed. Amſt. 1689. HESSEL. Porro de curſu ejus conſulendus le Bruyn in voy. T. I. p. 102. 104. Varios ejus alveos prope Miletum in tabula depictos ſiſtit Chandler in Jonian Antiquities Ch. III. Pl. I. & in Travels in Aſia minor. Vere Poëta:

*Non ſecus ac liquidus Phrygiis Maeandros in arvis*
*Ludit & ambiguo lapſu refluitque fluitque,*
*Occurrenſque ſibi venturas adſpicit undas,*
*Et nunc ad fontes, nunc in mare verſus apertum*
*Incertas exercet aquas, ita - - -*

Hodie Maeander *Meinder*, *Minder* item *bojuck Minder* audit. Aſt in tabula Theodoſiana jam *Minde fl.* legitur. O.

## Macra

v. Lucanus L. II. v. 426.

*- - - nullaſque vado qui Macra moratus*
*Alnos vicinae percurrit in littora Lunae.*

HESSEL.

Livio XXXIX. 32. & XL. 41. Macra vocatur, item Plinio III. 7. ſed a Ptolemaeo III. 1. Μαχρά. GRONOV.

Apud

Apud Ptolemaeum nonnulli codices habent Μαρκάλλα. Utrumque corruptum esse, certum videtur Cluverio Ital. ant. L. I. c. 9. Idem sentit Casaubonus ad Strabonem L. V. p. 222. ubi Μάκρης vocatur is fluvius; absque dubio enim τῷ Χωρίον substituendum ποταμός. Hodie *Magra* salutatur. Liguriam ab Etruria disterminabat. v. Plinius L. III. c. 5. Tabulae Theodosianae rationes heic profecto sunt oppido turbatae. Macram fluvium, cui *Marca* nomen est adscriptum, a Lunae oppido procul removit ista. Ad utram Macrae ripam situs fuerit *Lunaï*, ut apud Ennium est, *portus - - - quo non spatiosior alter innumeras cepisse rateis & claudere pontum.* quae verba sunt Silii L. VIII. v. 483. dissensus est, de quo consuluisse Cluverium juverit L. II. c. 2. Ipse Strabonis descriptione ductus, Lunae portum eundem judicat esse, quem hodie *il golfo di Spetia* vel *della Spetia* nuncupant. O.

## Mathis

Hunc fluvium, soli nostro & post eum Boccacio laudatum, non adoptavit Cellarius; contra Danvillius infra Drinum, quo Lissus rigatur, flumen exhibet, cui nomen *Mathis* adposuit. Huic in recentioris Geographiae tabulis respondet apud eundem *Mattia;* in tabula Castaldi invenerat Ortelius *Matin.* Sic ergo commode sua Vibio auctoritas asseritur, qui ceterum, ut solet, veris falsa admiscet. Est enim remotior a Dyrrachio Matis, quem si forsan Lissi, cui propior est, fluvium credidit, inversa a librariis verba putarem, initio sic posita: *Mathis Lissi non longe a Dyrrachio.* Sed nec haec vera satis forent, scatetque noster tot tantisque peccatis, ut operam abutatur suam, qui invito unam alteramve maculam ei abstergere satagit. O.

## Marsyas

*Celaenae*) vera lectio, seu potius *Celaenarum.* Ovidius metam. L. VI. v. 399.

*Inde petens rapidum ripis declivibus aequor*
*Marsya nomen habet, Phrygiae liquidissimus amnis.*

quem ad locum comparandus Lucanus L. III. v. 207. de Marſya ſatyro, in cognominem fluvium commutato, Martialis L. X. ep. 62. v. 9.

*Qua vapulavit Marſyas Celaenaeus.*

Munkerus quoque ad Lactant. narr. fabul. L. VI. fab. 5. legit *Celaenarum.* HESSEL. Lege *Celaenarum.* videndus ad h. l. Livius L. XXXVIII. c. 13. *Hujus amnis* (ſcil. Maeandri) *fontes Celaenis oriuntur. Celaenae urbs caput quondam Phrygiae fuit: migratum inde haud procul veteribus Celaenis, novaeque urbi Apameae nomen inditum ab Apamea ſorore Seleuci regis. Et Marſyas amnis haud procul a Maeandri fontibus oriens in Maeandrum cadit: famaque ita tenet, Celaenis Marſyam cum Apolline tibiarum cantu certaſſe.* Idem ſcribit Strabo L. XII. p. 577. 578. GRONOV. Adde Plinium L. V. ç. 29. Herodotus L. VII. c. 26. Celaenis in foro ſuſpenſam videri Marſyae pellem ſcribit, formatam in utrem, & ex eo ipſo foro fluvium oriri addit, qui in Maeandrum incidat & *Catarractes* dicatur. Itaque hic aliud nomen ejuſdem Marſyae amnis, quem hodie *Jarmuck* ſalutati referunt. Maximus Tyrius oculatus teſtis ex eodem fonte utrumque fluvium Marſyam & Maeandrum oriri teſtatur. diſſ. VIII. c. 8. Plutarchus de fluviis alium memorat Marſyam, qui *Midae fons* dictus. Alium Plinius L. V. c. 24. a Samoſatis, latere Syriae, influere in oppidum Singara memorat. Iſti hodie *Cingas* nomen. Ptolemaeo quoque L. V. c. 15. Σίγας flu. men eſt. Eſt & Marſyas regio Coeleſyriae apud Strabonem L. XVI. p. 753. cf. Ortelius. O.

## Melas

*Epidanum*) Vereor, ne Vibius item hic, uti ſupra in *Apidanos* atque *Aſopos* infraque in *Phoenix* parum conſiderate ſecutus eſſe videatur Lucanum L. VI. verſ. 37.

*Et quiſquis pelago per ſe non cognitus amnis*
*Peneo donavit aquas. It gurgite rapto*
*Apidanos, numquamque celer, niſi miſtus, Enipeus.*
*Accipit Aſopos curſus Phoenixque Melaſque.*

ſi fiat ejus cum Herodoto L. VII. cap. 198, 199 ac 200. & cum Strabone L. IX. pag. 428. contentio atque comparatio. Ille Melas a Trachine diſtans quinque ſtadia latuit Hortenſium interpretem Pharſal. minime vero Euſtathium enarratorem Dionyſii perieg. verſ. 414.

Καὶ περὶ τὴν Τραχῖνα δὲ, ὡς Ἡρόδοτος ἱστορεῖ.

HESSEL.

*in Epidanum*) Laurembergius mavult *in Acīonem*. GRONOV. D'Anvillius in tabula Graeciae antiquae, preſſo pede Herodoti & Strabonis verba ſecutus, in Maliacum ſinum hoc ordine delabentes fluvios ſiſtit; apud Anticyram Sperchium, dein Dyram, poſtea Melanem haud procul a Trachine, tandem Aſopum prope vicum Anthelam. In Aſopum autem ibi fere, ubi in mare exit, influentem Phoenicem exhibet, a quo ad Thermopylas quindecim ſtadiorum intervallum eſſe ſcribit Herodotus. In omnibus iſtis falſus eſt Vibius, Lucani verba dum perperam intellexit. Hic ita debebat ſcribere: *Melas Theſſaliae, in Maliacum fluens.* Caeterum, quum nomina Araxis, Cyri, Melanis & ſimilia vel ab undarum rapiditate vel ab earum colore ipſis ſint indita, mirum non eſt, ſi pluribus in locis & regionibus iis inſigniti occurrant amnes. Praeter Theſſalicum Melanes & in Boeotia, in Thracia, in Peloponneſo, in Colchide, in Cilicia & alibi paſſim memorantur v. Ortelius. O.

## Nilus

v. Lucanus L. II. v. 416. Propertius L. II. eleg. 1. v. 31. Lucretius L. VI. v. 712. Claudianus idyll. 4. HESSEL. In ſcrutandis Nili fontibus noſtri aevi induſtria neutiquam antiquorum ſuperavit ſolertiam. v. D'Anville Diſſ ſur les ſources du Nil dans les mém. de l'acad. des Inſcr. T. XXVI. p. 46 ſq. Priuſquam Ptolemaeus Evergetes Aegypto praeeſſet, parum ultra Meroën inſulam ejus fluvii curſus innotuerat. Is demum victricia arma in auſtralibus plagis circumtulit, noſcendique rectius Nili curſum occaſionem ſubminiſtravit.

v. monumentum Adulitanum apud Chishull antiq. Aſiat. p. 80. s. CROIX. Non deſunt, quibus ad veros Nili fontes omnino penetraſſe nonnemo videatur. In his eſt Le Bruyn, qui in voyage au Levant T. II. Paiſium atque Tellezium in regione Sahakala celebratiſſimi amnis ortum deprehendiſſe narrat. Eamque horum duumvirorum ſententiam teſtimonio Illuſtris viri, ab Aethiopum rege Cahiram ablegati, ſatis ſuperque firmatam pronuntiat. Verum potiora ſunt, quae tradit D'Anvillius. De cauſſis annui inundantis fluminis incrementi notum ſententiarum divortium. Nilum Africam inter Aſiamque terminum agnoviſſe veterum nonnullos, tum alienis apud Strabonem L. II. p. 126, tum propriis Plinii L. III. c. 1. & Pomp. Melae L. I. c. 1. verbis conſtat. Simili modo in tabula Theodoſiana haec leguntur: *fl. Nilus qui dividit Aſiam & Libiam.* Quibus nominibus olim inſignitus paſſim fuerit Nilus, docebit Ortelius. O.

## Nar

*Tiberim*) v. Lucanus L. I. v. 475. Silius L. VIII. v. 452. HESSEL. Umbriae flumen, non Sabinorum, vulgo Nar ſalutatur; verum, quandoquidem inter utramque regionem terminus is fuit, cf. Cluverius Ital. ant. L. II. c. 10. haud ita male Sabinis quoque adſcribitur. *Velinos lacus ſulphureis aquis exhaurire* dicitur Plinio L. III. c. 12. *Tiberimque ex his petens replere, e monte Fiſcello labens.* Virgilius quoque Aen. L. VII. v. 517. ita

*Sulfurea Nar albus aqua - - -*

ubi Servius innuit, *Nar* appellatum, quod Sabini hac voce *ſulphur* denotarent. Neque tamen tuta ſatis ipſi Servio haec interpretatio viſa; addit enim: *ſive quod odore ſulfureo nares contingat, ſive quod in modum narium geminos habeat exitus.* Quae merae ſunt nugae. Reliqua Vibii verba ex his Strabonis verbis lucem accipiunt L. V. p. 227. ἡ Ναρνία, δι' ἧς ῥεῖ ὁ Νὰρ ποταμὸς, συμβάλλων τῷ Τίβεϊ μικρὸν ὑπὲρ Ὀκρίκλων, πλωτὸὶ δ' ἐ μεγάλοις σκάφεσιν. Accolas Naris Interamna-

tes *Nartes* vocat Plinius L. III. c. 12. Et apud Gruterum pag. 422.

CIVITAS INTERAMNATIVM NARTIVM

Nari fluvio hodie *Nera* v. *Negra* nomen. Narniae idem, *Narni*. O.

## Numicus

v. Silius L. VIII. v. 360. Tibullus L. II. eleg. 5. v. 41. HESSEL. Ad Numici fontem positum Lavinium fuit, in eo colle, in quo nunc conspicitur fanum *S. Petronellae*. v. Cluverius Ital. ant. L. III. c. 3. *Super id flumen Aeneas situs fuit, Jovem Indigetem quem appellant*, teste Livio L. I. c. 2. Sacello ibi extructo Aeneae tanquam heroi, titulum fuisse hunc impositum

ΠΑΤΡΟΣ ΘΕΟΥ ΧΘΟΝΙΟΥ
ΟΣ ΠΟΤΑΜΟΥ ΝΟΜΙΚΙΟΥ ΡΕΥΜΑ ΔΙΕΠΕΙ

refert Dionysius Halic L. I. Erat autem & fons & antrum, ex quo profluebat, *Annae Perennae* sacrum. Ea Didonis soror fuerat. v. fabellam apud Ovidium fastorum L. III. v. 543 sq. & Silium Ital. L. VIII. v. 28 seq. Quid sibi velit Servius, quum ad Aeneid. L. VII. v. 150. haec habet: *Numicus ingens ante fluvius fuit - - post paulatim decrescens in fontem redactus, qui & ipse siccatus est, sacris interceptus. Vestae enim libare non nisi de hoc fluvio licebat* . . non satis video. Hodieque manare fontem & fluere amnem dicunt, dictum *Numico*; Pyrrhus Ligorius *Rivo* salutat. O.

## Niphates

v. Lucanus L. III. v. 245.

*Armeniusque tenens volventem saxa Niphatem.*

HESSEL.

Niphates Armeniae mons passim memoratur. v. Strabo L. XI. p. 523 & 527. Pomp. Mela L. I. c. 15. Plinius L. V. c. 27. Νυμφάτην dicit Ptolemaeus L. V. c. 13. Nisi quod Palatinus codex quoque Νιφάτην habeat. Ex eo monte ruere

Tigris ſcribitur apud Strabonem L. c. p. 529. Niphatis contra amnis ſoli, quod ſciam, poëtae meminere. Virgilius Georg. L. III. v. 30. Horatius L. II. ode 9. Silius Ital. L. XIII. v. 764. item Lucanus l. c. O.

## Orethus

Eum non Panormi ſed τὸν πρὸ τῆς πόλεως ποταμὸν vocat Polybius L. I. c. 40. neque nominat; ſimili modo Diodorus L. XXIII. c. 40. Hodie *l'amiraglio* ſalutari, auctor eſt Cluverius Sic. ant. L. II. c. 3. Ortelius ex Leandro *fiume de la muraglia* vocari aſſerit. Suppeditat ergo heic nobis Vibius fluvii nomen, indictum aliis. Eſtque id eo magis mirabile, quod vetus *Oreti* nomen hodieque retinere amnem teſtatur Ser. Caſtellus Pr. T. M. Panormitanus ipſe, adeoque teſtis luculentiſſimus. v. proleg. ejus ad Inſcr. Sic. pag. XXVIII. ubi in NN. Panormitanorum monſtrum biforme, ſcilicet taurum humana facie inſignem, ſymbolum ipſius Orethi fluvii eſſe docet. In Hiſpania Oretum oppidum, Oretani populus, Oretania regio nota. O.

## Oaxes

Multas fecit Oaxes turbellas. Ego ſequor auctoritatem Ang. Politiani miſcell. c. 37. J. L. de la Cerda ad Virgilii ecl. I. v. 66. Chr. Cellarii G. A. L. II. c. 14. & aliorum, qui flumen hoc Cretae non abjudicarunt. De Creta etiam, ſi tibi commodum eſt, expende teſtem Barthium in anim. ad Claudianum bell. Gildon. v. 31.

*Varro*) Utrum M. Terentii Varronis fragmentorum, quae complura ſunt, collectione hoc fragmentum ſit comprehenſum, nec ne, non vacat jam inquirere. Etenim ad ea quaedam de Servio addi poſſe, teſtatur in prima fronte ſui exemplaris (Durd. 1619.) Broukhuſius; id nunc meum eſt. Sed juſtiſſime tribuit Politianus hanc naufragii tabulam P. Terentio Varroni Atacino; quo ſuper poëta diligenter agit Gyraldus de poët. hiſtor. dialog. IV. pag. 202. Voſſiuſ-

que major de poët. Latin. cap. 2. & de hiſtor. Latin. L. I. cap. 16. ambo laudantur a Fabricio biblioth. Latin. L. I. cap. 7. §. 5.

*Quos magno*) Haec & ſequentia verba MS. Rev. deficiunt aduſque verbum *geminis*. Servius autem ad Virg. ecl. I. v. 66. hos Varronis Atacini verſus accumulat hoc ἡμιστιχίῳ

*Scindere dicta.*

quod quid ſibi velit, neſcio. Reddendum erat Latine Graecum ἐβλάστησεν, uſurpatum, ut Apollonii Rhodii ſcholiaſtes interpretatur, ἀντὶ τοῦ ἐγέννησεν: namque Apollonius Rhodius ita canit L. I. verſ. 1129.

οὕς ποτε νύμφη
Ἀγχιάλη Δικταῖον ἀνὰ σπέος ἀμφοτέρῃσιν
Δραξαμένη γαίης Οἰαξίδος ἐβλάστησε.

Fortaſſis apud Servium legi debet

*Fundere dicta.*

ſiquidem *fundere* non raro ſignificat *parere*. De reliquo, ne quem offendat prima littera in *Oaxis* producta eademque in *Oaxes* correpta, melius caverunt Graeci appoſito ι: qua de re σχόλιον ad Apoll. Rhod. locum; ἔδει δὲ εἰπεῖν Οἰαξίδος, προσετέθη δὲ τὸ ι. vide ſis Holſteniumque & Berkelium Stephani Byzantini explanatores in Ὄαξος. HESSEL.

*Oaxes*) Virgilius Ecl. I. v. 66.

*Et rapidum Cretae veniemus Oaxen.*

ubi Servius: *Rapidum h. e. lutulentum, quod rapiat cretam. Creta terra alba dicitur. Nam Oaxis fluvius eſt Meſopotamiae, qui velocitate ſua rapiens albam terram turbulentus efficitur, vel Oaxis fluvius Scythiae in Creta inſula non eſt: ſed aqua cretei coloris eſt. Oaxen Philiſthenes ait Apollinis & Anchiales filium; hunc Oaxen in Creta oppidum condidiſſe, quod ſuo nomine nominavit, ut Varro ait:*

*Quos magno Anchiale partus adducta dolore,*
*Et geminis capiens tellurem Oaxida palmis*
*Scindere dicta.*

Salmaſius notat: *Male apud Servium ſcribitur Oaxida, quod verſus non patitur, licet locus ita appellatus ſit . . . Oaxes*

*igitur apud Poëtam fluvius eſt Scythiae Orientalis, qui Oaxus aliis dicitur & Oxus. Nam & Ὄξης & Ὦξος appellatus. Senſus ita plane accipi poſtulat. Et rapidum Cretae vocat, quia creta, id eſt albo limo, turbidus fluat. Meſopotamiae fluvium* Oaxem *dicit eſſe Servius, ſed nugatur. Nullus in Meſopotamia fluvius hoc nomine.* Sic Servius cum Salmaſio ſapere voluit prae magiſtro ſuo Virgilio, cui tamen ſecundas fert Sequeſter. Ceterum civitas *Oaxus* probatur & per Herodotum L. IV. c. 154. Ἔστι τῆς Κρήτης Ὀαξὸς πόλις. & apud Stephanum Byzantinum: Ὀαξὸς πόλις Κρήτης, Ἐλευθέρας οὐ πόρρω, κατὰ ξενίων, ἀπὸ Ὀαξοῦ τοῦ Ἀκακάλλιδος, τῆς θυγατρὸς τοῦ Μίνω. GRONOV. Ego ſane ſum in ea ſententia, τὸ *Creta* in verſu Virgilii

*Pars Scythiam & rapidum Cretae veniemus Oaxem.*

non eſſe hic ex genere appellativorum, & σὺν τῷ *rapidum* conſtrui eo, quem Servius primum prodidit, ſenſu; neque me movet, quod geminum locum, in quo rapidus cum ſecundo caſu conjungatur, non meminerim me obſervaſſe; qui ſciam, adjectiva omnia, quae actionem in aliud denotant, neceſſario cum aliquo caſu eſſe componenda, componique revera frequentiſſime cum genitivo, non aliter atque ea, quorum tum naturam, & quaſi vicem gerunt, participia. Ita *ſtudioſum Ciceronis* dicebant veteres eodem modo, quo *Ciceronis amantem*, & *capacem fluminis alveum*, perinde uti contraria ratione *tenentem ingentis alvei Atacem fluvium Narbonenſis Galliae ſcripſit* Mela L. II. cap. 5. *audax coepti, facti praeclarus.* Caeterum, quod *rapidus* alibi eundem caſum non adſciſcat, quamquam iſtud diſerte affirmare in hac memoriae meae, in his talibus non feliciſſime reminiſcentis imbecillitate, haud quaquam auſim, id nos tum demum gravius deberet turbare, ſi eandem alicubi, quam in Maroniano loco, ſignificaret in alium actionem, neque tamen genitivum haberet adjunctum. Sed vero, cum eadem, qua modo uſus ſum, memoriae non feliciſſimae praefatione atque excuſatione, tibi confirmo non arbitrari me, illud apud probatos auctores, ubi caſum omnino nullum regit, aliud quam ce-

lerem notare, quo ſenſu ne umbram quidem actionis ejuſmodi, qualis requiritur, ut adjectiva caſum regant, ineſſe huic voci intelligis. Dices, cur ergo actionem hic iſti voci, novamque plane ſignificationem in loco Maronis attribuis? Attende quaeſo, quid reſpondeam. Vox *rapidus* atque affine *raptim*, item aliud ex eodem fonte profectum *rapax*, quod in legionum titulis honeſtiſſime olim ad deſignandam *celeritatem* uſurpatum animadvertimus, natura ſua atque ex etymologia non aliud poſſunt denotare, niſi rem, quae vel rapit, vel rapitur, neque proinde aliter celerem deſignat, quam metonymice, eo quod nempe celeritas cum raptu fere ſit conjuncta. At cum hoc ita ſit, ecquis mihi jam porro inficiabitur, vocem iſtam *rapidus* habuiſſe aliquando propriam ſuam, quam etymon arguit, *rapiendi* ſignificationem, quae poſtea paulatim exoleverit, ita tamen, ut erudito ſcriptori eam pro re nata revocare liceret? Cujus conſuetudinis ſi afferrem exempla, ac voces nativo ſuo ac proprio ſenſu nunquam aut rariſſime, improprio atque figurato paſſim apud auctores uſurpatas inſtituerem accumulare, equidem vereor, ut me male de tuo in his literis profectu, quem facio ſane plurimi, judicare exiſtimares.

Quaeris porro, ſi Oxum Scythiae fluvium deſignaverit Maro, cur non ſaltem Oaxum potius cecinerit, quam Oaxem? Ad quod ſi vel hoc unum ego reſpondero, requiſiſſe id ſuavitatem carminis, cum iſte quaſi rythmus in *rapidum* & *Oaxum* valde laedat teneriores aures, & optimorum poëtarum lectione tritas, nihil habes amplius quod querare. Quid, quod ſimilitudo caeterorum in Aſiae fluminibus obviorum nominum ampliorem ei etiam hac in re poteſtatem tribuit, qui Gangem, Euphratem, Araxem, Phaſim, Tigrim & quos non? perpetuo nobis ingerunt; in *ον* Grajorum vel Latinorum *um* terminatos parcius producunt. Itaque nec hoc ego tibi jam amplius largior, fluvium eum in *um* ſemper aut conſtanter apud omnes deſiiſſe, petoque argumentum ab ipſa illa Cretenſi civitate, quae nonnullis interpretum Maronis fraudi fuit, ac certe non minus Oaxis, Oaxes

atque Oaxus dicta fuit, quemadmodum vel τῆς Ὀαξίδος appellatio, apud antiquos subinde occurrens, tibi debet persuadere; quin Oxim omnino aliquos dixisse Oxiae paludis nomen, quod tibi me apud veteres legisse pro certo confirmo, arguit. Oaxim vero denique pro *Oxim*, ne iterum adversus commoditatem decurrere necesse sit, etiam Plinius dixit, apud quem lacus Oaxus ille, qui amni nostro pro fontibus est, appellatur. ISELIUS *in epistola ad Schminckium.*

Locus Virgilii Eclog. I, v. 66. difficultatem habet non exiguam. In Servii expositione quaedam aperte falsa sunt, quaedam incerta; nam quod Oaxem Mesopotamiae fluv. esse dicit, id nusquam alibi vel pictum vel fictum vel scriptum opinor, ac proinde, Salmasii sententiam secutus, tanquam nugatorium rejicio. Idem mox alios, ut videtur, auctores secutus, Oaxem non Cretae, sed Scythiae fluv. esse tradit. Sed hoc quoque non fert Politianus L. I. Miscell. cap. 37. & Servium foede errasse praefatus, se Oaxem Cretae inf. fluvium accipere ait his de causis, quod inter ejus insulae fluvios Vibius Sequester Oaxem memoret, a quo etiam, ut ille putat, civitas Oaxia in eadem insula dicta sit, quod Apollonius Rhodius in Argonauticis Cretam tellurem Oaxida appellaverit, denique, quod rationi conveniat, ut poëta populares suos toto orbe dispersum iri ostensurus, de insula quoque in medio veluti mari Mediterraneo sita, tunc & de altera, penitus toto orbe divisa, memoret." Cum Politiano quoque sentit Brodaeus I. Miscell. c. 39. & Agricolam, qui Oaxem Scythiae fluvium esse dixerat, reprehendit, ut temere minutos glossographos, quo nomine Servium designat, secutum. Rationes suae sententiae adfert duas, auctoritatem nimirum Vibii, & quod Oaxus Stephano & Herodoto testibus urbs Cretae fuerit. Atque hanc opinionem etiam sequitur Cellarius L. II. Geogr. Antiq. c. 14. iisdem, quibus illi, rationibus nitens, & ob eas non dubitandum esse dicens, quin in Creta fuerit Oaxes fluvius, praesertim Virgilio adfirmante, & comprobante etiam e Varrone Vibio Sequestro. Sed Politianum refellit, ut mihi quidem videtur, non omnino

male Floridus Sabinus I. Lect. Subc. cap. 6. ac primo quidem Vibii auctoritatem hic valere non debere dicit, cum de Oaxe fluvius Cretae alii omnes geographi fileant, quod eos facturos fuiſſe non credibile ſit, ſi is ibi fuiſſet, propter illius inſulae celebritatem. Quod autem Politianus ab Oaxe fluv. Cretae Oaxiam urbem, & ipſam Cretam Oaxida terram dictam putat, id eum ſine ulla auctoritate comminiſci, & doctos potius Servium ſequi, qui urbem eam ab Oaxe Apollinis filio, non ab Oaxe fluvio, nomen accepiſſe auctor eſt. Potuiſſet Servio teſtem addere Stephanum, qui idem, quod Servius, ſcribit; praeterea e Politiano quaerere, quo auctore Oaxiam dicat urbem, quam Herodotus IV. 154, Stephanus de urbibus, & ſi conjecturam Meurſii ab If. Voſſio probatam ſequimur, Scylax pag. 42. Oaxum vocant. Poſtremum argumentum Politiani ita refellit Floridus, ut dicat Politianum poetae mentem non eſſe adſecutum, qui hoc velit, eos, qui agris ſuis ejecti fuerant, queri, ſibi in loca deſerta, ſitientem Africam, Scythiam & Britanniam eundum, ut quibus regionibus nulla eſſet aëris benignitas & clementia, nulla humanitas; in profectione in Cretam inſulam autem nil eſſe incommodi, quae & propinqua, & maxime commoda, & fertilis, & centum urbibus habitata eſſet. Haec ille pro Servio contra Politianum, quae etiam Brodaeo & Cellario opponi poſſunt. Nam quod Virgilii auctoritate, tanquam argumento pro ſua ſententia, utitur Cellarius, id parum procedit, & ejuſmodi argumentatio, quam diu de ſententia poetae quaeritur, incurrit in vitium, quod Graeci μετάβασιν τὸ ζητούμενον, logici petitionem principii vocant. Varronis autem auctoritas, quemadmodum temere rejici non debet, modo conſtet Vibium in eo laudando non erraſſe; ita fortaſſe non tanta eſt, ut in omnium geographorum ſilentio ſola rem conficere poſſit. Atque haec quidem probabiliter ita contra ſententiam eorum, qui Oaxem Cretae flumen eſſe volunt, diſputari poſſunt. Caeterum non ingratam rem ſtudioſis facturus fuiſſet idem Floridus, ſi antiquorum auctoritate ſententiam, quam tam animoſe contra Po-

litianum tuetur, confirmaſſet; at ille de Oaxe fluvio alios videre jubet, & ſe, ſi vel omnes geographi eum in Creta fuiſſe dixiſſent, tamen negaturum dicit, Virgilii ſententiae congruere, ut hic locus de Creta inſula accipiatur, quod inopia teſtimoniorum ex antiquitate de Oaxe Scythiae fluv. fieri palam eſt. Salmaſius quidem in Exercit. Plin. pag. 692. Oaxem fluv. Cretae nullum eſſe ſcribit, & Oaxem Virgilii Oxum (quem Scythiae fluv. eſſe ex Mela III. 5. conſtare poteſt) eſſe, antiquis ſine diſcrimine Oaxum & Oxum vocari, pronunciat, & ſine ulla mentione Vibii & Varronis poetam non niſi ridicule de Creta exponi poſſe dicit, Serviique de albo limo expoſitionem probat. Sed mihi res intricatior, quam quae plane expediri queat, & ejuſmodi prope eſſe videtur, ut facilius utraque ſententia refelli, quam alterutra earum ἀναντιῤῥήτως ſtabiliri poſſit. Nam nec ſatis cauſae eſt, cur vel Vibii fidem in laudando Varrone ſuſpectam habere, vel eundem negligentiae erroriſve inſimulare debeamus; etſi hoc ſuſpicionem aliquam erroris praebere poteſt, quod Servius, cum Oaxem oppidum fuiſſe Cretae Varronis auctoritate doceat, de fluvio nil memorat, quod tamen locus ipſe requirebat,, & omnino facturus fuiſſe videtur, ſi eum apud Varronem inveniſſet. Rurſus omnium aliorum geographorum de Oaxe Cretae ſilentium non minimi ponderis argumentum eſt pro iis, qui eum fluvium in Creta fuiſſe negant. In Salmaſii autem ſententia, ſi vel maxime demus, eundem eſſe Oxum & Oaxum (quod tamen liquidius demonſtratum oportuit, nec Salmaſio ſimpliciter & ſine ulla fere auctoritate ita pronuntianti credi poteſt) tamen hic ſupereſt ſcrupulus, cur poëta declinationem ac terminationem illius nominis mutaverit, & Oaxem potius quam Oaxum, quod ſalva lege metri poterat, dixerit. Sed hoc quicquid eſt, in eo omnino adſentior Florido Sabino & Salmaſio, ut putem, ſententiam ac mentem poëtae repugnare, quo minus hic locus de Creta inſula intelligatur, proboque expoſitionem Servii, vocem *cretae* pro nomine communi accipientis, & *rapidum cretae* interpretantis, velocitate ſua rapientem al-

bam cretam, & ideo turbulentum, quod & Florido & Salmaſio placet. Nec me movet, quo argumento Erythraeus in indice Virgil. pro iis pugnat, qui Cretam in hoc verſu de inſula accipiunt, quod auctoritatem alterius ſcriptoris, qui rapidus genitivo junxerit, neque alii attulerint, neque ego adferre poſſim; multa ſunt apud antiquos ἄπαξ λεγόμενα, & hoc ipſum genus dictionis, quo adjectiva verbalia in *idus*, ne de aliis dicam, genitivo ſubſtantivi junguntur, praeter naturam verborum, a quibus derivantur, frequens eſt apud antiquos, cujuſmodi ſunt v. gr. callidus, avidus, providus, invidus, validus, ſic improvidus ſubiti caſus apud Juvenalem, impavidus ſomni apud Silium Ital. validus animi apud Tacitum, quibus inſolentius non poteſt videri *rapidus cretae*, cum praeſertim eadem ratione ellipſeos, qua illa explicari poſſit. Haec de Oaxe & ſententia poëtae dixiſſe ſufficiat.

Scythiam & Oaxem dici puto pro *Oaxem Scythiae*, ut, L. I. Aeneid. *in brevia & ſyrtes* urget pro *in brevia ſyrtium*, & alia hujuſmodi, quae non ſolum apud poëtas, ſed etiam proſae ſcriptores ſunt frequentiſſima. Potuerat quidem, ſi quis hoc mihi opponat, poëta dixiſſe *Pars Scythiae rapidum cretae veniemus Oaxem*, ſed quis non videt, ea ratione venuſtatem & gratiam verſus fuiſſe perituram? Jam vero epitheton *rapidum* optime convenire Oxo ex illis, quae tu in literis tuis de fluvio illo ex Arriano, Polybio & Curtio obſervaſti, ſatis patet. Nec ulla ratio eſt, cur vocis *Cretae* expoſitio Serviana, quae etiam Florido Sabino & Salmaſio placuit, improbari debeat. Denique Oaxus & Oxus ſine diſcrimine dici docet Salmaſius, quemadmodum Ὀαξέων & Ὠξέων, atque idem etiam notat in antiquis libris Plinii VI. 16. ſcribi *Oxus amnis ortus in lacu Oaxo*, ubi vulgati habent in lacu *Oxo*, quod etiam Solinus retinuit.

DUKERUS *in epiſt. ad Schminckium.*

Nunquam argumentis licet ab utraque parte probe perpenſis a me impetrare potui, ut Virgilium per Oaxem Cretae inſulae fluvium intelligere crederem; hujus enim ſententiae patroni ſolo Vibii (fruſtra Virgilius hac in re laudatur) teſti-

monio nituntur, qui an non in laudando Varrone deceptus fuerit, vix dubitem; ſiquidem in illo loco Varronis, quem nobis ſervavit Servius, plane contrarium reperitur; non enim dicitur ibidem Oaxum urbem ab Oaxe fluvio denominatam, ſed Oaxum ſive Oaxem a conditore ſuo Apollinis & Anthilenae filio Oaxe nomen accepiſſe, & hinc inſulam Cretam etiam tellurem Oaxida dictam fuiſſe, quae doctiſſimi Varronis ſententia multo veroſimilior eſt, quam illa, cujus Vibius mentionem facit; plura enim exempla in hiſtoria fabulari occurrunt, quibus probari poteſt, urbes, regiones, imo fluvios potius a gentis vel urbis conditore denominari, quam a fluvio, quamvis non ignorem & quaſdam urbes a fluviis dictas eſſe. Praeterea videtur ille auctor praeferendus, qui verba ipſa, quibus ſuam ſententiam probat, adducit, quam ille, qui nullum teſtimonium ſolo nomine contentus profert, quoniam de ejus veritate nil quicquam certi ſtatui poteſt ex argumenti defectu. Virgilius ipſe ſcholiaſten ſuum defendere, & innuere videtur, quem per Oaxem intelligat fluvium, nam diſerte regionis Scythiae, in qua Oxus ſeu Oaxus, mentionem facit. Non ignoro quidem, admiſſa hac ſententia duram fore Virgilii locutionem, ſed malo duram ipſi adſcribere, quae procul omni dubio ſuo tempore plana & perſpicua fuit, quam doctiſſimo poetae contrarium affingere ſenſum. Et ſane, ſi Servii explicationem penitius inſpiciamus, non tam abſurda ac inepta putanda eſt, idem enim, quod ille, teſtantur graviſſimi ſcriptores de Oxo (Oxum & Oaxum ſeu Oaxem euphoniae cauſa in verſu promiſcue dici, patet ex Plinio, citante Cl. Iſſelio & Dukero) *Rapidiſſimum* eſſe hunc fluvium, docet Arrianus L. III. de Exped. Alex. cap. 29. quando ait: Καὶ ῥεῦμα ὀξὺ, ὡς τὰ καταπηγνύμενα πρὸς αὐτῷ τῷ ῥεῖ ἐκφέρεσθαι ἐκ τῆς γῆς ὑπὸ χαλεπῶς. Sabuloſum eſſe, idem ſcriptor tradit, quando eum l. c. vocat ψαμμώδη, & paulo inferius dicit, nihil in illo flumine firmari poſſe propter fundum ſabuloſum; cum itaque ſit rapidiſſimus ejus curſus, & multum ſabuli ſecum vehat, inde turbulentus fit, quod aperte Curtius teſtatur L. VII. cap. 10. *hic* (Oxus) *quia limum*

*vehit*, *turbidus ſemper.* cui & Polybius adſtipulatur L. X. cap. 45. quando eum vocat θολερὸν. Cum itaque hi ſcriptores cum Servio conſentiant, quis ejus hac in re fidei quicquam derogabit? SCHMINCKE.

Diverſas has, nimium etiam prolixas, doctorum virorum commentationes judicio Cl. Heynii terminare lubet, coronidis loco, qui ad Virgilii locum ita: „ Mirantur ſagaciores, cur „ tam obſcuri nominis fluvius h. l. a paſtore nominetur, ne„ que illud ſatis aſſequuntur, quomodo poſt Africam & Scy„ thiam, quum remotiſſimorum finium terra exſpectaretur, „ *Cretae* mentio facta ſit. *Oaxim* itaque jam veteres modo Me„ ſopotamiae modo Scythiae fluvium haberi maluerunt; nulla „ tamen nominis commemorata auctoritate. Fuere, qui *Araxem* „ reponi mallent; & ſane apud Claudianum B. Gild. 31. inter „ *Oaxem* & *Araxem* codices fluctuant. Poſſit etiam confirmatio „ hujus emendationis e Theocrito peti, ut eum noſter ante „ oculos habuerit. Is enim, Hieronis laudes *ultra pontum* „ *Scythicum & Babylonem* ut extendantur, precatur Idyll. „ XVI. 99. 100. . . Verum, vel ſic *rapidus cretae* jungendum, „ qui rapit terram albam, radendo litus h. e. lutulentus. Ve„ rum hoc durum. Excuſemus poetam, quem defendere „ equidem non ſuſcipiam. Sufficit, fluvium hujus nominis „ in inſula Creta eſſe, cujus mentionem hic fieri minus mi„ rabitur, qui, uti *Afros* ſeu *Libyas*, & *Scythas*, ſic inſulas „ ab Italia remotas *Cretam* & *Britanniam* ſibi opponi, obſer„ vet. Forte etiam intercidit poëta aliquis antiquior, quem „ Virgilius ante oculos habuit. O.

## Orontes

v. Lucanus L. III. v. 214. Claudianus in Rufinum L. II. v. 35. Juvenalis Sat. III. v. 62. praeterfluit autem Orontes Caſii montis radices, v. Ammianus Marcellinus L. XIV. c. 8. (in aliis 26.) at conſule Cellarium G. A. L. III c. 12. Dein non *apud* ſed *per* Antiochiam labitur, teſte Martiano Capella L. VI. p. 220. edit. Lugd. Batav. 1599. *Item Syria deſinente*

*inter oppida Phoeniciae Antiochia, quae Oronte amne dividitur. Super eam mons nomine Caſius, cujus altitudo quarta vigilia ſolem per tenebras videt.* A Vibio tamen facit Euſtathius ad Dionyſ. orb. deſcript. verſ. 919. Ὅτι πρὸς ἀνατολὰς τῆς Ἀπαμείας καλασύρεται ὑγρὸς Ὀρόντης, ἄσπελ@, ὃς ἐκ Κοίλης Συρίας ἔχων τὰς ἀρχὰς, καὶ ὑπὸ γῆν ἐνεχθεὶς, εἶτα τὸ ῥεῦμα ἀναδὺς, καὶ διὰ τῆς Ἀπαμέων γῆς προελθὼν εἰς Ἀντιόχειαν, καὶ πλησιάσας τῇ πόλει, μέσην ὁρίζει τὴν Ἀντιοχέων γῆν· οὐχ ὅτι μέσην τέμνει τὴν πόλιν, ὡς τὴν Ταρσὸν ὁ Κύδν@, ἀλλ' ὅτι τὰ ἐκεῖ παραῤῥεῖ, & reliqua. Sic ipſe Dionyſius verſ. 917.

Ἠχί περ Ἀντιόχοιο ἐπώνυμο@ Ἀντιόχεια,
Ἀντάῳ ἐπὶ μέσσῃσιν Ἀπαμείης πτολίεθρον.
Τῆς δὲ πρὸς ἀντολίην καλατύρεται ὑγρὸς Ὀρόντης
Ἄσπελ@, Ἀντιόχοιο μέσην διὰ γαῖαν ὁρίζων.

& Priſcianus perieg. verſ. 859.

*Terrarum mediis Apameae moenia clarae;*
*Ad cujus partes Eoas currit Orontes,*
*Antiochi medius dirimit qui gurgite regna.*

Dionyſii ſcholiaſten adde. Orontes vero dicitur a veteri ſcholiaſte Juvenalis ad l. c. *fluvius in Antiochia civitate* (quod eſt, ac magis Latine quidem, oppido ſive urbe) *per quem Syros* (Juvenalis) *ſignificat*, ut Virgilius, *Et pontem indignatus Araxes.* Denique *apud Antiochiam* forſan Vibio idem eſt ac *in Antiochia.* HESSEL. Oronti fluvio olim nomen *Typhonis* inhaeſiſſe ferunt a gigantis nomine, qui fulmine ad ejus ripas ictus periit. Orontem deinceps a viro cognomine, qui eum ponte ſtraverit, appellatum. In Coele Syria fontes ſuos habuit. v. Strabo L. XVI. 750. Plinius, poſtquam Caſium montem deſcripſit, ſubjicit iſta: *at in ora amnis Orontes, natus inter Libanum & Antilibanum, juxta Heliopolin.* v. L. V. cap. 22. Hic locus forſan, perperam diſtinctis vocibus induxit Vibium, ut in Caſio monte fontes quaereret fluvii, cujus alveus ad iſtum accedebat propius, Antiochiam rigaturus. S. CROIX. Doctrina Vibii de Oronte apud Antiochiam labente conſentanea eſt verbis Strabonis l. c. ubi ſic:

Ῥεῖ δὲ

Ῥεῖ δὲ τῆς πόλεως πλησίον Ὀρόντης ποταμὸς (dixerat autem de Antiochia urbe). οὗτος δ' ἐκ τῆς κοίλης Συρίας τὰς ἀρχὰς ἔχων, εἶθ' ὑπὸ γῆν ἐνεχθεὶς, ἀναδίδωσι πάλιν τὸ ῥεῦμα, ἢ διὰ τῆς Ἀπαμείων εἰς τὴν Ἀντιόχειαν προελθὼν, πλησιάσας τῇ πόλει, πρὸς τὴν θάλατταν καταφέρεται τὴν κατὰ Σελεύκειαν. Seleuciam Pieriam intellige. Quod autem ſcriptorum alii Antiochiam Orontem perlabi, praeterlabi referunt alii, id forſan inde factum, quod ex partibus quatuor urbs laudata conſtituta fuit, teſte Strabone l. c. quae & ſingulae ſuo & omnes communi muro erant circumdatae. Iſtarum aliam praeter-fluxiſſe, aliam rigaſſe Orontem crediderim. *Orientem* quoque dictum & Zephyris ſpirantibus Antiochiam refrigerare, ſcribit Iſidorus Hiſpal. Orig. L. XIII. c. 21. Idem Hegeſippus L. III. Inde *civitatem Orientis* ad oſtia ejus locat Ravennas anonymus L. V. c. 8. Idem L. I. c. 17. fabuloſa affert: *Fluvius Orontis, qui venit de Syria per civitatem Arethuſam, in mare ingreditur, gyrans ipſe orientalem colſum uſque ad Epheſum.* Hodiernum nomen amnis varii varie exprimunt. *Oronz* dici ab accolis & a Perſis *Bein-el-naharaïim* auctor eſt Thevetus. Aliis eſt *Soldino*, *Tarfaro*, *Fer*, *Pir.* v. Ortelius. In tabulis *el Aſi* ſalutatur. Orontes caeterum & mons fuit in Media & populus circa Meſopotamiam. O.

## Padus

v. Eridanus.

## Permeſſos

v. Servius ad Virgilium ecl. VI. v. 64. *Helicon mons eſt Boeotiae, quae & Aonia dicitur: de hoc plurima cadunt flumina, inter quae etiam Permeſſus* &c. HESSEL. Virgilius l. c.

*Tum canit errantem Permeſſi ad flumina* &c.

Strabo L. IX. p. 407. Καὶ ὁ Περμησσὸς δὲ ῥεῖ ὁ Ὁλμειὸς ἐκ τοῦ Ἑλικῶνος συμβάλλοντες ἀλλήλοις, εἰς τὴν Ἀσίδα ἐμπίπτουσι λίμνην τὴν Κωπαΐδα τοῦ Ἀλιάρτου πλησίον. Pauſanias L. IX. c. 29. ῥεῖ δὲ καὶ οὗτος ὁ Τέρμησσος περὶ τὸν Ἑλικῶνα. ubi

videndus Sylburgius. GRONOV. Ex Strabone apud Pauſaniam legere jubet Περμησσὸς Hartungus. Eſtque & Περμησσοῦ mentio apud Statium & alibi paſſim. Nicandro in Theriacis v. 12. Περμησὸς ſalutatur. Sic & apud Martianum Capellam in Aſtronomia eſt *Parmiſſus*. Contra Strabo Piſidiae urbem recenſet *Termeſſum* L. XII. p. 570. cf. Sylburgius ad Pauſaniam. De Permeſſi hodierno nomine non conſtat. O.

## Peneus

v. Callimachus hymn. in Del. v. 105. Catullus epithal. Thet. & Pel. Ovidius Met. L. I. v. 468. If. Tzetzes ad Lycophron. v. 1342. & Schol. ad Callim. l. c. HESSEL.

Bebryces Thraciae populi fuere, incurſionibus celebres, quibus & Europam & Aſiam infeſtarunt, v. Strabo L. XIII. p. 586. facile proinde fieri poteſt, ut in Theſſaliam uſque, a natali ſolo haud multum remotam, victricibus armis penetrarint. S. CROIX. Inter Thraciae populos recenſet Bebryces Strabo L. VII. p. 295. itemque L. XII. p. 541. ubi tamen ſubdubitare videtur. Imo L. XIII. p. c. a Thracibus eoſdem diſtinguit. Myſiam & Bithyniam habitaſſe, paſſim docet Geographus, ſed ſucceſſu temporis facta generis cum Phrygibus permiſtione eſſe abolitos. Interiiſſe hanc gentem cum aliis Aſiaticis nonnullis, ex Eratoſthene Plinius quoque tradit H. N. L. V. c. 30. Unde ergo hauſerit doctrinam ſuam Sequeſter, haud credo facile quemquam oſtenſurum. Ad Peneum Bebryces nemo locat. De caetero, iſti fluvio nunc nomen *Salampria*. Antiquis temporibus *Araxes* quoque dictus fuerat, cujus rei rationem hanc Strabo adfert L. XII. p. 531. καλεῖσθαι Ἀράξην . . διὰ τὸ ἀποῤῥῆξαι (alii ἀπαῤῥάξαι) τὴν Ὄσσαν ἀπὸ τοῦ Ὀλύμπου ῥήξαντα τὰ Τέμπη. Theſſala haec Tempe, deſcripta a Plinio L. IV. c. 8. & Aeliano Var. hiſt. L. III. c. 1. depicta miraberis ad Ubbonis Emmii Graeciam antiquam in Theſ. antiquit. Graec. Gronoviano T. IV. Jucundiſſimam vallem, ortus e Pindo, *intus ſua luce viridante perlabitur Peneus, viridis calculo, amoenus circa ripas gra-*

*mine, carus avium concentu;* quae verba ſunt Plinii. Elidem quoque Peloponneſi urbem ſuus rigabat Peneus, teſte Strabone L. VIII. p. 337. cf. & Ptolemaeus L. III. c. 16. O.

## Phaſis

v. Servius ad Virgil. Georg. L. IV. v. 367. Lucanus L. III. v. 271. Seneca Hippol. v. 903. & Med. v. 451. Apollonius Rhod. L. II. v. 1281. Valerius Flaccus L. V. v. 49. 178. 203. 422 & 441. Sidonius carm. VII. v. 74.

*Amaranto*) Ita legit Dauſquius terr. & aq. cap. 8. p. 176. Quid ſuper fonte perſcriptum ſit Phaſidis, videamus. Apollonius Rhodius L. II. verſ. 401.

Ἔνθα δὲ ἐσ' ἠπείροιο Κυταιὸν, ἠδ' Ἀμαραντῶν
Τηλόθεν ἐξ ὀρέων πεδίοιό τε Κιρκαίοιο
Φᾶσις δινήεις εὐρὺν ῥόον εἰς ἅλα βάλλει.

ſcholiaſtes Apollonii Rhodii; Ἀμαραντῷ δὲ περιεσπωμένως, ὥς φησιν Ἡρωδιανὸς ἐν τῇ καθόλου· ἔστι δὲ Ἀμάραντος πόλις ἐν Πόντῳ· ὡς δὲ αὐτός φησιν, ὄρη τῆς Κολχίδος, ἐξ ὧν ὁ Φᾶσις ποταμὸς καταφέρεται . . . Ἀμαραντὸς δὲ πόλις ἐν Πόντῳ· ἢ ὄρη τῆς Κολχίδος, ὥς φησιν Ἡρωδιανός· ὅθεν καταφέρεται ὁ Φᾶσις, ὅπερ ἀγνοήσας Ἡγήσιππος ὁ Ἐφέσιος Ἀμαραντίδας ἀπέδωκε λιμένας τῷ Φάσιδος. διὰ δὲ τὸ εὐθαλεῖς εἶναι μὴ ἀμαραίνεσθαι· ὅτι δὲ ἀμάραντος ὄρη ἐστὶ Κόλχων, ἱστορεῖ Κτησίας ἐν ϛ· ὁ δὲ Φᾶσις φέρεται μὲν ἀπὸ τῶν Ἀρμενίας ὀρῶν, ὥς φησιν Ἐρατοσθένης· ἐκδίδωσι δὲ εἰς Κόλχους καλὰ θάλασσαν. Idem poëta L. III. verſ. 1217.

- - - - - αἱ δ' ὀλόλυξαν
Νύμφαι ἑλειονόμοι ποταμηίδες, αἳ περὶ κείνην
Φάσιδος εἰαμενὴν Ἀμαραντίδα εἰλίσσονται.

ſcholiaſtes ejuſdem: Ἀμαραντίδι ἔθνος βάρβαρον ὑπὲρ Κόλχων ἐν τῇ ἠπείρῳ· ὅθεν αἱ τοῦ Φάσιδος πηγαὶ ἐξηυρίσκονται· ἢ ὄρος Κολχικὸν καλούμενον Ἀμαραντίδιον, ὅθεν ὁ Φᾶσις καταφέρεται. Dionyſius orb. deſcript. verſ. 691.

- - - - - ἔνθά τε Φᾶσις,
Κιρκαίῃ κατὰ νῶτον ἑλισσόμενος πεδίοιο,
Εὐξείνῳ πολὺ χεῦμα θοὴν ἐπιρεύγεται ἄχνην
Ἀρξάμενος τοπερῶτον ἀπ' ἤρος Ἀρμενίοιο.

ſcholiaſtes Dionyſii: Ὅστις Κάυκασον περὶ τὸν Ὑρκάνιον πόντον τοῖς ὑψηλοῖς ὄρεσιν ἄυξεται. ὅπερ ὁ Φᾶσις· ὅστις κατὰ τὸν νῶτον τῆς Κιρκαίης πεδίας συνρεφόμενος, πρὸς τὸν Εὔξεινον ἄχνην (ἀντὶ τοῦ εἰς τὸν Εὔξεινον τὸ ἀχνώδες ἢ χορτώδες ὕλης) ἐπερεύγεται· ἀπὸ τῆς Ἀρμενίας ὄρους τὸ πρῶτον ἀρξάμενον. Euſtathius enarrator ejuſdem poëtae: Ὅτι τὸ Ἀρμένιον ὄρος, ἀφ' οὗ ῥεῖν ὁ Φᾶσις ἄρχεται, ὁ μὲν τὰ ἐθνικὰ γράψας περὶ τὴν ἀρχὴν τῆς Ὑρκανίας εἶναι οἴεται. Priſcianus perieg. verſ. 675.

*Naſcitur Armenii fluvius qui vertice montis.*

Dionyſii teſtimonio utitur Stephanus Byzantinus in Ἀρμενία, uti jam obſervatum eſſe in notis pag. 233. videri aliquibus poſſet a collegii Reginae ſocio Eduardo Thwaites; qui (quemadmodum didici ex Fabricii biblioth. Graec. L. IV. cap. 2. pag. 27, ejuſdemque biblioth. Lat. L. III. c. 2. pag. 595.) Dionyſii orbis deſcriptionem cum veterum ſcholiis & Euſtathii commentariis, itemque periegeſin Priſciani cum notis Andr. Papii, edidit ἀνώνυμος e theatro Sheldoniano Oxoniae 1697. Berkelius autem explanator Stephani Byzantini pro ἐπερεύγεται legit in Dionyſio ἀπερεύγεται; & Holſtenius adnotat, Euſtathium περὶ τὴν ἀρχὴν τῆς Ὑρκανίας ſcribere pro παρὰ, quod ſcripſit ὁ τὰ ἐθνικὰ γράψας. Sed profiſciſci ad inſtituta pergamus. Strabo L. XI. pag. 498. Διαῤῥεῖ δ' αὐτὴν ὁ Φᾶσις μέγας ποταμὸς, ἐξ Ἀρμενίας τὰς ἀρχὰς ἔχων, δεχόμενον τόν τε Γλαῦκον καὶ τὸν Ἵππον ἐκ τῶν πλησίον ὀρῶν ἐκπίπτοντας. & p. 500. Γεννᾶται δ' ἐκ τῶν ὑπερκειμένων ὀρῶν πολλαῖς συμπληρούμενον πηγαῖς. Chreſtomath. ex Strab. geogr. L. XI. pag. 1273. Ὅτι ὁ Φᾶσις ποταμὸς, ἐξ Ἀρμενίας ὁρμώμενον, δέχεται ποταμοὺς τόν τε Ἵππον καὶ τὸν Γλαῦκον, καὶ ἔξεισιν εἰς τὸν Πόντον, πλησίον ὁμωνύμου πόλεως. Agathemer L. II. c. 1. Φᾶσις δὲ καὶ Θερμώδων καὶ Σάγγαρις εἰς τὸν Πόντον. Οὗτοι δὲ σχεδόν τι περὶ τὰς αὐτὰς τόπους τὰς ἐκβολὰς ἔχουσι ταῖς πηγαῖς. Plinius nat. hiſt. L. VI. cap. 4. *Oritur in Moſchis.* Solinus cap. 15. *Heniochorum montes Araxem, Moſchorum Phaſidem fundunt.* Mela L. I. cap. 21. *Hic ſunt Colchi: hinc Phaſis erumpit.* Quarum omnium ſententiarum ſi fiat ἀνακεφαλαίωσις; apparebit, opinor, Phaſidem non admodum longe ab Euxino mari per

Colchidem emanare ex montibus, ſive Amarantis, ſive Armeniis, (τὸ δὲ Ἀμάρινον ὄρος λέγεται ἢ πληθυντικῶς τὰ Ἀμάρια teſte Euſtathio) ſive Moſchis placet. Tractus ille perquam montuoſus, neque olim penetratus ſatis, facit nimirum, ne magnam habeamus notitiam fontis Phaſiaci. Tamen affert lumen inſuper nonnullum Aethicus pag. 45. *Fluvius Faſſis* (is eſt *Phaſis*) *naſcitur in campis ſub monte Caucaſo, egeritur in mare Ponticum, currit millia* CCCV. & Julius Honorius, quem Jac. Gronovio V. C. debemus, pag. 16. edit. Lugd. Batav. 1696. *Fluvius Faſis naſcitur in campo, egerit in mare Ponticum, currit millia* DCCCV. quem numerum, nec immerito, damnat Relandus noſter diſſert. miſc. I. pag. 10. Ceterum iſti montes confines Ponto, quaſique catenati, modo generaliter definiuntur, modo ſpecialiter; unde ſuboritur nonnumquam aliqua difficultas antiquos ſcriptores inter ſe conciliandi. Ad hoc optime facit Mela L. I. cap. 21. *Hic ſunt Colchi: hinc Phaſis erumpit: hic eodem nomine, quo amnis eſt, ab Atheniſtagora Mileſio deductum oppidum: hic Phryxi templum & lucus, fabula vetere pellis aureae nobilis: hinc orti montes longo ſe jugo, &, donec Rhiphaeis conjungantur, exporrigunt; qui altera parte in Euxinum & Maeotida & Tanaim, altera in Caſpium pelagus obverſi Ceraunii dicuntur. Iidem alicubi Taurici, Moſchi, Amazonici, Caſpii, Coraxici, Caucaſi; ut aliis aliiſve oppoſiti gentibus, ita aliis aliiſque dicti nominibus.* Vibius Sequeſter, ut tandem aliquando veniamus ad eum, de monte Garamante fluere ait Phaſidem. Garamantas, qui ſunt *populi inter Libyam & Africam juxta* κεκαυμένην, teſte Servio ad Virg. Aen. L. VI. verſ. 795, Garamantas, inquam, bene novi; non autem Garamantem montem, ubi Phaſidis caput ſit. Numne auctoritas ſcriptoris noſtri ſufficere debet? Quis ſcit, an contineat is mendum? Tabula Ptolemaea repraeſentat & ponit fontem Phaſidis in Paryadre monte. At manum de tabula. Excutiendus reſtat Orpheus Argonaut. verſ. 747.

Ἐνθάδ' Ἀμάξῃ ῥεῦμα μεγαβρεμέτῳ πίλαμοῖο,
Ἐξ ἧς Θερμώδων, Φᾶσις Τάναϊς τε ῥέουσιν,
Οὖ Κόλχων κλυτὰ φῦλα ἢ Ἠνιόχων ἢ Ἀμαζόνων.

Legendum *Amaranto.* Ita Apollonius Argon. L. II. & Schol. ejus. Ctesias L. II. Amarantes montes in Colchide locat. Stephanus *Phasim Amarantium* dici scribit, quod ex iis montibus defluat. Armenium montem alii dicunt, ut Dionysius & Eustathius. Potest forsan haec posterior opinio commode conciliari cum praecedente. Quid, si catena tota montium Amarantiorum nomine venerit, cujus pars ea, quae Phasin effundit, dicta Armenion? Is Armenion ad Armeniam usque productus censendus est, ex qua proinde Phasin ortum nonnulli tradunt, quos inter Strabo L. II.

*Mess.* GASPAR. BACHET *Sr. de* MEZIRIAC *comment. sur les épitres d'Ovide, à Rotterd. 1722. T. II. p. 94.*

In Lazorum patria fluere Fasin, refert Ravennas anonymus L. II. c. 12. Quo facit & Procopius L. IV. Goth. c. 1. ubi sic: Κόλχους δὲ οἷόν τέ ἐστι μὴ τοὺς Λάζους εἶναι, ἐπεὶ παρὰ Φᾶσιν ποταμὸν ᾤκηνται. Scilicet haec ita sequiori aevo. Contra Scythiae fluvium ψευδὸ Plutarchus vocat, quod latius paullo dictum, ex usu forsan antiquissimorum temporum. Idem id flumen prius *Arcturum* nuncupatum esse pronuntiat, quam Phasis in eo mersi nomine mactaretur, qua in re Eustathium consentientem habet ad Dionysii perieg. ad v. 689. Cui olim *Rheon* dictus sit, quod in tabulas D'Anvillii reperio, non succurrit; interim utrumque nomen hodieque viget; *Fass* enim, fere ut jam apud Aethicum *Fassis*, & *Rhioni* salutatur. Europam ab Asia sejungere olim credidere nonnulli; testis Herodotus L. IV. c. 45. ὑρίσματα αὐτῇ Νεῖλός τε ὁ Αἰγύπτιος ποταμὸς ἐτέθη, καὶ Φάσις ὁ Κόλχος. cf. & Plato in Phaedone. Oppidum Phasis, fluvio cognomine rigatum, hodie *Polistonia* dici asserunt. D'Anvillius ibidem loci locat *Poli.* O.

## Pantagias

v. Servius ad Virgilii Aen. L. III. v. 689. Pantagiae) *Hic fluvius Siciliae, quum plenus flueret, implebat sonitu paene totam Siciliam, unde & Pantagias dictus est, quasi ubique sonans. Hic postea, quum Cereri quaerenti filiam obstreperet,*

*tacere juſſus eſt numinis voluntate.* cf. Silius L. XIV. v. 231. & de la Cerda ad Virg. l. c. HESSEL. Adde Ovidium faſtor. L. IV. v. 471. In ſinum Leontinum influit. Ptolemaeus L. III. c. 4. Catanam inter & Leontinos eodem ſitu poſuit, quo nunc *Giaretta*, antiquorum Symaethus, fluit; Plinius L. III. c. 8. inter Megaridem & Syracuſas refert; utrumque falſum, teſte Cluverio Sic. ant. L. I. c. 11. qui ex Virgilii verbis patere oſtendit, ante Megaricum ſinum Pantagiam flumen occurrere. Arbitratur proinde cum Fazello Dec. I. L. III. c. 3. eum eſſe, qui in ſiniſtro promontorii, vulgo *La Croce* dicti, latere nunc accolis vocetur *Porcaria*: quippe os hujus fluvii utrimque vivo atque praerupto includatur ſaxo, XX ferme cubitos alto. Ut ergo recte quadrent Virgilii verba

- - - *vivo praetervehor oſtia ſaxo*
*Pantagiae.*

Simili modo *ſaxa rotantem* jure dici a Claudiano de raptu Proſerp. L. II. v. 57. &

- - *facilem ſuperari gurgite parvo.*

a Silio l. c. idem docet. Nec dubitat Dorvillius huic cel. viri ſententiae accedere. In Siculis quippe T. I. p. 206. alveum ejus amnis curvum, multis anfractibus & rupibus exeſis & cavernoſis, exſurgere teſtatur, prorſus ut a Virgilio pingitur. Nomen fluminis diverſe ſcribunt. Plurimis eſt *Pantagias*, Plinio *Pantagies*, Ptolemaeo Πάνταχας v. Πάνταχος, Thucydidi Παντάχιας. Etymon ſi quaeras, Servius, quem ſequitur noſter, *quaſi ubique ſonans* vocari aſſerit, quod Cluverius ἀπὸ τῦ πάντα ἄγειν deductum interpretatur, vel potius παντα χῦ παταγίας ſalutatus ab initio dictus ei videtur; nam fragor ſeu ſtrepitus Graece eſt πατάγος. Bochartus ſuo more ad Poenos delabitur. A Syro פתק *jaculari, projicere & cum impetu propellere* derivandum nomen ſtatuit. Nobis jure meritoque utraque opinio lubrica videtur & ſtramineo fundamento innixa. O.

## Pitornius *lege* Pitonius

v. Cluverium Ital. A. L. II. p. 763. HESSEL. Verum fluvii nomen nobis ſervaſſe videtur Lycophron, ubi ſic:

Λίμνης τε Φόρκης Μαρσιωνίδος πολὺ,
Πιτώνιόν τε χεῦμα, τῷ κατὰ χθονὸς
Δύνοντα εἰς ἄφαντα κευθμῶνος βάθη.

Heic λίμνη Φόρκη eſt Fucinus lacus, πιτώνιος eſt noſtri *Pitornius*. Plinius L. XXXI. c. 3. *aquam Marciam, inter reliqua Deum munera Urbi tributam, quondam vocatam eſſe Auſeiam, fontem Pitoniam* refert. Sic enim MS. codices legere, teſtatur Harduinus, qua re proinde ſtabilitur egregie conjectura Cluverii, pro *Piconia* ſuadentis reponendum *Pitonia*. Pergit Plinius: *Oritur in ultimis montibus Pelignorum; tranſit Marſos & Fucinum lacum, Romam non dubie petens. Mox ſpecu merſa, in Tiburtino ſe aperit, VIIII. M. P. fornicibus ſtructis perducta. Primus in urbem ducere auſpicatus eſt Ancus Marcius, unus ex Regibus, poſtea Q. Marcius Rex, in praetura, rurſusque reſtituit M. Agrippa &c.* Patet ex dictis, neceſſum haud eſſe, ut Cluverium ſecuti forſan apud Vibium ſcribendum putemus *Piconius*, ut viſum p. 16. Certiſſimum *Pitonii* nomen. Quod idem recte & Cluverius Plinio reſtituit. ubi L. II. c. 103. inepte legebatur, *in Fucino lacu invectus amnis*. Harduinus h. l. Plinium non nominare voluiſſe amnem arbitratur; Blondus contra eumque ſecutus Leander legit *Juvencus*, ſtatuitque, hoc fluvii nomen fuiſſe. v. Ortelius. Cluverium ſi audias, pones, *in Fucino lacu Pitonius amnis*. O.

## Pactolus

Fabulam inde confinxit Ovidius metam. L. XI. quam Lactantius Placidus brevi complexus eſt fab. 3. *Liber, Thracia digreſſus, quum Tmolum montem Lydiae comitatus Bacchis peteret, Silenus ei aufugit; quem Phryges captum ad Midam regem adduxerunt. Agnitus ab eo exceptus eſt, & Libero ad-*

*venienri redditus. Quod ob beneficium optandi deus veniam ei dedit; ſiquid vellet, a ſe peteret. Ille, ut quaeque contigiſſet, aurum fierent: quod ei inutile fuit. Cui deus petenti, ut reſtitueretur ſibi, fecit. Juſſus enim ad flumen Pactolum perveniret, ibique ſe lavaret, & ſic rediret in priſtinum ſtatum: unde aqua aurei coloris eſſe coepit.* Et Servius ad Virgilii Aen. X, 142. qui autem in eo diſcrepat, quod Sileno tribuit quod Bacchi eſt: ſic enim Ovidius v. 97. ſq. Ceterum Pactoli flumen auriferum omnes fere uno ore praedicant poëtae, ex quorum enarratoribus antiquis videſis Euſtathium ad Dionyſ. orb. deſcr. v. 830. cf. & Tzetzes ad Lycophr. & ſcholiaſtae ad Horat. Epod. L. od. 15. v. 19. Poëtarum loca, praeter jam citata, ſunt iſta. apud Lycophronem v. 1352. Nonnum Dionyſ. L. X. p. 276. & paſſim. Priſcianum perieg. v. 791. Tibullum L. III. eleg. III. v. 29. Seneçam Oedip. v. 467 & Theb. v. 602. Juvenalem Sat. XIV. v. 298. HESSEL.

Nihil notius. Interim non aurum modo traliit, ſed & lapidem auro commixtum, cui, ſi Dis ita placeat, arcae nummariae tuto committi poterat cura; teſtis Plutarchus in Pactolo, apud quem legendum Γεννᾶται δ' ἐν αὐτῷ καὶ λίθος ἀργυροφύλαξ pro ἀργυραφύλαξ, quo nihil ineptius. J. C. DE PAW.

Is fluvius ſuo jure dictus Χρυσορρόας, paleas quippe auri vel aureas arenas ex aurifero monte Tmolo, ex quo prodibat, ſecum ferre ſuevit. v. docta commentatio Barthelemii in hiſt. de l'Acad. Royale des Inſcript. Tom. XXI. p. 19 ſq. s. CROIX.

Mihi veroſimilis non minus videtur, in Plutarchi loco a Pavone allato, Th. Reineſii conjectura in Var. Lect. III. 14. p. 557, qui ἀυροφύλαξ emendat & docet, antiquis Graecis ἀυρὸς aurum notaſſe praecipue, quia ait Plutarchus, διαφυλάττεσι τὸν Χρυσὸν & quia Pactolus aurum vehebat. Sed quum Plutarchus mox ſubjungat: ὀσάκις ἄνω φῶρες ἐπέλθωσιν, σάλπιγγον ἦχον ἀποδίδωσιν ὁ λίθος· οἱ δὲ ὡς ὑπὸ δορυφόρων διωκόμενοι, καὶ ἃ κρημνῶν φέρονται, καλεῖται ὁ τόπος τῶν βιαιοθανατησάντων Πακτωλὸς φρυά, forte videbitur commode poſſe legi ἀργοφύλαξ, forma τῶ ἀργοπόνου, vel retineri ἀργυραφύλαξ forma ὑδραφόρος, ut lapis hic vocetur cuſtos agri, cam-

pi circa Pactolum. Verba tamen ſuperiora magis innuunt, auri cuſtodem fuiſſe vocatum.

D'ORVILLE *in critica vannu* p. 220.

Fluviorum auriferorum ſeriem ſi quis videre cupiat, adire poterit Franc. Lud. Treitlingeri eruditam commentationem de Aurilegio praecipue in Rheno, quae prodiit Argentorati a. 1776. forma 4ta. Pactoli autem, & iſtud & alterum χρυσορρόᾳ nomen merſis in ipſo deberi ſuo more refert Plutarchus. Aurum, quod in eo gignitur, Daricum dicit idem, flumenque εἰς τὸν εὐδαίμονα κόλπον delabi adjicit. Felicem ſinum itidem ex auro, quod excipit, appellatum ſuſpicatur Ortelius, nomenque ſuum cum inſulis, eo tractu ſparſis, quae & ipſae fortunatae dicantur, communicare. Curſum amnis Herodotus ita deſcribit L. V. c. 105. τὸν Πακτωλὸν, ὃς σφι ψῆγμα χρυσοῦ καταφορέων ἐκ τοῦ Τμώλου, διὰ μέσης τῆς ἀγορῆς ῥέει, ἧι ἐπείγει ἐς τὸν Ἕρμον ποταμὸν ἐκδιδοῖ, ὁ δὲ ἐς θάλασσαν. Quibus addit iſta Strabo L. XIII. p. 625. ῥεῖ δ' ὁ Πακτωλὸς ἀπὸ τοῦ Τμώλου, καταφέρων τὸ παλαιὸν χρυσοῦ ψῆγμα πολύ, ἀφ' οὗ τὸν Κροῖσου λεγόμενον πλοῦτον, καὶ τῶν προγόνων αὐτοῦ διονομασθῆναι φασί· νῦν δ' ἐκλέλοιπε τὸ ψῆγμα. O.

## Phacelinus

*Phaſcelinus* vel *Phacelinus* legit Cellarius, quem conſulere debes G. A. L. II. c. 12. HESSEL. Prius ſcilicet legebatur *Phaetelinus*, quod nomen & Lexico ſuo ſic inſeruit Ortelius, qui tamen, eo ductus, quod apud Boccacium eſt *Faecelinus*, quodque *Dianam Facelinam* hoc tractu memorant veteres, primus ſuſpicatus eſt, legendum *Facelinus*. Hoc fluvii nomen e Graeco auctore petiiſſe Vibium, arbitratur Cluverius Sic. ant. L. II. c. 5. apud quem fuerit Φακέλινος ποταμός. Neque dubitat, quin *Melas*, quem Ovidius Romano more *Melam* dicit faſtor. L. IV. v. 476. idem ſit cum Phacelino noſtro. Alias quoque *Mylas* ſalutatus fuiſſe videtur Fazello, qui ſcilicet id inde colligit, quod Mylas

oppidum, Appiano Bell. civ. L. V. c. & Straboni L. VI. p. 266. Ptolemaeo L. III. c. 4. aliiſque memoratum, rigabat is fluvius. Digna ſunt Fazelli verba Decad. I. L. IX. c. 8. quae heic legantur. Ita ille: „ Ulterius *Mylae* fluvii, „ *Nuciti* hodie nominati oſtium patet, qui ab aquarum ni„ gredine, id enim Melas ſignificat, quam adhuc habet, „ id ſibi nomen contraxit, cui nigrae etiam hodie arenae „ conveniunt. „ Sic ille Melam Mylamque promiſcue dictum arbitratur; qua de re ſubdubitare licet. Diana, cujus templum prope Mylas erat, quaeque Facelino flumini nomen ſuppeditaſſe videtur; *Facelina* Lucilio in tertio Satyrarum dicta eſt, quem locum excitat Pomponius Sabinus ad Virgilium L. II. Aeneid. v. 115. his verbis

*- - - Et, ſaepe quod ante*
*Optaſti, freta Meſſanae & Rhegina videbis*
*Moenia; tum Liparam & Facelinae templa Dianae.*

Adjicit autem Sabinus, vel extrito *s* pronuntiare Lucilium pro *Faſcelina*, vel, ut alii volunt, *Facelitem* a facibus dictam. Servius ad eundem Virgilii locum ſimulacrum Dictynnae Dianae ab Oreſte, occiſo Thoante, ſublatum & abſconditum eſſe *faſce* lignorum refert, unde & *Diana Faſcelitis* dicatur, non tantum a *face*, cum qua pingitur, propter quod & Lucifera dicatur. Cluverio judice, *faſcelitis* vel *faſcelinae* vox a grammaticis ita conficta eſt, fabulam de Oreſte atque Iphigenia explicantibus & ex Latino *faſces* etymon petentibus, quod rectius e Graeco φάκελος, quod faſcem lignorum itemque haud raro *facem* denotat apud veteres, & Germanico *Fackel* apte reſpondet, deducendum erat. Rejiciendum proinde *Faſcelinae* vocabulum, quod legebatur apud Silium Ital. L. XIV. v. 260. maxime quum & Colonienſis codex ibi habeat *Facelina*. Heic autem corripitur penultima vocis, quae apud Lucilium producebatur. Ita enim Silius:

*Mille Thoanteae ſedes Facelina Divae.*

Pelorum, quod reſtat, promontorium hodie *il faro di Meſſina*, Mylae nunc *Milazzo*, Facelinus fluvius vel Melas *Nuciti*. O.

## Piſaurus

Lucani locus extat L. II. v. 405.

*In laevum cecidere latus, veloxque Metaurus,*
*Cruſtumiumque rapax, & junctus Iſapis Iſauro.*

ſive, ut Hugo Grotius legit,

*& junctо Sapis Iſauro.*

ſive, ut alii legunt,

*& junctus Sapis Iſauro.*

Catullus carm. 82. v. 3. ita:

*Praeterquam ille tuus moribunda a ſede Piſauri*
*Hoſpes inaurata pallidior ſtatua.*

quem ad locum Iſ. Voſſius pag. 308. ed. L. B. 1691. diſputat de hoc Vibii loco. HESSEL. Piſaurum, Umbriae oppidum, Ravennas anonymus L. IV. c. 31. *Peſaurum*, L. V. c. 1. *Peſaro* nominat, atque ſic hodieque accentu in primam retracto ſyllabam *Peſaro* nuncupatur. Cognominem habuiſſe fluvium, ex Plinio L. III. c. 14. videtur pateſcere, ubi *Piſaurum cum amne*. Aggenus quoque de controverſiis agrorum *in Italia Piſauro flumini*, inquit, *latitudo eſt adſignata eatenus*, quouſque adluebat. Metri cauſſa *Iſaurum* dixiſſe Lucanum arbitratur Cluverius It. ant. L. II. c. 5. Verum, ſi Sapis Lucani eſt *Rio di Ceſena* ſive *Savio*, quod Baccio de vinis Italiae L. V. aliiſque & D'Anvillio placet, nimis remotus erit ab Iſauro, quam ut huic jungi a Lucano dici potuerit. Piſaurus hodie *Foglia* nomen habet. O.

## Phoenix

A Sequeſtre longe diſſentit Herodotus, qui L. VII. c. 200. Phoenicem in Aſopum incidere refert. En locum: Ἔστι δὲ ἄλλος Φοίνιξ ποταμὸς ὑ μίγας πρὸς μεσαμβρίην τῆ Ἀσωπῆ· ὃς ἐκ τῶν ὀρέων τῶν αὐτῶν ῥέων ἐς τὸν Ἀσωπὸν ἐκδιδοῖ. καλὰ δὲ τὸν Φοίνικα ποταμὸν στεινόταπον ἐστὶ· ἀμαξιτὸς γὰρ μίη μούνη διέρχεται. ἀπὸ δὲ τῆ Φοίνικος ποταμῆ πενταικαίδεκα σταδιά ἐστι ἐς Θερμοπύλας· ἐν δὲ τῷ μεταξὺ Φοίνικος ποταμῆ τε καὶ Θερμοπυλέων κώμη τέ ἐστι, τῇ οὔνομα Ἀνθήλη κεῖται, παρ' ἣν δὴ παραῤῥέων ὁ Ἀσωπὸς

ἐς θάλασσαν ἐκδιδοῖ, ᾗ χῶρος περὶ αὐτὴν εὐρύς. ab eoque, uti Caſaubonus obſervat, paullum diſſentit Strabo L. IX. p. 428. Πρὸς δὲ μεσημβρίαν τῆς Τραχῖνος φησὶν Ἡρόδοτος εἶναι βαθεῖαν διασφάγα, δ' ἧς Ἀσωπὸς, ὁμώνυμος τοῖς εἰρημένοις Ἀσωποῖς, εἰς τὴν θάλασσαν ἐκπίπτει τὴν ἐπὶ τὰς πυλῶν. παραλαβὼν δὲ τὸν Φοίνικα ἐκ τῆς μεσημβρίας συμβάντα αὐτῷ, ὁμώνυμον τῷ ἥρωϊ, ὃν καὶ τάφος πλησίον δείκνυται· σάδιοι δ' εἰσὶν ἐπὶ Θερμοπύλας ἀπὸ Ἀσωποῦ πενταικαίδεκα. Ceterum poſt *Pachiſos* in edit. Florent. ponitur *Phoenix Theſſaliae fluvius eſt.* HESSEL. Vocem *Phoenix* eſſe bonae notae, etſi alii ſubſtituant *Phocias*, patet ex articulo *Apidanus*. RELAND. Pro *Epidano* rectius leges *Apidanum*, nil tamen mutandum puto, ſynonyma cenſuit eſſe Vibius. Falſa tradere, ex iis quae ſupra ad *Melanem* dicta ſunt, patet. Phoenix in Aſopum incidit prope vicum Anthelam. Nomen Phoenici debet heroi, cujus ſepulcrum ibi oſtenſum, auctor eſt Strabo l. c. Aegienſem praeterea agrum Achaiae rigabat Phoenix, laudatus Pauſaniae Achaïc. c. 23. Quae urbes, regiones, quique montes & portus eodem gaviſi ſint nomine, docebit Ortelius. Plurimos dedit Ptolemaeus. O.

## Pachynos

Videamus, quomodo Sex. Pompeii interitum tradiderint memoriae ſcriptores & Graeci & Latini. Sic igitur Strabo L. III. pag. 141. Ὁ δ' ἀδελφὸς αὐτῷ Σέξτος ἐκ Κορδύβης σωθεὶς, ᾗ μικρὸν ἐν τοῖς Ἴβηρσι πολεμήσας χρόνον, ὕστερον Σικελίαν ἀπέστησεν· εἶτ' ἐκπεσὼν ἐνθένδε εἰς τὴν Ἀσίαν, ἁλοὺς ὑπὸ τῶν Ἀντωνίου στρατηγῶν, ἐν Μιλήτῳ καθέστρεψε τὸν βίον. & Chreſtomath. ex Strab. geogr. L. III. pag. 1216. Σέξτος δὲ ἐκ Κορδύβης σωθείς, ᾗ ὀλίγον ὕστερον Σικελίᾳ προσχὼν, ᾗ ἀποστήσας αὐτὴν, εἶτα ᾗ ἐξ αὐτῆς ἐκπεσὼν, πλεύσας εἰς Μίλητον, ᾗ ἁλοὺς ὑπὸ τῶν Ἀντωνίου στρατηγῶν, αὐτῷ κἀκεῖνος ἐτελεύτασεν. Appianus Alexandrinus de bell. civil. L. V. pag. 1188. edit. Amſtel. 1670. Τίτιος δὲ τὸν μὲν στρατὸν αὐτῷ μετεστράτευσεν Ἀντωνίῳ· αὐτὸν δὲ τὸν Πομπηΐου τεσσαρακοστὸν ἔτος βιοῦντα ἐν Μιλήτῳ κατέκανεν, εἴτε δι' αὐτῷ, μηνίων ἄρα τῆς ποτὲ ὕβρεως, ᾗ ἀχάρι-

φος ἐς τὴν ἔπειτα ἐνεργεσίαν γενόμενος, εἴτε καὶ ἐπιξειλασάμενος Ἀντωνίῳ. Ex quibus locis diſcimus, interiiſſe Mileti alterum Pompejum juniorem. Ceteri ſcriptores loquuntur Aſiam, ut Vellejus Paterculus L. II. cap. 79. *Explicatis quippe utriuſque partis claſſibus, paene omnibus exutus navibus Pompejus Aſiam fuga petivit; juſſuque M. Antonii, cujus opem petierat, dum inter ducem & ſupplicem tumultuatur, & nunc dignitatem retinet, nunc vitam precatur, a Titio jugulatus eſt.* Florus L. IV. cap. 8. *Perditis enim rebus profugit; Aſiamque velis petit, venturus ibi in manus hoſtium & catenas, &, quod miſerrimum eſt fortibus viris, ad hoſtium arbitrium ſub percuſſore moriturus.* Aurelius Victor de vir. illuſtr. cap. 84. *Rupto per eundem Antonium foedere, Sextus ab Auguſto* (*eundem Pompejum foedere, ab Auguſto* ſuſpicatur legendum eſſe Andr. Schottus, libente Anna Tanaq. Fabri filia litteratiſſima) *per Agrippam navali proelio victus in Aſiam fugit, ubi ab Antonianis militibus occiſus eſt.* ibi notabis haec verba *ab Antonianis militibus:* per quae (ut eam in tranſcurſu, quamvis cum Caſaubono faciens, attingam rem) ſtat, quo minus reprobentur illa Strabonis verba ſuperiora L. III, ſicut exhibita nonnumquam fuerunt; ὑπὸ τῶν Ἀνωνίᾳ στρατιωτῶν pro ὑπὸ τῶν Ἀντωνίᾳ στρατηγῶν. Age vero, Eutropius L. IV. cap. 3. *Interim Pompejus pacem rupit, & navali proelio victus, fugiens ad Aſiam, interfectus eſt.* Quod liberius vertit Paeanius hunc in modum; Οὐ μὴν ἔμεινεν ἐπὶ τῶν σπονδῶν ὁ Πομπήϊος· ἀλλὰ κατὰ θάλασσαν ἐπελθὼν ἡττήθη τῇ ναυμαχίᾳ καὶ ἀνῃρέθη. Unus, quod ſciam, Dio Caſſius Midaii facit mentionem: ita enim ille L. XLIX. pag. 403. edit. Hanov. 1606. Καὶ αὐτὸν ἐπιδιώξαντες ὅ τε Τίτιος καὶ ὁ Φύρνιος ἔν τε Μιδαείῳ τῆς Φρυγίας κατέλαβον, καὶ περιχόντες ἐζώγρησαν· μαθὼν δὲ τοῦτο ὁ Ἀντώνιος εὐθὺς μὲν ὑπ' ὀργῆς ἐπέστειλε σφίσιν, ἵνα ἀποθάνῃ. & reliqua. Sed Voſſius ad Velleji locum Dioni fidem derogat, accredens Straboni aequali fere Sex. Pompejo. Porro autem, ut a Vibio Pompejorum fratrum alter dicitur juvenis, ita eodem nuncupatur nomine a Floro dict. loc. *Tanta mole belli penitus* (Graevius legit *petitus*, id eſt, infe-

ſtatus) *in Siculo freto juvenis oppreſſus eſt.* Quin immo Pompeji vocantur ambo juvenes ab eodem Floro ibid. *Alter juvenum in Hiſpania occiderat, alter fuga evaſerat.* Quid jam de noſtro dicam auctore? Fortaſſis eum haud bene peritum hiſtoriae Geographiaeque induxit in errorem Lucanus L. VII. verſ. 871.

*Heſperiae clades, & flebilis unda Pachyni,*
*Et Mutina, & Leucas puros fecere Philippos.*

ubi Lamb. Hortenſius hoc adnotat; *Cum Sextus Pompejus totum Siciliae litus inter Mylas & Tyndaridem armis teneret, Octavius Agrippae negotium dedit eo trajiciendi cum parte copiarum. Ceterum poſt varia proelia terra marique Pompejus victus Siciliam deſeruit, octo & XX ſuppreſſis navibus, captis ceteris aut incenſis.* & paullo inferius; *Undam ſtabilem Pachyni fretum Siculum dicit, ubi dimicatum navali proelio, & Sex. victus fuit.* nec non Joann. Sulpicius illud; *Pachyni Montis in Sicilia, apud quem Auguſtus & M. Agrippa Sextum Pompeji filium navali proelio ſuperavit.* Minus accurate loquitur interpres uterque: attamen rei geſtae veritas ſic ſatis elucet inde. Itaque pro *Pachiſos* legendum videretur *Pachynos* in Sequeſtre. Tu vero, mi lector,

*ſiquid noviſti rectius iſtis,*
*Candidus imperti; ſi non, his utere mecum.*

HESSEL.

Pachynum pro fluvio circa Pachynum promontorium, hodie *Capo Paſſaro* vel *Paſſalo*, quod *caput paſſeris* interpretatur Maurolycus, agnoſcit Aretius, teſte Ortelio. O.

## Rhenus

Rheni curſum ita deſcribit Caeſar L. IV. c. 10. *Rhenus oritur ex Lepontiis, qui Alpes incolunt & longo ſpatio per fines Nantuatium, Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricorum, Triboccorum, Trevirorum citatus fertur; &, ubi Oceano adpropinquavit, in plures diffluit partes, multis ingentibuſque inſulis effectis, quarum pars magna a feris barbariſque natio-*

*nibus incolitur - - - multiſque capitibus in Oceanum influit.* Quid ſibi heic multa capita velint, quibus in Oceanum ininfluere Rhenum Caeſar ſcribit, quum tamen alii ſcriptores bicornem fluvium dicant & bifido meatu diviſum eſſe, alii tria Rheno oſtia adſignent, exponit Cellarius L. II. c. 3. Quod autem Vibius Germaniae potiſſimum vindicet amnem, hoc ab eo maxime tempore valuit, quo Cisrhenanae Germaniae nomen ortum eſt. Nam antea & Germaniae & Galliae recte poterat dici Rhenus, quas inter decurrebat medius. In Italia quoque Rhenus eſt, parvus dictus, cui & in vernacula nomen eſt *Reno*. In eo triumvirorum inſula fuit prope Bononiam, quae hinc Silio Ital. L. VIII. v. 601. ſalutatur *parvi Bononia Rheni*. O.

## Rubicon

v. Lucanus L. I. v. 213. ubi ſic:

*Fonte cadit modico, parviſque impellitur undis*
*Puniceus Rubicon, cum fervida canduit aeſtas:*
*Perque imas ſerpit valles, & Gallica certus*
*Limes ab Auſoniis diſterminat arva colonis.*

HESSEL.

Citerioris Galliae & Italiae terminus is amnis erat, quem cum exercitu tranſiſſe nefas. Unde *Caeſar* apud Suetonium c. 32. *conſecutus cohortes ad Rubiconem flumen - - paullum conſtitit, ac reputans, quantum moliretur, converſus ad proximos; etiam nunc, inquit, regredi poſſumus, quod ſi ponticulum tranſierimus, omnia armis agenda erunt.* Ponticulum quum dicit, indicat ſane, haud magnum junxiſſe fluvium. Qui quidem cuinam hodie reſpondeat fluvio, non convenit inter eruditos. Scilicet defluit ad dextrum latus Arimini in Adriaticum mare *Apruſa* vel *Apeſa* flumen, ad ſiniſtram Ariminus olim, nunc *Maricula* dictus. Prope Caeſenam a laeva deproperat in ſinum eundem Hadriae Iſapis. Iſapim inter atque Ariminum amnes, propior huic *Luſus*, iſti propior *Piſſatellus* decurrit, in quem tres incidunt rivuli, quorum primus *Matalardus*,

*talardus*, medius *Argoſſae* nomen habet, ultimus haud procul oſtio Piſſatelli *Amniculus Sabiniani* audit. Haec ita in tabula ampliori depicta ſiſtuntur, quam Rubiconi ſuo Jacobus Villanus, cujus mox mentio fiet, adjecit. Equidem apud alios, & in his apud D'Anvillium, Ariminum ſive Mariculam *Marechia* & Piſſatellum *Fiumicino* nuncupatum reperio, quod & ipſum amniculi Sabiniani nomen eſt.

Ex iſtis duo ſunt flumina, in quibus cardo litis vertitur; *Luſo*, pro quo Ariminenſes & *Piſciatello*, pro quo Caeſenates, utraque pars, tanquam pro aris & focis, acrius quam par erat, & conviciis magis quam rationibus pugnarunt, quod judicium eſt Petri Mariae Kavinae in Faventia rediviva.

Quibus quidem placet, amnem *Luſum* pro antiquo Rubicone accipere, illi ad Strabonis ſtatim verba provocant, qui L. V. p. 227. ſatis vage quidem ὁ Ῥουβίκων μεθόριος Ἀριμίνου καὶ Ῥαουέννης ait, aſt p. 217. ita habet: Φαουεντία δὲ καὶ Καισήνα πρὸς τῷ Ἰσάρει ποταμῷ καὶ τῷ Ῥουβίκωνι ἤδη συνάπτουσι τῷ Ἀριμίνῳ. Verum his ipſis ſibi potius & Piſciatello amni favere Caeſenatium patroni arbitrantur Geographum. Similis eſt controverſia de Plinii loco, utrinque allegari ſolito L. III. c. 15. *In ora fluvius Cruſtumium, Ariminum colonia cum amnibus Arimino & Apruſa. Fluvius hinc Rubico, quondam finis Italiae. Ab eo Sapis* &c. Heic qui Arimini partes ſequuntur, Apruſam hodie *Auſam*, Rubiconem *Luſum* eſſe contendunt; qui Caeſenatium cauſſam defendunt, Apruſam *Luſum* Rubiconem *Piſciatello* ſtatuunt. Vibius noſter, Arimino propius defluere Rubiconem dum tradit, Ariminenſi Luſo favere creditur; verum Piſciatelli patrocinium qui ſuſcipiunt, Sequeſtrem modo oſtium reſpexiſſe reſpondent, cujus intuitu potuerit laxiori ſenſu juxta Ariminum dicere Rubiconem.

Cui doctorum virorum auctoritas non eſt pro nihilo, ille plures pro Piſciatello quam pro Luſo ſtetiſſe deprehendet. Eo pertinent Boccacius in articulo de Rubicone, Blondus in Italia illuſtrata, qui Rubiconem nunc *Piſatellum* ab accolis quoque *Ruconem* vocari tradit, atque marmoream tabu-

lam in ſententiae ſuae praeſidium affert, quae hodieque ad eum fluvium in publica via duobus paſſuum millibus a Caeſena poſita cernitur atque ſic ſonat:

JVSSV. MANDATVVE. P. R. COS
IMP. MILI. TYRO. COMILITO.
MANIPVLARIVE. CENT. TVR
MAEVE. LEGIONARIVE. ARMAT
QVISQVIS ES. HIC. SISTITO. VE
XILLVM. SINITO. NEC. CITRA
HVNC. AMNEM. RVBICONEM
SIGNA. ARMA. DVCTVM. CO
MEATVM. EXERCITVMVE. TR
ADVCITO. SI. QVIS. HVJVSCE
JVSSIONIS. ERGO. ADVERSVS
IERIT. FECERITVE. ADJVDICAT
VS. ESTO. HOSTIS. P. C. AC. SI. CO
NTRA. PATRIAM. ARMA. TVLER
IT. SACROS. Q. PENATES. E. PEN
ETRALIBVS. ASPORTAVERIT. SA
NCTIO. PLEBISCITI. SENATVS
VE. CONSVLTI. VLTRA. HOS. FI
NES. ARMA. PROFERRE. LICEAT
NEMINI
S. P. Q. R.

Porro Leander Albertus Bononienſis itidem in deſcriptione Italiae, quem tamen aeque ac Blondum in definiendis hujus tractus fluviis male verſatum oſtendit Cluverius in Ital. ant. l. l. c. 28. Dein Nicol. Perottus epiſcopus Sipontinus in cornu copiae, voce *Occido*, ubi Caeſenae agrum Sapi ac Rubicone diviſum eſſe commemorat. Andreas Baccius quoque in verſione Appiani nunc *Piſſatello* vocari Rubiconem docet. Joh. Ant. Maginus tandem in topographia Romandiolae habet: *Piſſatello o Rubicone.* Ut nunc alios mittam, data opera Scipio Claramontius, Caeſenas, in hiſtoria patriae urbis, quae Caeſenae a. 1641. 4. prodiit in lucem, atque recuſa in theſ. antiq. Ital. T. VII. legitur, multis argu-

mentis, ex priſcis auctoribus atque ex conſenſu recentiorum petitis, contra quendam Clementinum, qui pro Luſo ſcripſerat, oſtendere nititur, nullo modo dubitandum, quin *Piſciatello* fuerit Rubicon. Atque inter alia ex Friderici II. Imp diplomate, a. 1165. dato & ex Uberti vice-Comitis, qui Caeſenates inter ac Ariminenſes in controverſia de finibus arbiter ſederat, judicio pateſcere contendit, ipſos Ariminenſes ſaeculo XII. Piſſatellum pro Rubicone agnoviſſe.

Non ferendam hanc injuriam ratus Jacobus Villanus, Ariminenſis, eodem anno 1641 Arimini, itidem in quarta forma Ariminenſem ſuum Rubiconem edidit, theſauro quoque antiq. Ital. inſertum, in quo fluvium per proſopopoeiam introducit aſſerentem ſe Ariminii eſſe non Caeſenae, atque argumenta Scipionis Claramontii refellentem. Is ergo & loca veterum ſibi favere perhibet, & noſtra potiſſimum Vibii verba urget, & marmoream tabulam paulo ante expreſſam ridet, eamque vel a Blondo effictam vel poſitam, ab Auguſtino Tarraconenſi, Grutero, Cluverio, aliis certatim exploſam tradit; ex ſtatutis etiam Caeſenatum conatur oſtendere, Piſſatellum non fluvium ſed rivum eſſe, qui emendicatis ſaepe aquis fluat & invitis. Movere iſta a Villano, aeque ac ſimilia a Raph. Adimaro de ſitu Arimini, propoſita Harduinum, ut ad Plinii locum *Luſum* priſcum eſſe Rubiconem aſſereret.

Biennio poſt, a. 1643. ne Caeſenatum cauſſam derelictam daret ac deſperatam, Vincentius ipſe Caeſenas iterum de Rubicone antiquo adverſus Ariminenſes ſcriptores diſputare aggreſſus eſt. Et iſtud opus in theſ. antiq. Ital. T. laud. occurrit. Claromontii hic veſtigia legit, ejuſque placita adverſus nuperum quendam Ariminenſem hypodidaſcalum, qui forſan ipſi Villanus eſt, defendit, neque conviciis parcit ſtrenuus bellator.

In eodem theſauri volumine porro & P. M. Kavinae opus extat, cui is Faventiae redivivae titulum fecerat, quodque Faventiae forma 4ta anno 1670 adſpexerat lucem. Hic Ariminenſium rurſus patrocinium ſuſcipiendum ratus, Vibii

teſtimonium clariſſimum eſſe pronuntiat, atque ex itinere Caeſaris, quem Suetonius, Appianus aliique *ſub lucem* (primam) ad Rubiconem & *paullo ante diem* vel *circa ſolis ortum* perveniſſe Ariminum teſtantur, meridiana luce clarius patere ait, propinquum Arimino Rubiconem extitiſſe. Neque iter illud prorſus ſex milliarium fuiſſe, calculo inſtituto declarat, quae proinde diſtantia locorum ad ſpatium, quod Rubicone ad urbem Ariminum intercedit, probe quadret.

Quibus ſcriptis utrimque ea lis inde ab a. 1670 continuata ſit, non ſuccurrit. Nuper tamen R. P. Angelus Calogiera, Camaldulenſis ordinis monachus, faſciculos opuſculorum, ut Italice effert, ſcientificorum & philologicorum edidit, quorum parte quinquageſima eademque ultima, edita Arimini a. 1756, duas recenſet epiſtolas, ad eandem controverſiam pertinentes. Iſtis Joh. Blancus, vulgo Bianchi, Gabr. Mar. Guaſtuzzium denuo pro *Luſo*, contra R. Patrem Joh. Angelum Serram pro *Piſciatello* contendere docet.

Miſſis Italis, Cluverium tandem audire lubet, qui ante Scipionem Claramontium ſcripſit, & in Ital. ant. l. c. Rubiconem non tam ipſum Piſatellum, quam potius illum, in quem Piſatellus incidit, cuique *Rugone* vel *Rigone* vel etiam *Urgone* vulgare nomen eſt, ex antiquo *Rubiconis* reſiduum, eſſe ſtatuit. Eſt autem idem, quem ſupra *Argoſſam* ſalutari ſcripſimus. Dein Rubiconis oſtium ab alio, quem itidem paullo inferius recipit, Sabiniani ſcilicet amniculo, *fiume di Savignano* vocari addit. Litem egregie conficere poſſet Theodoſiana tabula, ſiquidem locorum diſtantia curatius foret expreſſa. Neque Ptolemaeus quicquam heic efficit, quippe apud quem Rubiconis oſtia inter Ravennam & Ariminum indicantur. O.

## Rutuba

Ejus meminit Lucanus L. II. v. 421.

*Dexteriora petens montis declivia Tibrim*
*Unda facit, Rutubamque cavam.*

cf. Cellarius G. A. L. II. v. 421. HESSEL. Maritimae

Liguriae oppidum fuit Albium Intemelium, poſt Albintemelium ſalutatum, quod ab accolis *Vintimiglia* nunc vocari conſuevit. Ad orientale ejus latus defluit Rutuba flumen, quod Plinius male ad ſiniſtram Intemelii locat L. III. c. 5. *flumen Rutuba, oppidum Albium Intemelium, flumen Merula* &c. Hic Rutuba Plinii vulgo nunc *la Rotta* & corrupte *Rodoria* id eſt *Rotta rio* ſalutatur. Eundem eſſe cum eo, cujus meminit Lucanus, in Ital. ant. L. I. c. 8. putat Cluverius, quod tamen vix concedi poteſt, videtur enim Lucano ſermo eſſe de fluvio in media Italia ex Apennino defluente. Itaque & Ortelius & Cellarius diverſos eſſe fluvios ſuſpicantur. Quod in Tiberim incidere hunc Rutubam Vibius dicat, vix enim dubito, quin ita ſcripſerit, adeoque conjecturae Simleri receptae poenitet, id facile video, ex verbis Lucani, quae perperam more ſuo intellexit noſter, eſſe exortum. Caeterum Rutubae hujus altum ubique ſilentium. O.

## Rhodanus

Silius L. III. v. 447.

*Spumanti Rhodanus, proſcindens gurgite campos,*
*Ac propere in pontum lato ruit incitus alveo.*
*Auget opes ſtanti ſimilis, tacitoque liquore*
*Mixtus Arar, quem gurgitibus complexus anhelis*
*Cunctantem immerſit pelago, raptumque per arva*
*Ferre vetat patrium vicina ad littora nomen.*

cf. & Claudianus in Rufin. L. II. v. 111. Auſonius clar. urb. carm. 8. & Moſell. v. 4-9.

*Tyrrheno*) Proprie Gallico ſinui maris mediterranei. HESSEL.

Ex quo primum Phocenſes in Galliam adventarunt, Graecorum coloniis maritima ejus regio & ad auſtrum poſita frequentata fuit. Bona pars quoque verborum Graecorum in vernacula Provinciae lingua ſuperſtes deprehenditur, neque dubium eſt, quin Rhodani nomen debeatur Graecis. Homerus, ubi valde rapidum fluvium deſcribit, ... ῥοδανὸν dicit Iliad. XVIII. v. 576. In quo loco ſic conſtituendo etiamſi

non convenerit priſcis Grammaticis, ſiquidem Zenodotus ῥαδαλὸν, Ariſtarchus ῥαδηλὸν legit, v. Etymol. magn. pag. 701. ed. Sylb. & Euſtathius in v. citatos, ipſe tamen Euſtathius, ſpurius Didymus, codices omnes ſcripti vulgarem lectionem ſtabiliunt. Significationem vocis autem vox κελάδουσα, quae praeceſſit, ſatis ſuperque declarat. Quid, quod hodieque in Celtico Britannica lingua (dans le Gallois) *rhedeg* notat *rapido curſu profluere.* Quis autem non perſpiciat, quam prope ad *Rhodani* nomen id nominis accedat? Caeterum, ubi de mari Tyrrheno loquitur Vibius, illud cum Gallico ſinu confundere videtur. His, a viro quodam amiciſſimo ſubmiſſis, adjicio, Vibium Tyrrheno mari nimis latam ſignificationem tribuere. Rhodani curſus praeterea egregie ab Ammiano Marcellino L. XV. c. 28. pingitur. Oſtium ejus quum difficilioris jam olim aditus eſſe videretur, partem amnis, foſſa per campum lapideum, quo naturae miraculo & ipſe ſuperiori anno ſtupui, in lacum Maſtramelam deducta, Marius navigabili alveo effudit. v. Mela L. II. c. 5. Plura in jungendorum marium fluviorumque moliminibus de hoc argumento dixi. Nomen Rhodani, ut notum, priſcam fere formam ſervat. Germaniae fluviis male Rhodanum accenſet Mela L. III. c. 3. De oſtiis ejus v. Plinius L. III. c. 4. cf. & D'Anville notice de la Gaule. Eridani nomine Rhodanum nonnunquam veniſſe olim, monet Ortelius. Id non niſi per vitium ſcripturae factum videtur. Saltem doctiſſimus Schneiderus in Oppiani, quem proximo anno, apud nos dum haereret, expurgatiſſimum edidit in lucem, L. III. ἁλιευτικῶν v. 625, ubi legebatur prius

δεύτερα δ' Ἠριδανοῖο παρὰ στόμα θηρητῆρες
Κελτοί - - - - -

vel δεύτερον Ἠριδανοῖο &c. commode reſtituit δίντερα δὲ Ῥοδανοῖο; forſan tamen loco δὲ hic δὴ ponendum. O.

## Strymon

Sic, nam Graece Στρύμων. de gelu v. Ovidius triſt. L. V. eleg. 3. v. 21. de Thracia v. Lutatius ad Statii Theb. L. III. v. 526. & L. V. v. 188. HESSEL. Mſ. *Strymon.* recte. GRONOV.

Ratio, quam affert Heſſelius, non ſtringit. Quemadmodum enim a Graeco Πλάτων fit Latinum Plato, ſic & a Στρύμων Strymo. Verum Graecas fere formas amat Vibius. Hodie *Strumona* itemque fluvius *Jemboli* ſalutatur ab urbe, quam oſtio ſuo propior rigat. Qui *Marmara* dici aſſerit Bellonius, citatus Ortelio, confundit ipſum cum *Ponto* amne, quem non minus ac Strymonem alii Thraciae, alii Macedoniae adſcribunt. Ratio in vulgus nota. Addit Ortelius, eſſe, quibus Strymo ſalutetur *Radini*, item *Iſchar* & *Rhedive;* quo jure, diſquirendum aliis relinquo. Antiquiſſimo aevo ſucceſſu temporis *Conoχus*, dein *Palaeſtinus*, tandem *Strymon*, ab iis, qui vitam moerore compulſi in ipſo amiſere, appellitatus eſt, ſi quidem auctori de fluviis, fabularum conditori, fidem adhibeas. O.

## Sequana

v. Strabo L. IV. p. 192-194. Περὶ δὲ τὸν Σηκυάναν ποταμὸν εἰσὶ καὶ οἱ Παρίσιοι νῆσον ἔχοντες ἐν τῷ ποταμῷ, καὶ πόλιν Λευκοτοκίαν. Caeſar de bell. Gall. L. VII. cap. 57. *Dum haec apud Caeſarem geruntur, Labienus eo ſupplemento, quod nuper ex Italia venerat, relicto Agendici, ut eſſet impedimentis praeſidio, cum IV legionibus Luteciam proficiſcitur: id eſt oppidum Pariſiorum, poſitum in inſula fluminis Sequanae.* Ammianus Marcellinus L. XV. cap. 11. *A Belgis vero eandem gentem Matrona diſcernit & Sequana, amnes magnitudinis geminae; qui fluentes per Lugdunenſem poſt circumclauſum ambitu inſulari Pariſiorum caſtellum Luteciam nomine* &c. HESSEL. Quod inſulam facere Vibius jure dicat, ex allegatis locis abunde probatur. Ea pars principis Galliarum urbis hodieque *civitas*, vulgo *la cité*, antiquo nomine nuncupatur. In hoc maxime fluvio luculento prorſus teſtimonio patere aſſerit D'Anvillius in Notitia Galliae, quam miſere veteres Geographiae ſcriptores hallucinentur. Peſſime profecto Strabo l. c. Ἄλλος δ' ἐστὶν ὁμοίως ἐν ταῖς Ἄλπεσι τὰς πηγὰς ἔχων, Σηκουανὸς ὄνομα. Ῥεῖ δ' εἰς τὸν Ὠκεανὸν, πλησίον τῷ Λίγηρι διὰ ἐθνους ὁμωνύμους &c. Mira doctiſſimi viri oſcitantia! Non minus turbatae ſunt

Ptolemai rationes, qui L. II. c. 8. ad Sequanae oſtia Abrincatuos transferre non dubitat. Simile fere huic peccatum Ammiani Marcellini eſt, loco ad quem Heſſelius provocat, *prope caſtra Conſtantia*, hodie *Coutances cum Matrona in mare fundi* aſſerentis. Aethico in Coſmographia & Nilus dicitur *Geon* v. pag. 31. ed. Simleri, & alius fluvius, quem inter Garumnam & Bicornium, ſic ille Rhenum plus ſimplici vice ſalutat, in Oceanum occidentalem influere memorat p. 16. tum pag. 18. adjicit, currere millia CCCCII. Quum autem neque Ligeris neque Sequanae mentionem injiciat, Simlerus alterutrum intelligendum eſſe recte judicavit. Tandem vero, ne penitus ſuſpecta fides Aethici foret, Valeſii fortuna fecit, qui in chronico quodam medii aevi nomen *Gion* Sequanae datum reperit. v. Ej. deſcript. Gall. p. 517. Benjamin Tudelenſis in Itinerario *Siban* nuncupat Sequanam. O.

## Spercheos

non *Sperchios*. v. Nic. Heinſius ad Ovid. met. L. I. v. 579.

*Theſſaliae*) v. Servius ad Virg. Georg. L. II. v. 487. Lutatius ad Statii Theb. L. IV. v 838. & ad Achill. L. I. v. 628. v. & Statius ipſe Achill. L. I. v. 98 & 237. HESSEL.

Prope Anticyram in intimo ſinu Maliaco in mare exibat Spercheos. Antequam in Locridem per Thermopylas intrare liceret, Spercheus, Dyras, Melas & Aſopus ſuperandi erant. v. Herodotus L. VII. c. 198. 199. 200. A Thermopylis ad Sperchei oſtia maritimum iter decem modo ſtadiorum fuit. v. Strabo L. IX. p. 428. S. CROIX. Sperchei nomen, quod hodie obtinet, *Agriomela* eſt apud Brietium in parallel. G. V. & N. P. II. p. 365. Sic & Sophianus vocat, teſte Ortelio. Theveto tamen *Comen* dici, hic adjicit. Rectius forſan id nomen ad *Sperchiam* locum oſtio fluminis appoſitum, Ptolemaeo L. III. c. 13. laudatum vel ad *Sperchion* Plinii L. IV. c. 7. quadrare dixeris. Vicus eſſe videtur in promontorio locatus. Verum Sophianus *Phthelia* appellari tradit. Amnem Sperchium ſuo aevo *Salambria* fuiſſe dictum If. Tzetzes teſtatur, verum ſupra *Salampria* appellari Peneum vidi.

mus, p. 162. Illi Peleus, parens Achillis, pro fausto filii a Troja reditu crinem foviſſe fertur. Quod ipſe Achilles apud Homerum Il. Ψ. v. 144. ſic enarrat:

Σπερχεῖ', ἄλλως σόν γε πατὴρ ὑπέσταο Πηλεύς,
Κεῖσέ με νοστήσαντα φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν,
Σόι τε κόμην κερέειν - - - -

Imo ibidem paullo ante Achilles ipſe in Patrocli funere ſeorſum a pyra flavam abſcidiſſe comam fertur,

Τὴν ῥα Σπερχειῷ ποταμῷ τρέφε τηλεθόωσαν.

Iſto Pelei exemplo Pauſanias in Atticis c. 37. docet, omnibus Graecis in more fuiſſe poſitum, crinem tondere fluminibus. Exhibet Pelei votum eximia gemma Hetruſci artificis, quam deſcriptam a Cel. Winckelmanno in Geſch. der Kunſt T. I. p. 101. exhibet in ectypis vir laudibus meis major Lippertius Dactyliothecae P. I. n. 1000. O.

## Syrapus

Quum conſpirent in hac voce codices, neque in alia ſecedat Boccacius, nolui ſollicitare fluminis nomen, nemini notum. Neque tamen dubito, quin legendum ſit *Sybaris*. Non conveniebat profecto Sequeſtri, hoc flumen ſicco pede praeterire, qui in Siculis & Italicis amnibus recenſendis admodum induſtrie verſari ſolet. O.

## Selinus

v. Pierius ad Virgilii Aen. L. III. v. 705. & Cellarii G. A. L. II. c. 2.

*apium*) v. Servius ad Virgilii Aen. L. III. v. 705. Hoc in Selinontiorum nummis conſpici, non ambigitur inter explicatores priſcae rei nummariae: Begerus conſulatur theſ. Brandenb. ſel. pag. 373, itemque Spanhemius diſſert. de praeſt. & uſu numiſm. antiq. diſſert. 4. Nummum autem Pergamenorum Selino, quod flumen longe diverſum eſt a Sicilienſi flumine, praeter cetera inſignitum, ramiſque, ſicut videtur, heleoſelini, tractavit Triſtanus comment. hiſtor.

Gallice ſcriptis pag. 501. edit. Pariſ. 1635. at minus accurate quam Spanhemius idem pag. 485. atque 891. Etiam Holſtenium conſule ſis ad Stephan. Byzant. in Σελινοῦς. HESSEL.

Selinus, Hyblaeorum Megarenſium colonia teſte Strabone L. VI. p. 272. & Thucydide L. VI. Graece Σελινόεις ſive contracte Σελινοῦς vocabatur. Mirae ejus reliquiae noſtra aetate reſtant, de quibus maxime conſulendus D'Orvillius in Siculis cap. 5. A praeterlabentibus fluviis urbes adſtructas vulgo nomen eſſe ſortitas in Sicilia, & multis jam exemplis vidimus, & Stephanus Byz. in Ἀκράγας diſertis verbis teſtatur, ad Selinuntem quoque provocans. Varios fuiſſe, praeter hunc noſtrum, Selinuntes fluvios, condiſcimus ex Strabone L. VIII. p. 387. Ῥεῖ δὲ διὰ τῆς Αἰγείων πόλεως ποταμὸς Σελινοῦς, ὁμώνυμος τῷ τε ἐν Ἐφέσῳ παρὰ τὸ Ἀρτεμίσιον ῥέοντι, καὶ τῷ ἐν τῇ νῦν Ἡλείᾳ τῷ παραῤῥέοντι τὸ χωρίον, ὃ φησιν ὠνήσασθαι τῇ Ἀλτέμιδι Ξενοφῶν καθ' χρησμόν· ἄλλος δὲ Σελινοῦς ὁ παρὰ τοῖς Ὑβλαίοις Μεγαρεῦσι, οὓς ἀπίσησαν Καρχηδόνιοι. Ab Apio dictum Selinuntem Siciliae notavit Heſſelius ex nummis, quos certatim harum rerum gnari protulerunt. Illis nonnihil roboris adjecit nuper D'Orvillius, apud quem Tab. XIII. T. II. Siculorum rectius, quam ante fuerat factum, folium ſelini vel apii expreſſum cernitur. Neque illos recte judicaſſe ad eum locum p. 419. obſervat P. Burmannus, qui ſibi palmae folia in iis nummis deprehendere ſint viſi, etiamſi non neget, palmas agreſtes olim prope Selinuntem repertas, ut vel ex Silio pateat, apud quem memorantur L. XIV. v. 200.

*Audax Hybla favis, palmaeque arbuſta Selinus.*

Erraſſe quoque Froelichium oſtendit, ubi ſimiles nummos ad Peloponneſum trahit. Praeterea rariſſimum numiſma, fluvium ipſum Selinuntem ſub bovis forma humana praediti facie referens, addita voce ΣΕΛΙΝΟΕΣ, ex ſuo muſeo produxit Ser. Caſtellus P. T. M. in prima Aggiunta alla Sicilia numiſm. T. II. n. 14. v. opuſc. di aut. Sicil. T. XI. cf. & T. XIII. p. 27. Verum, ut ad Vibium noſtrum redeamus, *Meſſaliorum*, ut legebatur, vel *Meſſaniorum* quod is ex conjectura Simleri Selinuntem dicit, aperte falſum eſt. Forte

ſcriptum fuiſſe, *Sicanorum* vel *Megarenſium*, ſuſpicatur Cluverius Sic. ant. L. I. c. 18. quia Selinus erat colonia Megarèn ium. Cellario *Sicanorum* quoque vox arridet. D'Orvillius contra, quia totus is tractus, qui ad Selinuntem ſpectat, ab urbe *Mazara* nomen nunc habet & Vibii tempore jam habuerit, quod quidem non ſatis certum mihi videtur, legendum putat *Mazaraeorum*. Selinuntem hodie *Madiuni* nuncupant accolae, teſte Cluverio & Maurolyco. *Lanarium* Antonini in Itinerario eundem cum hoc noſtro Selinunte arbitratur Cluverius, vereque dictum fuiſſe *Apiarium*, antequam id nomen corrumperet librariorum inſcitia. Contra Weſſelingio, cui adſtipulatur D'Orvillius l. c. p. 77. ad eum locum iſta viri doctiſſimi conjectura prorſus diſplicet, tum quod ab *apio* non Apiarius ſed *Apiacus* vel *Apiatus* fuiſſet derivandum fluvii nomen, tum quod nil obſit, quo minus ob aquam fullonum forſan uſibus accommodatam *Lanarius* dici potuerit. Reſtat & alius ſcrupulus animo Cluverii eximendus, quem ipſi ordo, quo locata Sequeſtris verba, injecit: *Selinus M. a quo civitas Selinus dicta, quod apium ibi plurimum naſcitur.* Ad quae laudatus vir „ Oratio paullo intricatior; non enim „ civitas ab apio, id eſt ἀπὸ τοῦ σελίνου, ſed amnis primum „ dictus fuit, ab hoc poſtea urbs idem nomen accepit. „ At heic nodum in ſcirpo quaerit Cluverius. Reſpondemus cum Burmanno, non dicere Vibium, urbem ab apio dictam; potius a fluvio deductum nomen is aſſerit, quod petitum ab apio. O.

## Sagaris

v. Dionyſius perieg. v. 811. Ad ejus amnis vocabula, Cellario Geogr. Ant. L. III. c. 8. recenſita, *Sangarus* addatur. Scholiaſtes Apollonii Rhod. ad L. II. v. 724. Σαγγάριος ποταμὸς Φρυγίας. ὁ δὲ Μυρλεανὸς Σάγγαρον αὐτὸν λέγεσθαι φησὶν. Ἑρμογένης δὲ ἐν τῷ περὶ Φρυγίας φησὶν, Σάγγαν τινὰ ἀσεβήσαντα περὶ τὴν Ῥέαν μεταβαλεῖν εἰς τοῦτο τὸ ὕδωρ. ἢ ἀπ' αὐτοῦ τὸν πόλεμον Σαγγάριον ὀνομασθῆναι. HESSEL. Erat omnino ſcribendum *Sangaris* v. *Sangarius*. Sic enim Graeci Σαγγά-

ριος. v. Homerus Il. L. III. v. 187. Strabo L. XII. p. 543. & 563. Ptolemaeus Geogr. L. V. c. 1. Stephanus Byz. verum Vibius Ovidium est secutus de Ponto L. IV. ep. 10. v. 47. *huc Lycus*, *huc Sagaris*. Berecynthii Phryges, Trojanis temporibus inclyti, in ripa Sangarii habitabant. v. Strabo L. XIV. p. 681. Berecynthiae nomen Cybelae tributum ab eo populo, cultui ejus potissimum vacante, strepituque Gallorum, Sacerdotum ejus, personuere ejus littora:

ἐκ δὲ βοήσας
Μητέρα Σαγγαρίου Χείλεσι πὰρ' ποταμοῦ.

Antholog. a Cephala condit. epigr. 471. p. 25. ed. Oxon. s. CROIX. Sagaris nomen a Poëtis absque dubio confectum, ne metro obesset, siquidem a capite brevem syllabam requirerent, ut vel ex Ovidii loco patet. Verum Plinius quoque sic scribi asserit; sic porro Solinus, sic & in nummo Juliae Domnae ΝΙΚΑΙΕΩΝ CΑΓΑΡΙC v. Vaillant in NN. Graecis Imp. Rom. pag. 93. apud Scylacem quoque in periplo est Σάγαρις, itemque apud Photium ex Memnone. Haec ita jam apud Cellar. l. c. Quibus addes, & apud Hyginum in poët. astrom. legi *Sagaris*. Hodiernum nomen respondet. Dicitur enim *Sagari*, *Sakaria*, item *Sangari*. Cursum amnis ita describit Arrianus de exped. Alex. M. L. I. p. 80. τοῦ δὲ Σαγγαρίου αἱ μὲν πηγαὶ ἐκ Φρυγίας εἰσίν· αὐτὸς δὲ διὰ τῆς Θρακῶν τῶν Βιθυνῶν χώρας ἐξίησιν εἰς τὸν Εὔξεινον πόντον. Inde emendandus Livius, qui L. XXXVIII. c. 18. *in Propontidem se effundere* docet; ubi Cellarius legendum pronuntiat *in Pontum*. Porro Livius *ex Adoreo monte profluere* & *ad Bithyniam Thymbri* (legendum *Thymbreti*) *fluvio misceri* addit. Agathiae epigramma in Sangarii pontem habes in Anthologia p. 512. & in Analectis Vet. Poët. Graec. a Cel. Brunckio editis T. III. p. 53. *Sagaris* oppidum apud Ravennatem anonymum memoratur L. II. c. 17. & L. V. c. 9. *Berecyntius* an *Berecynthius* scribendum, sub judice lis est. v. Cellarius L. III. c. IV. §. 98. apud Diodorum Siculum est Βερέκυνθος. L. V. p. 333. alibi passim per τ pingitur. O.

## Sebethos

v. Columella L. X. v. 134.

*Doctaque Parthenope Sebethide roſcida lympha.*

cf. Statius L. I. Silv. II. v. 260. HESSEL.

Ultra Neapolim minus mille paſſibus defluit. Nympham ei praeſidere credebant, hinc Virgilius *Sebethidis nymphae* meminit Aeneid. VII. v. 734. Hodie *fiume della Madalena* ſalutatur; populariter quoque *Fornello* nominatur, teſte Ortelio. In tabula, qua Neapolitani crateris & Veſuvii & Neapolis ipſius ſitus depictus cernitur, quaeque primo tomo picturarum Herculanenſium praefixa eſt, ſervatum antiquum fluvii nomen video. Ibi quippe legitur *bocca di Sebetho.* Non ſine adſpiratione exprimendam vocem, docet lapis apud Gruterum pag. XCIV. n. 9.

P. MEVIVS. EVTYCHVS
AEDICVLAM
RESTITVIT. SEBETHO

Cum Sabato ſunt qui confundant, peſſime. Contra recte pro eodem cum *Veſeri* fluvio habetur, apud Aurelium Victorem bis memorato, cuique Veſeris oppidum fuerat adſtructum. v. Cam. Peregrinus Camp. Fel. Diſſ. II. c. 23. Cluverio tamen arbitro nullum flumen Veſeris nomine fuit, corruptuſque eſt Aurelii Victoris locus. v. Ital. ant. L. IV. c. 5. Quicquid ſit, Sebethum inter atque Sarnum fluvios clade ſua ac anaſtaſi pariter memorabile Herculaneum oppidum ſitum fuit. Nomen fluvii, ab hebraico quippe שבת derivandum, deſignare *quietem*, quod quietus placiduſque promanet, auctor eſt D'hancarville ad Hamiltonii vaſa hetruſca T. I. O.

## Sarnus

*ex Saro*) fortaſſe legendum eſt *ex Sarno monte.* Caeterum vid. Servium ad Virg. Aen. L. VII. v. 738. ubi ad *Sarraſtis populos*, haec habet: *Populi Campaniae ſunt a Sarno fluvio. Conon in eo libro, quem de Italia ſcripſit, quoſdam Pelaſgos*

*aliosque ex Peloponneso convenas ad eum locum Italiae venisse dicit, cui nullum antea nomen fuerit, & flumini, quod incolerent, Sarno nomen imposuisse ex appellatione patrii fluminis, & se Sarrastes appellasse. Hi inter multa oppida Nuceriam condiderunt.* HESSEL. Locus Virgilii hic est:

*late jam tum ditione premebat*
*Sarrasteis populos & quae rigat aequora Sarnus.*

Eum fluvium sat apte describit Boccacius ita: *Sarnus fluvius est Campaniae, ex Apennino in Capream insulam tendente pluribus in locis vasto saxei montis murmure funditur, adeo abunde, ut non ante exierit, quam amplissimas paludes fecerit, incolas nebulis, quibus semper abundat, infestans nimium; ex quibus tandem in alveum coactus Pompejanum sub Vesuvio monte irrigat agrum & pauco contentus cursu, nec alicujus alterius comitatus undis, satis tamen aquarum copiosus, haud longe a Stabia Tyrrhenum ingreditur mare. Hic apud Sarnum oppidum, quod fontibus ejus imminet, ligneos fustes, paleas, frondes & quodcumque in eum cadat, lapideo paucis in diebus cortice tegit . . . Hunc Sarnum aliqui minus advertentes Arnum Florentiae fluvium putavere.* Multarum instar est haec Boccacii descriptio, ad quam pauca adnotare lubet. Is Apennini tractus, ex quo ille profluit, idem cum flumine nomen hodieque obtinet, *Sarno* dictus. Unde sic satis est verosimile, apud Vibium legendum quoque *ex Sarno monte*, non *ex Saro monte.* Quod & Cluverius suspicatur, L. IV. c. 3. etsi nomen *Sari* vel *Sarri*, si quidem hoc genuinum sit, aptius fere judicet, ex quo incolae *Sarrastes* fuerint nuncupati. Oppidum Sarnum, quod fontibus ejus amnis imminere scribit Boccacius, aliis incognitum, bis Ravennas recenset anonymus L. IV c. 32. & L. V. c. 2. Ergo saeculo VII. saltem jam stetit, hodie principatus etiam titulo decorata est. Plures habere fontes Sarnum, testatur quoque Cluverius; suntque eorum alii κα ἀ τὸν πρόποδα τῦ Βεβϐίυ, in Sarno monte, alii altius oriuntur, ad oppidum S. Severini. Palustres Sarni oras Orosius quo-

que commemorat L. IV. c. 15. Inde fit, ut Lucano de B. C. L. II. c. 423. dicatur

- - - *nocturnaeque editor aurae*

prorſus, ut Boccacius nebulas excitare aſſerit. Pompejanum ſub Veſuvio monte irrigare agrum, teſtis eſt Plinius, qui L. III. c. 5. ſic habet: *Pompeji, haud procul adſpectante monte Veſuvio, alluente vero Sarno amne: ager Nucerinus & IX. M. P. a mari ipſa Nuceria.* Inde Nuceriae, hodie *Nocera*, tribuitur a Vibio. Pompeji olim Veſuvii incendio deleti, nunc ex parte reſurgunt, ut notum. Stabiam quam vocat Boccacius, *Stabias* dixere veteres. Incruſtantibus fluviis accenſeri Sarnum, neſcio an alibi notatum. Similium exempla praeter ea quae ſupra ad pag. 78 relata leges, dabit Plinius L. XXXI. c. 2. cf. & paulo poſt *Siler.* Qui Arnum cum Sarno confudit, Oroſius eſt L. IV. c. 15. a Cluverio quoque ea propter reprehenſus. Praeter *Arno* nomen, quod hodieque permanet, *Scafati* quoque inferiore ſui parte communi vocabulo cum urbe ipſi impoſita ſalutatur. Olim praeterea & *Draco* audiit, teſte Procopio l. c. quod nomen adverſus Cluverium pulchre defendit, Cam. Peregrinus Camp. fel. Diſſ. II. c. 24. medio quoque aevo *Draconcellum*, *Dracontium*, *Draconteum* in plurimis titulis nuncupatum eſſe Sarnum demonſtrans. O.

## Symaethos

Servius ad Virgil. Aen. L. IX. v. 584. *Symaethos fluvius eſt Siciliae a rege Symaetho dictus, haud longe ab urbe Catinenſi, circa quam ſunt Palici Dei; quorum talis eſt fabula: Aetnam nympham vel, ut quidam volunt: Thaliam Jupiter cum vitiaſſet, & feciſſet gravidam, timens Junonem (ſecundum alios ipſam puellam) terrae commendavit, & illic enixa eſt. Secundum alios, partus ejus poſtea cum de terra erupiſſet, duo pueri Palici dicti ſunt, quaſi iterum venientes, nam πάλιν ἰέναι eſt iterum venire. Hi primo humanis hoſtiis placabantur, poſtea quibuſdam ſacris mitigati ſunt, & eorum immutata ſa-*

*crificia, inde ergo placabilis ara: quia mitigata ſunt eorum numina. Palicos nauticos Deos Varro appellat. Alii dicunt Jovem hunc Palicum propter Junonis iracundiam in aquilam commutaſſe. Alii Vulcani & Aetnae filium dicunt.* HESSEL.

Oritur is fluvius ex radicibus borealibus Aetnae, & poſteaquam partem montis occiduam circumfluit, prope rudera antiqui Murgentii in mare undas devolvit. Neque hae ſub terra labuntur amplius, ut olim; &, quod priſco aevo haud videtur ullo modo notum fuiſſe, magnam electri copiam in oſtio ſuo offert, cujus ut color eſt elegans, ita odor fortius etiam nares afficit, quam quod in littore Boruſſico colligitur. Primus hoc, quantum novi, obſervavit Brydonius in itin. Siculo. ep. XII. Fontes fluminis *Mucuba*, *Lucchiola*, *Canal Calagno* & *fonte ferrato* dici, refert ex anonymo auctore Ortelius. Hodiernum nomen Leandro eſt *Lazaretto*, ni fallor, idem quod *La Giaretta*, pronunciandi modo fere in Venetorum morem immutato. Fazellus & Aretius *fiume di S. Paulo* nuncupari tradunt, contra D'Orvillius cap. 13. p. 208. *Moſis*, Ser. Caſtellus Princeps T. M. in proleg. ad Inſcr. Siciliae p. XXVIII. *fiume di S. Filippo* appellat. Demum a Ptolemaeo haud recte Catanam inter & Tauromenium locari Fazellus oſtendit. In Agyrinenſium nummo maximi moduli, quem laudatus Caſtellus cit. opere in tabula NN. num. XXIX. exhibet, Symaethus more Graecis conſueto bovem humana facie praefert, ni ſit ad Chryſam referendum numiſma, in Agyrinaeorum finibus itidem profluentem. *Simetos*, ut ante Heſſelium legebatur in editis, extat ſcriptum nomen in tabula Theodoſiana, eſtque id eo minus mirum, quod aſpirationem litterae *t* graecis tritam neglexere Latini. v. Cluverius Sic. ant. L. I. c. 10. Nomen fluminis ſuo more ex Phoenicia lingua accerſere laborat Bochartus, qui in Chan. L. I. c. 28. heic Stephani quoque Byz. teſtimonium adducit in medium. *Samatho* enim inſula e Libyca voce dicta refertur a Lexicographo pro *magna*. En ejus verba: Μαγνα, νῆσος Λιβυκή· Ἀλέξανδρος ἐν τρίτῳ Λιβυκῶν, ἡ καλὰ τὴν Λιβύων φωνὴν Σαμαθὼ, ὅ ἐστι μεγάλη. Itaque ſimili modo Symaethum fluvium,

fluvium, eo quod maximus fuerit Siciliae, ab עצום, quod numerosum designet, עצומת & per aphaeresin צומת nuncupatum pronuntiat. Palicorum quoque Deorum nomen a Syriaco vel Chaldaïco פלח, quod *colere* significat, apte deduci posse, idem Bochartus docet, dictosque initio פליחי eo modo, quo apud Graecos Σεμναὶ Θεαὶ vocatae sint. Atque commode in ejus quasi sententiam Aeschylus in Aetna, loco apud Macrobium servato,

Σεμνοὺς Παλίκους, inquit, ζεὺς ἐφίλαι κάλεῖν.

Verum tamen is tragicus ipse l. c. vulgarem opinionem, qua ἀπὸ τῆ πάλιν εἰς ἀνθρώπους ἐκθεῖν dicti putabantur Palici, suam facit. Sed eas gerras Siculas, nugasque nugacissimas judicat Bochartus. Interim meretur Macrobius, quem de Palicis differentem audiamus. L. V. c. 19. *In Sicilia Symaethus fluvius est. Juxta hunc Nympha Thalia, compressu Jovis gravida, metu Junonis optavit, ut sibi terra dehisceret. factum est. Sed ubi venit tempus maturitatis infantum, quos alvo illa gestaverat, recluſa terra est, & duo infantes de alvo Thaliae progressi emerserunt: appellatique sunt Palici ἀπὸ τοῦ πάλιν ἐκθεῖν; quoniam prius in terram mersi, denuo inde reversi sunt. Nec longe inde lacus breves sunt, sed immensum profundi, aquarum scaturigine semper ebullientes, quos incolae crateras vocant, & nomine* dellos *appellant; fratresque eos Palicorum aestimant: & habentur in cultu maximo; praecipueque circa exigendum juxta eos jusjurandum praesens & efficax numen ostenditur, nam cum furti negati vel ejusmodi rei fides quaeritur, & jusjurandum a suspecto petitur, uterque, ab omni contagione mundi, ad crateras accedunt, accepto prius fidejussore a persona, quae juratura est, de solvendo eo, quod peteretur, si addixisset eventus. Illic advocato loci numine testatum faciebat esse jurator, de quo juraret, quod si fideliter faceret, discedebat illaesus; si vero subesset jurijurando mala conscientia, mox in lacu amittebat vitam falsus jurator. Haec res ita religionem fratrum commendabat, ut craterae quidem implacabiles, Palici autem placabiles vocarentur Nec sine divinatione est Palicorum templum; nam, cum Siciliam sterilis annus arefeciſſet, divino Palicorum responso admoniti Si-*

*culi heroi cuidam certum ſacrificium celebraverunt; & revertit ubertas, qua gratia Siculi omne genus frugum congeſſerunt in aram Palicorum, ex qua ubertate ara ipſa pinguis vocata eſt.* Hinc lucem recipit Virgilius L. IX. v. 584.

*Symetica circum*
*Flumina, pinguis ubi & placabilis ara Palici.*

Simili modo Silius Italicus L. XIV. v. 219.

*Et qui praeſenti domitant perjura Palici*
*Pectora ſupplicio.*

Ubi Nic. Heinſius legere mavult *damnant.* O.

## Siler

Ab aliis *Silarus* & *Silaris* dicitur. Dionyſius in perieg. v. 361.

Φαίνεται προχοαὶ Πευκετίνου Σιλάριο,

ubi Euſtathius: τοῦτον ὁ γεωγράφος Σίλαριν γράφων, λέγει ἴδιον τοῦ Σιλάριδος, ὅτι τοῦ ὕδατος ὅσος πελίμνου τὸ καθίμενον φυτὸν ἀπολιθοῦται, φυλάττον τὴν μορφήν. GRONOV.

*oppido*) Cluverius Ital. ant. L. IV. p. 1254. & Cellarius G. A. L. II. c. IX. p. 578. *monte* legunt. quos vide. HESSEL.

Strabonis verba Euſtathio memorata leguntur L. V. p. 251. Docet autem praeterea, Silarum Picentem regionem ab antiqua Campania ſecreviſſe, itemque eorum, quae in aquam ejus conjiciantur, lapideſcentium non modo formam manere eandem ſed & colorem non mutari. Quod quidem minus eſt veroſimile. Unde nec a Silio Italico nec a Plinio aſſertum legitur. Iſte L. VIII. v. 582. ita canit:

*Nunc Silarus quos nutrit aquis, quo gurgite tradunt*
*Duritiem lapidum merſis inoleſcere ramis.*

Hic L. II. c. 103. *Similiter in Silaro, ultra Surrentum, non virgulta modo immerſa, verum & folia lapideſcunt, alias ſalubri potu ejus aquae.* Paullo ante idem de Ciconum flumine praedicat Plinius, quod ad pag. noſtram 78 notatum velim. Sic enim habet: *In Ciconum flumine & in Piceno lacu Velino lignum dejectum lapideo cortice obducitur & in Surio Colchidis flumine, adeo ut lapidem plerumque durans adhuc integat cortex.* Idem L. XXXI. c. 2. alia ejuſdem rei exempla af-

fett, *In Eurymenis*, inquit, *dejectae coronae in fontem lapides fiunt. In Colossis flumen est, quo lateres conjecti lapides extrahuntur. In Scyretico metallo* (i. e. in metallicis fodinis insulae Scyri) *arbores, quaecumque flumine alluuntur, saxa fiunt cum ramis.* Aristoteli Silarus noster videtur *Cetus* dici. In libro enim de mirabilibus auscultationibus sic ille: εἶναι δὲ λέγουσιν ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις περὶ τὴν Κύμην πόταμόν τινα Κετὸν ὀνομαζόμενον· εἰς ὃν φασι τὸ ἐμβληθὲν πρῶτον περιφύεσθαι καὶ τέλος ἀπολιθοῦσθαι. Nomini Κετὸν forsan mendum subesse suspicatur Cluverius, idque eo magis, quod in scriptis nonnullis ejus loco legitur Μακέππαν. Hodie *Silaro*, *Sillaro*, *Sillero*, *Selo* accolae vocant. Restat, ut de Alburno dicatur. Quum nemini usquam Alburni oppidi mentio fiat, ipseque noster infra montes inter ejus meminerit, non dubito equidem, quin & heic *monte Alburno* legendum sit. Praeterea ex loco Virgilii Georg. L. III. v. 146.

*Est lucos Silari circa, ilicibusque virentem*
*Plurimus Alburnum volitans - - -*

desumsisse verba sua videtur Vibius, in quibus non de oppido sed de monte sermo. Forsitan tamen in tabula Peutingeriana nonnihil praesidii est oppido Silaro. Ad flumen enim, quod in nominandi casu dicitur ibi *Silarum*, idem hoc nomen repetitum cerno, neque montium adpicta est imago. O.

## Saron

Ex his Silii Ital. verbis L. VII, v. 480.

*Hadriaci fugite infausti Sasonis arenas.*

Vibius effinxit, ut ego certe mihi persuadeo, fluvium *Sasonem* vel *Saronem.* Scio equidem, insulam esse *Sasonem*, sed quum apud Statium legatur L. IV. Sylv. S. 3. (v. 180.)

*Et Linterna palus, pigerque Savo*

vel *Sason*, uti alii codices habent, fluvius hic Statianus *Savo* vel *Savon* a Vibio habitus est pro eodem ac *Sason* apud Silium, atque ita scripsisse eum opinor, *Savon Hadriae.* Unde

natum, *v* littera in *r* mutata, *Saron* in codicibus vulgatis. RELAND. Lynceis profecto oculis vidit Relandus. Vibii comma totum falſum & ſupinae negligentiae partus eſt. Verum, quum ita res ſe habeat, quumque Saſonis inſulae meminerint certatim veteres, cf. Cellarius O. A. L. II. c. 14. ubi apud Silium legendum dicit *Saſſonis*, malim equidem credere, Vibium ſcripſiſſe *Saſon*, quod a ſciolis commutatum in *Saron*. Quam ſibi ſimilia ſint vulgo haec duo elementa *ſ* & *r* in libris manu exaratis, nemo eſt, qui ignoret. Neque, ut hoc addam, hic magis ferenda ſunt verba Boccacii: *Saron fluvius eſt ultra Taurum montem*. O.

## Sicoris

Lucanus L. IV. v. 12. ſeq.

*ſuper hunc fundata vetuſta*
*Surgit Ilerda manu; placidis praelabitur undis*
*Heſperios inter Sicoris non ultimus amnes,*
*Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu,*
*Hybernas paſſurus aquas.*

& Auſonius ep. 25. v. 58. HESSEL. De curſu Sicoris Hortenſius ad Lucanum ita: *Sicoris in Pyrenaeis jugis ortus labitur praeter Ilerdam, & longius devectus in meridiem, tandem Ibero miſcetur.* Plinius H. N. L. III. c. 3. *Ilerdenſes . . juxta quos Sicoris fluvius.* ubi Harduinus recte: Ilerda nunc *Lerida*, juxta *Rio Segre*, qui Sicoris. Hunc fluvium cogitaſſe Thucydidem putat Cellarius L. II. c. 1. ſect. 3. quum ἀπὸ τοῦ Σικανοῦ τοῦ ἐν Ἰβηρίᾳ Sicanos Siciliae deducit. In Sicorim tria influunt flumina prius quam ipſe cum Ibero undas commiſceat, ſcilicet Nucaria Palliarenſis, Nucaria Ripacurtia atque Cinga, vulgo *Noguerra Pallereſa*, *Noguerra Ribagorçana* & *Senga*. O.

## Tigris

v. Virgilius ecl. I. v. 62.
*ſub terra* &c.) v. Lucanus L. III. v. 261.

*At Tigrim ſubito tellus abſorbet hiatu,*
*Occultoſque tegit curſus, rurſuſque renatum*
*Fonte novo flumen pelagi non abnegat undis.*

Dionyſius v. 987. Priſcianus perieg. 909. Seneca Troad. v. 10.

*Et qui renatum primus excipiens diem*
*Tepidum rubenti Tigrin immiſcet freto.*

cf. & Relandi diſſert. de mari rubro. HESSEL. Huic errori, quantum video, anſam dedit, quod Tigris Euphrati jungitur, prius quam in rubrum mare exeat, ex eo loco nominatus *Paſitigris*. v. Strabo L. XV. p. 729. Sic alter horum fluviorum videbatur alveum ſuum perdidiſſe. Forſan Vibius rem ex Seneca in Q. Nat. L. III. c. 26. hauſit, ubi ſic: *Idem & in Oriente Tigris facit, abſorbetur & deſideratur diu, tandem longe remoto loco, non tamen dubius an idem ſit, emergitur.* S. CROIX. Forſan Lucano Sequeſter acceptum debet. Paludem, in qua ſeſe condit Tigris, *Thonitin* vocat Dionyſius, qui v. 983 ſeq. ita egregie decurrentis fluvii curſum pingit.

- - - - ποταμῶν ὤκιστος ἁπάντων
Τίγρις ἐϋῤῥείτης φέρεται, ῥόον ἶσον ἐλαύνων,
Τόσσον ἄνευθεν ἰὼν, ὅσον ἕβδομον ἦμαρ ὁδεύσας
Ἴφθιμος καὶ κραιπνὸς ἀνὴρ ἀνύσειεν ὁδίτης,
Ἔστι δέ τις κατὰ μέσσα περίτροχος ὕδασι λίμνη,
Οὔνομα Θωνῖτις, ἧς ἕλκεται ἐς μυχὰ Τίγρις
Δύνων πολλὸν ἔνερθε πάλιν δ' ἐξαῦτις ἀνασχὼν
Ὀξύτερον προΐησι κάτω ῥόον· οὐκ ἂν ἐκείνου
Ἐν πάσιν ποταμοῖσι θοώτερον ἄλλον ἴδοιο.

Atque ex hac rapaci hujus amnis velocitate, qua feri indolem imitatur, Tigris ipſi nomen inditum. Non enim audiendus Plutarchus, qui in libello de fluviis, genio indulgens ſuo ad fabuloſa delapſus, aut a tigre, quam Jupiter Baccho

ſubmiſerit, quaque is vectus Sollacem (vel Sylacem, ut Euſtathius ad Dionyſii v. 976. habet) ſuperarit, aut a Baccho ipſo, ut Alpheſiboeam nympham trans fluvium memoratum ferre liceret, in tigrim converſo, nuncupatum flumen commemorat. Forſan utrumque & flumen & ferum a ſagitta, apud Medos quae *tigris* ſalutatur, & cujus velocitatis ſunt aemula, nominis originem traxit. v. Plinius H. N. L. VI. c. 27. Loco Thonitis paludis Plutarchus *Arſacidem* nominat, Juſtinus L. XLII. c. 3. in paludes Euphratis recipi ſcribit. Paſitigris nomen ex eo loco, quo alvei ejus remeant atque iterum confluunt, accipere Plinius teſtatur, l. c. Strabo contra l. c. flumina cuncta, quae Suſiam pervadunt, in Tigris alveum ac Euphratis intermedias foſſas illabi refert, atque hinc Paſitigrim dici perhibet. Hoc Paſitigris nomen neſcio an prorſus neceſſarium ſit reſtitui apud Diodorum Siculum L. XVIII. p. 597 & 620. ut vult Palmerius. Non enim priſcis ita ſolemne fuit Paſitigrim dicere in inferiori parte, ut non & Tigrim ſimplici voce nuncuparent. In deſcribendo curſu amnis nemo veterum diligentior eſt Plinio, quem l. c. velim conſulas. *Ipſius, qua tardior fluit, Diglito nomen eſſe* ſcribit. Commode hoc profecto Plinius affert, apud Joſephum enim Antiq. Jud. L. I. c. 2. Δίγλαθ ſalutatur & hodie quoque *Daghelé* item *Tegil* nuncupari fertur. Ex eadem radice antiquum nomen *Hidekel* propullulaſſe manifeſtum eſt. Demum Tigridi noſtro duos quoque alios cognomines fluvios memorat in Armenia Herodotus L. V. c. 52. O.

## Taurominius

*Taurominium*) v. Jan. Rutgerſius var. lect. L. IV. c. 10. cf. Cellarius G. A. L. II. c. 12. p. 624. Idem legit *Meſſenen* cum edit. Florentina. Denique *Euſebon chora* Ευσεβῶν χώρα Rutgerſius cit. loco conjectatus eſt. HESSEL.

*Tauromenium*) hanc vocem olim Pincianus ad Plinium L. III. c. 8. & Delrio ad Solinum cap. 2. ex membranis reſtituerunt & Golzius ex nummis ΤΑΥΡΟΜΕΝΙΤΑΝ.

*Euſebon chora*) hanc conjecturam Rutgerſii firmat Codex MS. Mediol. Pietatis laus inde, quod Tauromenitani Apollinem ἀρχηγέτην tanta religione colebant, ut in nummis cum exprimerent cum litteris ΑΡΧΑΓΕΤΑ; in averſa autem parte lyram cum racemo ΤΑΥΡΟΜΕΝΙΤΑΝ. GRONOV.

*Tauromenium* Vibii eundem cum ipſius *Aſinio*, Plinii *Aſine*, Thucydidis *Acceſine*, Appiani *Onobala* eſſe, Fazellus aliique tradunt, & hodie *la Cantara* vel *Alcantara* dici. Addit Ser. Caſtellus Princeps T. M. *fiume di Tavormina* quoque vocari; prorſus ad Vibium appoſite, quem & alibi more ſequioris aevi flumina oppidorum ad quos ſpectant nominibus mactare vidimus. Εὐσεβῶν χώραν quum Vibius Tauromenium vocat, videtur mihi iſtam urbem cum Catana confundere, prorſus ut ſupra Acidem confudit cum Aſinio, v. notata noſtra ad hunc p. 59. Prope Catanam ſcilicet piorum fratrum, Amphinomi & Anapis, campus & ſtatuae fuere, teſte Conone apud Photium cod. 186. διὰ ταῦτα οἱ Σικελιῶται τόν τε χῶρον ἐκεῖνον Εὐσεβῶν χώραν ἐκάλεσαν, καὶ λιθίνας εἰκόνας ἐν αὐλῇ τῶν ἀνδρῶν μνημεῖα, θεῶν τε ἅμα καὶ ἀνθρωπίνων ἔργων, ἀνέθησαν. cf. Dorvillius in Siculis T. I. p. 218. In Catanae nummis quoque beatum id par fratrum ſiſtitur poſt Parutam in Sicilia numiſmatica & Carreram in monumentis Catanenſibus apud Dorville T. II. Tab. IV. ad quem locum cf. Burmannus pag. 314 ſeq. Quid, quod & in lapide Catanenſi, quem ex Gualtherio, Muratorio & Abbate Amico repetit Ser. Caſtellus Pr. T. M. Catana vocatur

ΕΥCΕΒΕΩΝ ΚΑΙΤΟΝ
ΑCΤΙ (pro ΑCΤΥ) - -

v. le ant. Iſcrizioni di Palermo p. 175. Antiqui ſplendoris teſtimonia nec rara nec tenuia ſervat hodieque Tauromenium oppidum; in his theatri, quod omnium Siciliae theatrorum longe maximum fuit olim, itemque hippodromi & aquaeductus, de quibus conſulendus eſt laudatus D'Orvillius. O.

## Tagus

v. Martialis L. VII. ep. 87. v. 7. HESSEL. Hodie *Tajo*, quod accolae prorſus, quaſi *Tago* ſcriptum foret, pronuntiant. De auro, aliis miſſis, audiemus Plinium L. XXXIII. c. 4. *Aurum invenitur in noſtro orbe, ut omittamus Indicum, a formicis aut apud Scythas gryphis erutum. Apud nos tribus modis: fluminum ramentis, ut in Tago Hiſpaniae, Pado Italiae, Hebro Thraciae, Pactolo Aſiae, Gange Indiae* &c. Ubi Harduinus jam eas Tagi arenas deſiiſſe notat. Fama haec unde ſit orta, docet Reſendius in antiquitatibus L. II. *At celebris illa auri fama, per omnes poëtas vulgatiſſima, obſcurior modo ac prope exſtincta eſt, cautione legum, ne commotae arenae depreſſiores frumentarios agros nocumento adficiant. In teſtimonium tamen cantatae gloriae, regum Luſitanorum ſceptrum ex Tagano auro, quo purius reperiri nullum poteſt, factum & ſcimus & non ſemel vidimus.* In Aethiopia Tagum quendam fluvium locat Sidonius in panegyrico ſoceri ſui. O.

## Turia

Salluſtius hiſt. fragm. L. II. p. 409. ed. L. B. & Rot. 1665. *Inter laeva moenium & dextrum flumen Turiam, quod Valentiam parvo intervallo praeterfluit.* Priſcianus L. V. & VI. Turiam dixit, qui accuſativus generis maſculini eſt non neutri. Interpretes Salluſtii lege. HESSEL. Mela L. II c. 6. *Sucronenſis ſinus . . Saetabim & Turium & Sucronem non magna excipit flumina. Urbes complexus & alias quidem, ſed notiſſimas Valentiam & Saguntum* Plinius L. III. c. 3. *Valentia colonia III. M. P. a mari remota, flumen Turium, & tantundem a mari Saguntum.* Itaque hi duo ſcriptores *Turium* ſalutant, *Turiam* Salluſtius. Nunc *Guadalayar* vocatur. Fuit & Turia fluvius VI. M. P. ab urbe Roma, cujus meminit Livius L. XXVI. c. 11. ubi tamen Sigonius ex ſcriptis libris praefert *Tutia*, ad Silium quoque Ital. provocans, qui L. XIII. v. 5. ſic:

*Tutia deducit tenuem ſine nomine rivum*

ſed & heic codices nonnulli legunt *Turia*; ut proinde non liceat litem dirimere. Boccacius habet: *Tucia fluvius eſt non amplius VI. M. P. ab urbe diſtans.* & paullo poſt: *Turia fluvius eſt Hiſpaniae: Valentiam parvo intervallo praeterfluit & in Supronenſem* (lege *Sucronenſem*) *Hiberi ſinum decidit.* Ut autem in Vibio malim *praeterfluit* quam *interfluit*, ut legebatur prius, Salluſtii verba ab Heſſelio producta efficiunt, quae abſque dubio ſua fecerat Sequeſter. O.

## Taras

Boccacius ita: *Taras fluvius eſt Adriae.* Hic forſan ex Stephano hauſit, qui Tarento urbi fluvium cognominem adſcribit: Τάρας, ait, πόλις Ἰταλίας ᾗ πέλαμὸς ὁμώνυμος παρὰ θάλασσαν. Stephano autem Diodorus Sic. L. XII. facem praetulerat, Itemque Pauſanias in Phoc. c. 10. ubi καλεῖται γὰρ δὴ Τάρας καὶ τὰ ἀυλὰ τῇ πόλει ᾗ ὁ πέλαμός. Jam ad Tarentinum ſinum extendi Hadriaticum, latiori ſenſu accepta voce, concedi poſſet, etiamſi ad Hydruntum Jonii & Adriatici maris diſcrimen ponat Plinius L. III. c. 10. Porro equidem non dixerim, annon apud Vibium noſtrum itidem olim lectum ſit *Taras Hadriae.* Sane *Taras Epeiri*, quod eſt in editis, ex codicibus ſcriptis Revii, Mediolanenſi & Pariſinis exulat. Neque Taranti Epiri ullum uſpiam praeſidium invenio. Caeterum fuit & *Tarus* Galliae togatae fluvius, in Padum decurrens. Memoratur is poſt Plinium L. III. c. 16. Ravennati anonymo apud quem *Taron* dicitur L. IV. c. 36. atque id nominis aetatem tulit. Hodieque *Taro* vel *Tarro* audit. O.

## Tanager

Virgilius Georg. L. III. v. 151.

\- - - *furit mugitibus aether*
*Concuſſus, ſylvaeque & ſicci ripa Tanagri.*

ubi Servius: *ſicci Tanagri. non multum valentis. Tanager autem fluvius eſt Lucaniae: & ſicci ad tempus aeſtatis relatum*

*eſt. Eſt enim torrens hieme.* HESSEL. Similia tradunt Pomponius Sabinus & Probus Grammat. qui non aquam habere, niſi pluviae tempore adjicit. Paullinus quoque Nolanus Natal. III. de Felice v. 62.

\- - - - - *quique*
*Uſentem Sarnumque bibunt, qui ſicca Tanagri.*

Contra fluvium dicit Boccacius. Idque firmat Celſus Cittadinus, qui in epiſtola ad Ortelium data, quam is in theſauro ſuo Geographico memorat, tantum abeſſe refert, ut torrens modo ſit Tanager neque aquam habeat niſi pluviarum tempore, ut potius fluvius ſit, qui in ſe recipiat & alios fluvios & inter caeteros quendam vulgo dictum *la Botta di Picerno*, a Picerno oppido antiquo ſemidiruto. Perennes habere fontes, etiam Cluverius teſtatur L. IV. c. 14. Hodiernum nomen *il Negro* ex Tanagri nomine, auferendi caſu poſito & capite truncato, ortum eſt. Adjicit Celſus ille Cittadinus, veriſſimum eſſe quod Plinius L. II. c. 103. tradit *in Atinate campo fluvium merſum poſt XX M. P. exire.* idem enim hodieque videri poſſe. Paullo fuſius rem tradit Harduinus ad Plinium, quem ſic exponit: „ Tanagrum intelligit „ Principatus citerioris in Italia amnem, qui in Silarini, „ *Selo*, defluit. Is infra Atinum, *Ateno*, ad diverſorium „ publicum, *la Polla*, in ſpecum magno ſe cum murmure „ montis condens, poſt IV circiter M. P. haud procul „ *Auletta* iterum emergit, ad diverſorium, cui ex ea re „ facta appellatio, *L'hoſteria del Pertuſo*, hoc eſt, diverſo„ rium foraminis. „ Itaque in deſignando intervallo a Plinio videtur error commiſſus eſſe. In Antonini itinerario inter *Nuceriam* & *ad Calorem* legimus *in medio Salerno ad Tanarum*, ubi abſque dubio legendum *ad Tanagrum*, quod jam Cluverio placuit. Miror, doctiſſ. Weſſelingium ad Vibium noſtrum, non item ad Virgilium, eo loco provocare. O.

## Tibris

*Albula* &c.) v. Servium ad Virgil. Aen. L. VIII. v. 330. Ovidium Fast. L. II. v. 389. Metam. L. XV. v. 431. Virgilium Georg. L. I. v. 498. Lucanum L. I. v. 381. HESSEL.

Servius ad haec Virgilii verba citata

*Tum reges, asperque immani corpore Tybris,*
*A quo post Itali fluvium cognomine Tybrim*
*Diximus; amisit verum vetus Albula nomen.*

diversas affert veterum de etymo Tybris sententias, quas heic transferre nihil attinet. Plinius paucis L. III. c. 5. *Tiberis, antea Tybris adpellatus & prius Albula.* Varro de LL. *fuisse* refert, *qui a vicino regulo Vejentum Dehebri dicerent appellatum primo Dehebrim. Tybrim* ἀπὸ τῆς ὕβρεως, a contumelia, vocatum apud Servium legitur. Contra *Thymbrim* potius dictum praedicat Dionysius periegeta, qui v. 351. ita de terra Latinorum:

ἧς διὰ μέσσης
Θύμβρις ἑλισσόμενος καθαρὸν ῥόον εἰς ἅλα βάλλει,
Θύμβρις ἐϋῤῥείτης ποταμῶν βασιλεύτατος ἄλλων,
Θύμβρις, ὃς ἱμερτὴν ἀποτέμνεται ἄνδιχα Ῥώμην.

*Tiberim* a Tiberino Latinorum Rege, quod ibi interierit, nuncupatum, pervulgata apud veteres ferebat opinio. Albulae nomen a colore habuit, Servio teste. Addit Isidorus origin. L. XIII. c. 21. quod nivibus albus sit. Interim caeruleus quoque & flavus frequenter salutatur, ut multis exemplis probat Cluverius L. II. c. 10. Ex radicibus montis Apennini quod profluere noster Tiberim dicit, plenius eum fluvii cursum describit Plinius l. c. *Tiberis . . . e media fere longitudine Apennini fontibus Arretinorum profluit: tenuis primo, nec nisi piscinis corrivatus, emissusque, navigabilis, sicut Tinia & Glanis influentes in eum novenorum ita conceptu dierum; si non adjuvent imbres. Sed Tiberis propter aspera & confragosa, ne sic quidem, praeterquam trabibus verius quam ratibus, longe meatibus fertur per CL. M. P. non procul Tiferno Pe-*

*ruſiaque & Ocriculo Etruriam ab Umbris ac Sabinis: mox citra XIII. M. P. urbis, Vejentem agrum a Cruſtumino, dein Fidenatem Latinumque a Vaticano dirimens, ſed infra Aretinum Glanim XLII. fluviis auctus, praecipuis autem Nare & Aniene, qui & ipſe navigabilis Latium includit a tergo: nec minus tamen aquis ac tot fontibus in urbem perductis: & ideo quamlibet magnarum navium ex Italo mari capax, rerum in toto orbe naſcentium mercator placidiſſimus, pluribus prope ſolus, quam ceteri in omnibus terris amnes, accolitur aſpicitur-que villis.* Patet ex hac luculenta deſcriptione ſimul, cur Tuſcos dicatur dividere Tiberis. Paſſim etiam Tuſcum & Tyrrhenum dicunt ſcriptores. Apud Stephanum nomen amnis eſt Τίβερις, Hodie *Tevere* nuncupatur. Praeter diverſa nomina ejus antiqua jam producta, *Rumon* quoque item *Terentus*, non *Tarentus*, ut male habet Ortelius, & *Serra* vocatus eſt, teſte Servio ad Virgilii Aen. L. VIII. v. 63. O.

## Tanaïs

v. Lucanus L. IX. v. 413. Ovidius ep. heroïd. VI. v. 107. Sidonius carm. V. p. 274. ed. Pariſ. 1598. Servius ad Virg. Georg. L. IV. v. 517. & Philargyrius ibidem.

*Aſiam ab* &c.) Legito ſcholiaſten Dionyſii ad orb. deſcr. v. 14. atque Euſtathium. cf. & Priſcianus perieg. v. 21. & 649. Lucanus L. III. v. 272. Ovidius ep. ex Ponto L. IV. ep. X. v. 55.

Cl. Dausquius terr. & aq. c. 8. p. 177. ed. Pariſ. 1677. quaſi copulando Vibii Sequeſtris verba de Tanai atque Hypani junxit. HESSEL.

Egregia ſunt & clara Lucani verba L. III.

*qua vertice lapſus*
*Rhiphaeo Tanais diverſi nomina mundi*
*Impoſuit ripis, Aſiaeque & terminus idem*
*Europae, mediae dirimens confinia terrae.*

Conſentiunt in hoc limite Europae & Aſiae plures ſcriptorum veterum, in his Mela L. I. c. 1. & Strabo L. VII. c. 310.

Aliis tamen in diverſa abire placuit. Phaſim putavere nonnulli Europae terminum, itemque iſthmum inter Caſpium mare & Pontum Euxinum. cf. Cellarius O. A. L. I. c. 11. *Amazonium* olim vocatum eſſe Tanaïm, quod in ipſo lavarentur Amazones, auctor de fluviis refert. *Silis* quoque dictus eſt accolis, ſi Euſtathio fides ad Dionyſii l. c. & Plinio L. VI. c. 7. Hodie *Don* ſalutatur, item *Tana*. Tanais quoque urbs ad oſtium fluminis ſitum fuit, teſte Strabone, Plinio, Ptolemaeo; iſti nunc *Azow* reſpondere putant. O.

## Thermodoon

Hic articulus in contextum Vibiani opuſculi recipitur auctore MS. Rev. HESSEL. Recte, firmatur quoque Mediolanenſis & Pariſinorum auctoritate. O.

*Thermodoon*) Hujus vocis orthographiam tractant Joh. Pierius Valerian. ad Virg. Aen. L. XI. v. 659. Nic. Erythraeus ind. in Virg. Nic. Heinſius ad Ovid. met. L. II. v. 249. Chr. Cellar. G. Ant. L. III. c. 8. Lud. Carrio Caſtig. in Val. Flacc. L. IV. v. 601. De fluvio ipſo vid. Propert. L. III. el. 12. v. 15. Val. Flaccus L. IV. v. 601. Apollonius Rhod. L. II. v. 972. Dionyſius v. 657. & 773. Priſcianus perieg. v. 647. & 748.

*Amazonas*) Videre tibi licet ſchol. Dionyſii ad v. 657 & & 773. Euſtathiumque ad v. 657 & 772. ſchol. Apollonii Rhod. ad v. 972. Tzetzen ad Lycophr. I. v. 647. ac ſchol. Pindari ad Olymp. od. 8. v. 62. HESSEL.

Colchidi olim vaſti fuere limites. v. Strabo L. I. p. 46. Atque id Vibium induxit, ut ampliſſimam quoque ſiſteret. Fabuloſae Amazones Thermodoontis ripas habitaſſe ferebantur, verum ea de re Alexandri aevo nulla amplius mentio fit. v. Arrianus L. VII. c. 13. Succeſſu temporis contracti maximopere fuere limites ejus regionis. v. Strabo L. XI. p. 497. ſeq. Ptolemaeus L. V. c. 9. Bathys. & Olcampſis flumina eam a Ponto ſegregabant. s. CROIX. Thermodontis antiquius nomen refert more ſuo Plutarchus in lib. de fluviis, ubi *Chryſtallum* dictum ſcribit eo, quod aeſtate quoque con-

geletur. Fabula hac occaſione recitata a Plutarcho intercidit; quippe lacuna adeſt. Hodie *Pormon* vocari ex Nigro tradit Ortelius. In tabula D'Anvillii priſci nominis veſtigia reſtant. *Termeh* ſalutatur flumen. O.

## Traſymenos

Ortelium ſi audias, forte *Lydiae* dixit hic Vibius pro *Etruriae*, a Lydis populis, qui eam aliquando habitarunt. Ingenioſe magis quam vere. Etiamſi enim facile crediderim, lacum cum fluvio confudiſſe noſtrum, nunquam adducar tamen ut credam, eum hic *Lydiae* nomen dediſſe *Etruriae*. Potius a librariis corruptum eſſe locum arbitror, & ſcriptum initio fuiſſe *Tuſciae:* quae vox facile potuit in alteram iſtam immutarier. O.

## Thapſus

Ruſicade, oppidum Numidiae, hodie *Sgiguda*, vel ſecundum alios *Stora*, *Aſtora*, *Eſtora*, colonia Romana fuit, teſte, non quidem Ptolemaeo, quod Onuphrius retulit, ſed tabula Theodoſiana, in qua claris verbis legitur. Thapſus oppidum duplex memoratur priſcis, alterum in Sicilia, alterum in Africa propria & quidem provincia Byzacena ſitum. Hoc poſterius nunc *Demſas* audit. *Thapſum* vel *Thapſam* aut *Tapſam* fluvium nemo veterum memoriae prodidit. Cuicunque liberum igitur eſto de hoc Sequeſtris articulo judicium; in quo me prorſus caecutire profiteor. O.

## Triopala

Difficile profecto fuerit huic corruptiſſimo loco medelam adferre, ſcriptis maxime codicibus nihil uſpiam lucis affundentibus. Equidem duo articulos heic in unum confluxiſſe crediderim, vel potius articulo a Sequeſtre poſito, qui hic mihi videtur fuiſſe, *Triocala*, *qui & Iſburus*, poſtea obſcuram alicujus ſcioli diligentiam adleviſſe *juxta Alabon Megarenſium.* Poſteriora haec verba huc nullo modo quadrant;

at id commodi nobis praeſtant tamen, ut recte ſupra pag. 66. *Alachin* in *Alabin* vel *Alabon* converſiſſe nos conſtet. Quin *Triocala* legendum ſit, non dubito. Etſi enim oppidi modo, non & fluminis, id nomen occurrat, novimus & vel Caſilini exemplo oſtendimus, ſequioribus ſaeculis urbes frequenter fluviis, quibus aquarum copiam debebant, nomina ſua mutuaſſe. Neque credendum eſt, Vibii induſtriam *Iſburi* amnis, quem ignara librariorum plebecula cum notiori nomine *Aſſori* confudit, mentionem praetermiſiſſe. Nec vero haec conjectura mea impediet, quo minus in rectiorem planioremque, ſi quis forte ſuppeditarit, ſententiam lubens diſcedam. Imo vero alia mihi ipſi ſuſpicio exinde oboritur, quod ſoli Ptolemaeo *Isburus* is amnis notus, quem Cluverius Sic. ant. L. I. c. 18. *fiume di calta Bellotta* ſalutari hodie tradit. Ejus loco apud Stephani epitomatorem occurrit *Coſyrus*, ubi ſic: Κόσυρος, νῆσος καλὰ Σελινοῦντα, τῆ Σικελίας πόταμὸς τῆ πόλις ὁμώνυμος &c. Unde legendum foret apud noſtrum *Triocala*, *qui & Coſyrus*. Atque hoc magis etiam corruptelam vocis in *Aſſorus* verſae excuſaret. Verum Berkelii opera ſi recte ſit emendatus Stephani locus, ſic nunc legendus, Κόσυρος, νῆσος καλὰ Σελινοῦντα, τῆς Σικελίας πόλεμὸν, τῆ πόλις ὁμώνυμος &c. tum profecto nuncius huic admodum veroſimili conjecturae mittendus. Triocala apud Ptolemaeum, intercepta littera, Τριόκλα dicuntur. Stephanus Τρίκαλον & Τρίκαλα vocat, & gentile *Tricalinorum* nomen addit. Cicero in Verrem act. V. *Tricalinum* locum ſalutat. cf. Cluverius L. II. c. 12. Unicum addo. Boccacius quoque peſſime hunc articulum mutuatus eſt a Vibio. Is ita: *Triopolo, qui & Aſſolus, fluvius eſt juxta albomagarenſium.* O.

## Turnus

MS. Rev. *Termus*; at hic amnis eſt Sardiniae. HESSEL. Hujus Turni Umbriae fluvii nemo eſt, qui meminerit. Verum *in Ardeatino frigidi fontes ſunt, . . . qui ſulphurati dicuntur*, teſte Vitruvio de Architectura L. VIII. c. 3. Iſtos

fontes exiguum efficere lacum docet Cluverius It. ant. L. III. c. 5. qui videtur Turni lacus esse cognominatus Columellae Rer. Rust. L. X.

*Et Turni lacus & pomosi Tiburis arva.*

Lacum cum fluvio confudisse nostrum & Umbriae per errorem adscripsisse alienum amnem, nec audacter asseverare nec negare praefracte velim. Forsan & in voce Turnus mendum latet, cui codices quidam *Termus*, *Thermus* substituunt. Boccacius hic silet. O.

## Taygeta

v. Virgilius Georg. L. II. v. 487.

*durare*) In hoc Vib. Sequestrem Joh. Meursius castigat misc. Lacon. L. II. c. 9. quod ex sua negligentia id, quod Eurotae flumini maxime proprium fuit, scilicet natos saevo gelu durare & undis, de monte Taygeto praedicavit. HESSEL.

Non de monte haec praedicat Vibius, sed montem a cognomine fluvio adlui putavit, in quo iste mos a Laconibus sit servatus. Forsan Virgilii verba citata Vibium in errorem induxere. Is ita:

*Flumina amem, sylvasque inglorius, ô, ubi campi*
*Sperchiusque & virginibus bacchata Lacaenis*
*Taygeta* - - -

Simili modo deceptum nostrum variis Lucani maxime locis, supra passim vidimus. Corpora juvenum frigida durare aqua hodieque, qui borealem potissimum plagam habitant, frequenter solent. Lockius etiam vir longe celeberrimus inter praecepta sua instituendae juventutis id ipsum posuit. O.

## Titaressos *lege* Titaresos

v. Homerus Il. II. v. 751.

Οἵ τ' ἀμφ' ἱμερτὸν Τιταρήσιον ἔργ' ἐνέμοντο,
Ὅς ῥ' ἐς Πηνειὸν προΐει καλλίῤῥοον ὕδωρ,
Οὐ δ' ὅγε Πηνειῷ συμμίσγεται ἀργυροδίνῃ,
Ἀλλά τέ μιν καθύπερθεν ἐπιῤῥέει, ἠΰτ' ἔλαιον·
Ὅρκου γὰρ δεινοῦ Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀποῤῥώξ.

ubi

ubi ſcholiaſtes Τιταρήσιον) ποταμὸς Θεσσαλίας, ὃς ἀπὸ τῆς Στυγὸς ῥεῖν λέγεται, ἢ Ἠπείρου. & Lucanus L. VI. v. 375. qui Homeri verba ſic exprimit :

*Solus in alterius nomen cum venerit undae,*
*Defendit Titareſus aquas, lapſuſque ſuperne*
*Gurgite Penei pro ſiccis utitur arvis.*
*Hunc fama eſt Stygiis manare paludibus amnem,*
*Et capitis memorem, fluvii contagia vitis*
*Nolle pati, ſuperum ſibi ſervare timorem.*

HESSEL.

Etiamſi Stephanus Byzantinus in urbe Titarone hujus fluvii meminerit, certum tamen eſt, non niſi ex Homero eum innotuiſſe, cujus deſcriptionem ſequitur Vibius. Secundum Plinium Titareſius fluvius idem eſt cum Eurota, qui in Peneum influit. v. L. IV. c. 8. Aeliano eſt idem hic Peneus, var. hiſt. L. III. c. 1. S. CROIX. Τιταρὼν, πόλις Θεσσαλίας, ἣν Τίταρον Λυκόφρων φησί· Τὸ ἐθνικὸν Τιταρώνιος· Ἔστι καὶ Τιταρήσιος ποταμὸς Θεσσαλίας· Τὸ ἐθνικὸν ὁμοφώνιος Τιταρήσιος. Ita Stephanus Byz. Gentile nomen Titareſii exemplo ſtabilitur Mopſi apud Apollonium Rhod. L. I. v. 65. Urbs iſta Titarus abſque dubio adſtructa fuit monti Titaro, ex quo Olympum finibus ſuis attingente, Strabo L. IX. p. 441. Titareſium oriri dicit. Τιταρήσιον, ita ille, ὃς ἐξ ὄρους Τιτάρου συμφυοῦς τῷ Ὀλύμπῳ ῥέων, εἰς τὰ πλησίον τῶν Τεμπῶν χωρία τῆς Περραιβίας, αὐτοῦ που τὰς συμβολὰς ποιεῖται πρὸς τὸν Πηνειόν. Addit, Penei aquam eſſe puram; Titareſii contra pinguem ex quadam materia, unde Homerus olei in morem ejus aquas aquis Penei ſupernatare ſcribat. Repetit ex hac Strabonis doctrina robur maximum conjectura Caſauboni, qui in epitome L. VII. p. 330. ubi legebatur αἱ δὲ Εὐρώπου ποταμοῦ πηγαὶ ἐκ τοῦ Κιταρίου ὄρους ἄρχονται, ὅ ἐστιν συνεχὲς τῷ Ὀλύμπῳ, jubet reponi ἐκ τοῦ Τιταρίου item pro Εὐρώπου vult Εὐρώτου, forſan rectius Εὐρώτα. Sic enim Geographus L. XI. p. 440. οὐ πολὺ ἄποθεν τοῦ Εὐρώτα ποταμοῦ, ὃν ὁ ποιητὴς Τιταρήσιον καλεῖ. Itaque Strabonis ſententia erit haec, ex Titaro monte, qui Olympo contiguus fuerit, defluxiſſe Tita-

reſium, alias Eurotam ſalutatum. Apud Plinium quoque L. IV. c. 8. *Euroton* credidit legendum Barbarus; ſed Harduino teſte in ſcriptis libris eſt *Orcon*, ut proinde pateat, ex quo fonte in Vibium id nomen manarit. Simul credo ex Vibio roborari iſtam lectionem Plinii, quam antiquo jam obtinuiſſe aevo patet. Unde recte ſic legitur: *Peneus . . accipit amnem Orcon, nec recipit, ſed olei modo ſupernatantem, ut dictum eſt Homero, brevi ſpatio portatum abdicat: poenales aquas diriſque genitas, argenteis ſuis miſceri recuſans.* Diverſum ab Eurota fluvium perhibent Geographi recentiores Titareſum. In his D'Anvillius hunc longe inferius in Peneum incidentem ſiſtit, quam iſtum. Forſan nominis antiqui umbra quaedam reſtat in hodierno, mihi ignoto. Titareſſon urbem Armeniae minoris in Melitene reponit Ptolemaeus L. V. c. 7. O.

## Vulturnus

Caſilinum ſupra dixerat noſter. v. p. 8. cf. p. 97. Maximus Campaniae fluvius eſt Vulturnus ſive, ut Varro de LL. L. IV. effert, Volturnus, hodieque priſco nomine inſignis. Cluverius Ital. ant L. IV. c. 2. ex pluribus veterum locis inter ſe collatis, genuinum prius germanumque apud accolas amnis nomen fuiſſe cenſet Ἀλθυρνος, ex quo poſtea Romani fecerint Volturnus, ac tandem Vulturnus. Oppidum Vulturnum Livius L. XXV. c. 20. caſtellum vocat ad fluminis oſtium locatum. Atque vel nunc *Caſtel di Volturno item Caſtello a mar di Volturno* ſalutatur. Juxta Puteolos oppidum dicit noſter Vulturnum oppidum, ſatis late. Inter Sinueſſam & Cumas vel Puteolos novam viam ſtravit Domitianus Imp. quam Statius L. IV. carmine 3. celebravit, ſimulque pontem cum arcu triumphali in Vulturno fluvio ſtruxit. Hinc eleganter Statius l. c.

*At, flavum caput humidumque late*
*Crinem mollibus impeditus ulmis,*
*Vulturnus levat ora; maximoque*
*Pontis Caeſarei reclivis arcu*

*Pandis talia faucibus redundat;*
*Camporum bene conditor meorum,*
*Qui me vallibus aviis refuſum*
*Et ripas habitare neſcientem*
*Recti legibus alvei ligaſti.*
*Et nunc ille ego turbidus minaxque*
*Vix paſſus dubias prius carinas*
*Jam pontem fero; perviuſque calcor;*
*Qui terras rapere & rotare ſilvas*
*Adſueram, pudet! amnis eſſe coepi.*
*Sed grates ago. Servituſque tanti eſt;*
*Quod ſub te duce, te jubente, ceſſi;*
*Quod tu maximus arbiter; meaeque*
*Victor perpetuus legere ripae.*
*Et nunc limite me colis beato;*
*Nec ſordere ſinis; malumque late*
*Deterges ſterilis ſoli putorem;*
*Ne me pulvereum gravemque coeno*
*Tyrrheni ſinus obruat profundi . . .*
*Sed talis ferar, ut nitente curſu*
*Tranquillum mare proximumque poſſim*
*Puro gurgite provocare Lirim.*
*Haec amnis . . .*

Ergo hoc demum Domitiani beneficio amnis coepit eſſe Vulturnus, puraſque volvere undas & juſto ferri alveo. O.

## Virbius

*Hippolytum*) v. Virgilius Aen. L. VII. v. 765. Ovidius faſt. L. VI. v. 737. & metam. L. XV. v. 497. cf. & Servium ad Virg. l. c. & Munckerum ad Hyg. fab 274. HESSEL.

Sententiam Ortelii ambabus amplector ulnis, Vibium heic nomen hominis fluvio tribuere pronunciantis. Nemo uſquam Virbium flumen nuncupatum memoriae prodidit, at Hippolytum ita dictum complures. Erroris fons forſan apud Ovidium quaerendus, qui faſtorum l. c. poſtquam Hippolyti ab equis diſcerpti, ſed ab Aeſculapio mox in vitam revocati,

fatum enarravit, Aricini nemoris v. 756. mentionem facit, in quo Dianae ſacris iſte vacare ſit ſolitus:

*Lucus eum nemoriſque tui, Dictynna, receſſus*
*Celat, Aricino Virbius ille lacu.*

Lacum quum vidit Sequeſter, fluvium ex eo orientem cogitavit cognominem. Virgilius fabellam Hippolyti totam clare ſatis exponit l. c. ut is *turbatis diſtractus ſit equis & occiderit, ut Paeoniis revocatus ſit in vitam herbis,*

*Ut pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris*
*Mortalem infernis ad lumina ſurgere vitae,*
*Ipſe repertorem medicinae talis & artis,*
*Fulmine Phoebigenam Stygias detruſit ad undas.*

*At Trivia*, ita nunc pergit, *Hippolytum ſecretis alma recondit*

*Sedibus & Nymphae Egeriae nemorique relegat;*
*Solus ubi in ſilvis Italis ignobilis aevum*
*Exigeret, verſoque ubi nomine Virbius eſſet.*

Virbii nomen Servius ad hunc locum inde deducit, quod *quaſi bis virum vocari juſſerit Diana Hippolytum.* Quod quidem etymon, ſi quod unquam, quam maxime claudicat. Scholiaſtes Perſii ad Sat. VI. v. 56. ita dictum refert Hippolytum, quod *bis in vitam prolatus ſit.* Idem *quatuor millibus ab urbe Virbii clivum abeſſe* memorat, *qua eſt iter ad Ariciam & ad nemus Dianae, ubi Virbius colitur.* O.

## Ufens

Plinius L. III. c. 5. *Dein flumen Ufens, ſupra quod Terracina oppidum, lingua Volſcorum Anxur dictum.* Apud Feſtum ſcribitur *Oufens*, unde Oufentina tribus. Strabo L. V. p. 233. Ἄνφιδον dicit. Ubi enim de Tarracina, prius, uti vult, Trachina vocata dixit, addit iſta: πρόκειται δὲ αὐτῆς μέγα ἕλος, ὃ ποιοῦσι δύο πόλεμοι· καλεῖται δ' ὁ μείζων Ἄνφιδος. Palus, quam memorat, Pomptina eſt. Eam duo maxime fluvii implebant Amaſenus, de quo ſupra, atque Ufens. Strabonem ſcripſiſſe Οὔφιος, ſuſpicatur Xylander, quem recte

Ἄυφιδον in Aufentem mutaſſe, judicat Caſaubonus. Cluverius contra perperam viros doctos apud Strabonem legendum ſuaſiſſe cenſet Οὐφις. Non enim temere mutandam eſſe vocalem; utique, quum hodieque vocetur amnis *L'Aufente*, & antiquiſſimis illis temporibus fuerit *Oufens*. Alio nomine hodie quoque *il portatore* nuncupatur. De curſu fluvii audiendus Virgilius Aen. VII. v. 802.

*gelidusque per imas*
*Quaerit iter valles, atque in mare conditur Ufens.*

itemque Silius Italicus L. VIII. v. 381.

*& atro*
*Liventes coeno per ſqualida turbidus arva*
*Cogit aquas Ufens, atque inficit aequora limo.*

Praeter hunc Ufentem noſtrum alium quoque Galliae Ciſalpinae tribuit Boccacius, quem inter & Atheſim Senones habitarint. Iſta Livio debet iſte, apud quem L. V. c. 35. haec habes: *Tum Senones, recentiſſimi advenarum, ab Uſente flumine uſque ad Atheſin fines habuere.* Verum heic mira inter ſe conſenſione veteres libri habent *Utente*, teſte Sigonio, qui vitioſo *Atheſin* quoque ſubſtituendum ex Strabone docet *Aeſin*. O.

## Varus

*Galliam*) v. Lucanus L. I. v. 404. & Servius ad Virg. Aen. L. I. v. 1. *Iſto tempore, quo Aeneas ad Italiam venit, finis erat Italiae uſque ad Rubiconem fluvium . . . Unde apparet, Antenorem non ad Italiam veniſſe, ſed ad Galliam Ciſalpinam, in qua Venetia eſt. Poſtea vero, promotis uſque ad Alpes Italiae finibus, novitas creavit errorem.*

*ante*) v. Savaro ad Sidon. L. I. ep. 5. HESSEL.

Perperam haec noſtri verba cepit Ortelius ſub voce *Virbius*, qui fruſtra ſuccenſet Vibio, quod Varum antea vocatum Rubiconem tradat. Non id ſibi vult Vibius, ſed olim Rubiconem diſterminaſſe Italiam a Gallia ſcribit, poſtea Varum. Traxit autem iſta ex Lucano, qui loco laudato ſic:

*Finis & Heſperiae promoto limite Varus.*

Sic & Plinius L. III. c. 4. *amne Varo ab Italia diſcreta Narbonenſis provincia.* Hodieque *Varo* vocatur. O.

## Ululeus

Hodie *Argentea* dicitur in tabula Graeciae D'Anvillii. In tabula Caſtaldi Ortelius invenerat *Argento.* Idem Vibii locum citat ſic: *Ululeus fluvius Dyrrachii eſt, ex quo Dyrrachio miniſtrantur aquae.* Verum ita Boccacius habet, ita quoque in editis eſt Vibii libris. Paullo aliter in ſcripris, quos ſumus ſecuti. Dubium eſt de caetero, *Ululeus* an *Ululeus* recte dicatur, nemini praeter noſtrum notus. Sedulitatem Vibii, in Dyrrachina topographia conſpicuam, ſupra animadvertimus p. 71. O.

## Veſtinus

Non videtur Vibius ſat bene Lucani verba percepiſſe. ita enim ille L. II. v. 422.

*delabitur inde,*
*Vulturnuſque celer, noctturnaeque editor aurae*
*Sarnus, & umbroſae Liris per regnâ Maricae*
*Veſtinis impulſus aquis.*

ubi Liris dicitur Veſtinis impulſus aquis, non autem Sarnus. Etenim a Veſtino populo haud longe recedit Liris, longiſſime vero Sarnus. Equidem opinor, ſic male intellecto Lucano, natum eſſe Veſtinum Campaniae flumen. HESSEL.

In Mediolanenſi & Pariſinis codicibus iſtum articulum deſiderari ſuo loco diximus. Cluverium Ital. ant. L. III. c. 10. atque Camillum Peregrinum de Campania Felice Diſſ. II. c. 7. ſi conſulamus, apud Lucanum legendum eſt

*Veſcinis impulſus aquis.*

Scilicet praeter agrum *Veſtinorum*, qui inde a fontibus Vomani, Matrini & Aterni ad mare habitabant, erat & ager *Veſcinus*, Ciceroni memoratus de lege Agraria contra Rullum II. 25. ubi ſic: *Albanus ager eſt: Selinus, Privernas, Fundanus, Veſcinus, Falernus, Liternus, Cumanus, Caſi-*

*nas* &c. Etiamſi enim hic codices nonnulli habeant *Veſtinus*, ordo tamen ipſe, quo haec agrorum ſeries recenſetur, manifeſto eſt indicio, de Veſtino ſermonem Oratori eſſe non poſſe. Intelligendus eſt ager *Veſciae*, urbis Auſonum, de qua Livius L. IX. *Caeterum Auſonum gens proditione urbium, ſicut Sora, in poteſtatem venit, Auſona & Minturnae & Veſcia urbes erant.* Ut autem hoc loco legas *Veſcia*, Sigonio debes, mi lector. Nam veteres libri habebant alii *Veſtitia*, alii *Veſtia*. Acute vir doctus ex Stephano locum emendavit, qui ſic: Βεσκία πόλις Αυσόνων. Ejuſdem Livii & alius locus L. X. c. 21. citato robur addit. *Itaque placuit, ut duae coloniae circa Veſcinum & Falernum agrum deducerentur: una ad oſtium Liris fluvii, quae Minturnae appellata; altera in ſaltu Veſcino, Falernum contingente agrum.* Quae quidem Livii verba cum Lucano collata conjecturam Cluverii & Peregrini confirmant abunde. Neque tamen auſim, hunc ſecutus, apud Vibium pro *Veſtino* reponere *Veſcinum*; quippe admodum veroſimile eſt, corruptum Lucani librum ob oculos habuiſſe Sequeſtrem. Denique, quod Heſſelius Sarnum cum Livio confudiſſe Vibium pronuntiat, idem & Peregrinus notavit. O.

## Xanthus

v. Servius ad Virgilii Aen. L. I. v. 477. *Xanthum fluvium Trojae.* Virgilius Aen. L. III. v. 497. & v. 350. L. X. v. 69. Dionyſius v. 819. Priſcianus perieg. 783.

*ex Ida*) v. Homerus Il. XII. v. 19.

*Simoenti*) v. Plinius H. N. L. V. c. 30. *Dein portus Achaeorum, in quem influit Xanthus Simoenti junctus.* cf. & Scholiaſtes ad Hom. Il. L. VI. v. 4. ubi Σιμόεις καὶ Ξάνθος ποταμοὶ Τρωάδος.

*in Propontidem*) Cellarius G. A. L. III. c. 3. p. 59. *Lapſus eſt Propontidem vocans, qui Helleſpontus eſt, excipiens haec cuncta flumina.* Generatim loquitur Virgilius Aen. L. V. v. 807.

*nec reperire viam, atque evolvere poſſet*
*In mare ſe Xanthus.*

& ſcholiaſtes Hom. ad Il. L. II. verſ. 465. Ὁ δὲ Σκάμανδρος καλαφερόμενος ἀπὸ τῆς Ἴδης, ἡ μέσον τέμνων τὸ ὑπὸ τῇ Ἰλίῳ πεῖσινον πεδίον, ἡ ἐπὶ τὰ ἀριστερὰ ἐκδιδὰς εἰς θάλασσαν. Καλεῖται δὲ Ξάνθος. HESSEL. Troja ad Helleſponti fauces ſita talis Vibium arguit erroris, oſtenditque non poſſe in Propontidem fundi Xanthum. Homerus de eo fluvio ita Il. L. XX. v. 74.

ὃν Ξάνθον καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον,

quae verba, quantum mihi videtur, ita ſunt capienda, Scamandrum olim Xanthi nomine veniſſe, quo raro uſum ſit vulgus. S. CROIX.

*Ex Ida* &c.) Haec deſunt in MS. Med. nec ab Sequeſtre ſcripta ſunt. Nam Xanthus Troadis fluvius non fluit in Propontidem, ſed in Helleſpontum. v. Strabo L. XIII. p. 590. Plinius L. V. c. 30. Euſtathius ad Dionyſius perieg. v. 847. Ἔνθα ἡ ὁ Ξάνθος ποταμός ἐστιν, ἄλλος παρὰ τὸν Τρωϊκὸν, τὸν ἡ Σκάμανδρον. GRONOV.

*Scamandrum*) vid. Nic. Erythraeus ind. in Virg. Xanthus & Iſ. Voſſius obſ. ad Catull. epithal. Thet. & Pel. p. 247. Horatius epod. L. od. 13. v. 14. & ibi Cruquianus enarrator. HESSEL.

*equi Hect. & Ach.*) v. Homerus Il. L. VIII. v. 185. & L. XIX. v. 400. HESSEL. Fuit & nomen equi Diomedis, v. Hyginus fab. 30. atque inde equos nobiles hoc nomine inſigniverunt Graeci, ut apparet ex Ariſtophane in Nub. Act. I. ſc. 1. v. 64. De equo Achillis v. & Homerus Il. τ. v. 398. 404 & 420. Lucianus in Gallo p. 159. CLAUD.

In marmore apud Gruterum pag. CCCXLI. inter varia equorum nomina occurrit *Sancto*: at neſcio equidem, an hoc unquam fando ſit auditum; forſan in lapide erat *Xantho*. O.

## Xanthus

v. Lutatius ad Stat. Theb. L. IV. v. 837. *Xanthus uterque, quia Lyciae & Trojae eſt*, cf. & Scholiaſtes Hom. ad Il. L. II. v. 877. it. Homerus Il. L. VI. v. 172. Virgilius Aen. L. IV.

v. 143. HESSEL. *Xanthus* is olim dictus eſt *Sirbes*. Adverſo hoc flumine per decem ſtadia ad templum Latonae advehebantur navigantes & per LXX. ſtadia ad Xanthum uſque principem Lyciae urbem; inde iter deducebat Pataram. v. Strabo L. XIV. p. 458. εἶθ' ὁ Ξάνθος ποταμὸς, ὃν Σίρβιν ἐκάλουν οἱ πρότερον, ἀναπλέυσασιν δ' ὑπηνέμοις δέκα σταδίοις τὸ Λητῶον ἐστίν· ὑπὲρ δὲ τοῦ ἱεροῦ προελθόντι ἑξήκοντα, ἡ πόλις ἡ τῶν Ξανθίων ἐστὶ, μεγίστη τῶν ἐν Λυκίᾳ. cf. & Ptolemaeus L. V. c. 3. Pomp. Mela L. I. c. 15. Plinius L. V. c. 27. Hierocles Synecdem. p. 684. Iſti cum aliis quoque Xanthum urbem memorant, cujus tamen nomen in Scylacis periplo non legitur. Ita ille habet: καὶ Ξάνθος, δι' οὗ ἀνάπλους εἰς Πάταρα πόλιν &c. peripl. p. 37. edit. Voſſ. Me quidem judice tranſponendae ſunt voces, quarum ordinem turbavit ſcribarum inſcitia. Conjunctiva καὶ ſatis indicat, legendum Ξάνθος καὶ ποταμὸς &c. Sed, ut ad templum Latonae redeamus, id dubio procul eo loco ſitum erat, ubi iſta Dea ex aquis Xanthi ſitim reſtinxerat & ſobolem ſuam abluerat. Dicatus fluvius Apollini erat, qui hiberno ſemeſtri Patarae, aeſtivo apud Delum fundebat oracula. v. Servius ad Aen. L. IV. c. 143. Antoninus Liberalis metamorph. c. 35. S. CROIX.

Apud Stephanum in Τρεμίλη, ubi male habes

Σίρβῳ ἐπ' ἀργυρίῳ ποταμῷ παρὰ δινήεντι

legere par eſt Σίρβῳ &c. Bochartus in Chanaane L. I. c. 6. derivat vocem *Sirbae* vel *Sirbi* ex זרבי *Zirbi*, quod apud Arabes *flavum* ſeu *rubentem* ſonat. Simile fere nomen eſt *Zerbis* fluvii, quem in Tigrim cadere tradit Plinius L. VI. c. 26. quemque ab Hebraico זרב dictum autumat idem Bochartus in Phalege L. IV. c. 19. quod *more torrentis effluere* ſignificat. O.

# AD FONTES

## Aganippe

Servius ad Virgilii Ecl. X. v. 12.

*nam neque Pindi*
*Ulla moram fecere, neque Aonia Aganippe.*

ita: *Aganippe eſt fons Boeotiae, quae & Aonia dicitur . . Callimachus Aganippen fontem eſſe dicit Permeſſi fluminis.* HESSEL. Iſta de Callimacho repetit & ſcholiaſtes vetus ad Juvenalem Sat. VII. v. 6.

*cum, deſertis Aganippes*
*Vallibus, eſuriens migraret in atria Clio.*

Interim locus ipſe Cyrenaei Poetae, qui in opere quodam ipſius de fluviis Suidae citato extitiſſe videtur, nunc eſt in deperditis. v. edit. Spanhemii pag. 354 & 422. Inter Boeotiae fontes Aganippe recenſetur a Plinio L. IV. c. 7. *fontes in Boeotia, Oedipodia, Pſamathe, Dirce, Epicrene, Arethuſa, Hippocrene, Aganippe, Gargaphie*, ubi ab Hippocrene diſtinguitur, quemadmodum & apud Solinum in polyh. c. 12. Intelligitur inde, Ovidium Faſtor. L. V. v. 7. ubi ita Muſas invocat:

*Dicite, quae fontes Aganippidos Hippocrenes*
*Grata Meduſaei ſigna tenetis equi.*

non eo dicere Aganippidem Hippocrenen, quod eos fontes pro uno eodemque haberet, uti putavit Rob. Stephanus in theſ. L. L. ſed quod loco eſſent vicini. Ad Heliconem uterque manabat. De Aganippe Pauſanias in Boeoticis cap. 29. Ἐν Ἑλικῶνι δὲ πρὸς τὸ ἄλσος ἰόντι τῶν Μουσῶν, ἐν ἀριστερᾷ μὲν ἡ Ἀγανίππη πηγή. Nympha fontis Aganippes, eodem gaviſa nomine, Termeſſi vel Permeſſi forſan fluvii, de quo ſupra pag. 161. filia fuiſſe fertur, eodem auctore Pauſania. Ad declarandum etymon Aganippes facit citatus Ovidii locus. Scilicet, ut Feſtus refert, *Pegaſus quem fontem ictu ungulae aperuit, appellatus eſt Hippocrene.* Simili modo Aganippe ab

ἔγαν & ἵππος dicta creditur, quaſi *valde ab equo formata*; id eſt, terra a Pegaſo valide percuſſa. *Hyanteam* appellat Ovidius Aganippen Metam. L. V. v. 312. quod Boeotiae incolae olim Hyantes nuncupari conſueverint. v. Strabo L. IX. p. 401. cf. Plinius L. IV. c. 6. Rationem ſi quaeras, alii a Rege Hyante deducunt; Pindarus a Strabone L. VII. p. 321. citatus ὗας, ſues, dictum eſſe Βοιώτιον ἔπος commemorat. Reſtat, ut Muſis & Apollini ſacrum fuiſſe fontem dicam, unde *potus inſpirationem facere litterarum* praedicat Solinus l. c. Aganippides quoque Muſae nonnunquam vocantur; non Aganippae, ut refert Boccacius. O.

## Acidalia

Servius ad Virgilii Aen. L. I. v. 724. *Acidalia Venus dicitur, vel quia injicit curas, quas Graeci ἀχείδας dicunt, vel certe a fonte Acidalio, qui eſt in Orchomeno Boeotiae civitate, in quo ſe Gratiae abluunt, quas Veneri conſtat eſſe ſacratas. Ipſius enim & Liberi filiae ſunt.* HESSEL. *Acidalius* erat ſcribendum, non *Acidalia*, nec *Acidalis*, ut apud Boccacium extat, qui praeterea in exponenda vocis origine plus ſatis ineptit. Habet & *Aciduſam* in Boeotia fontem Plutarchus in Problematibus, ab Acidalio noſtro forſitan haud diverſam. O.

## Arethuſa

Servium videſis ad Virgilii ecl. X. v. 4. & Aen. L. III. v. 694. Lutatium ad Statii Theb. L. I. v. 271. Scholiaſten Pindari ad Pynth. od. 3. v. 120. Schol. Theocriti ad Idyll. I. v. 117. Hanc Arethuſam in muliebrem figuram habitumque formatam videre in Syracuſiorum NN. videtur Begerus theſ. Brand. ſel. pag. 384. HESSEL. Arethuſam Siciliae eandem eſſe, quae prope Olympiam Peloponneſi terra ſe condat, non Poetae modo, ſed & Philoſophi & Hiſtorici tradunt. Hodieque accolas in eadem opinione verſari, teſtatur Brydone in itinere Siculo epiſt. XII. qui praeterea obſervat,

mediocri ab Arethuſa intervallo ingentem aquae dulcis fontem reperiri, ex profundo mari ebullientem. *Oculus Zilicae* (*occhio di Zilica*) ab aliis, ab aliis *Alpheus* ſalutatur, quem ſubter mediterraneum mare in Siciliam uſque perſecutum Arethuſam referunt Poëtae. Fons iſte, veteribus ignotus, forſan ad ipſum Arethuſae fontem pertinet, cujus pars videri poſſit. Ceterum his ſimilia L. Baro de Riedeſel deprehendit & alibi, ut prope Tarentum, prope Bajas, prope Genuam. Demum & illud notandum, ſub Alphei & Arethuſae nomine in gemma quadam muſei regis Galliae repraeſentari Germanicum & Agrippinam. Siſtitur illa apud Montefalconium in Antiq. expl. T. III. Pl. VII. 2. Porro Alpheus in Arethuſae fontem illabens occurrere creditur in marmore quodam palatii Farneſiani, quod juvenem exhibet, qui recta ſeſe per delphinem trajicit & quaſi jaculatur. Imaginem Arethuſae cernere datur apud Gronovium in theſ. Antiq. Graec. Vol. II. item in Lippertii Dactyliotheca Mill. II. n. 94. Qui plura de Arethuſa noſſe deſiderat, is Cluverium adire poterit, qui Sic. ant. L. I. c. 12. ex frequentibus veterum locis docet, in Ortygia inſula ebulliiſſe fontem, qui protinus fluvium in mare emittebat; fuiſſe nitidiſſimi & perlucidi ad imum ſtagni, aquae dulcis, pleniſſimum piſcium, qui ſacri habebantur, adeo, ut ſi quis in cibi uſum eos vertere eſſet auſus, manifeſtam numinis iram ſentiret. Porro plurimos quidem veterum tradere oſtendit

*Alpheum . . . huc, Elidis amnem,*
*Occultas egiſſe vias ſubter mare . . .*

& Arethuſam feciſſe fontem; aliis contra placere, non ſubter ſed ſuper mare Alpheum fluere ad Ortygiam uſque; aliis, in Sicilia naſci Arethuſam & venienti fluvio occurrere. Primae iſti vulgatiſſimae olim opinioni robur conciliaſſe fabulam ex Strabone narrat, qua pateram, apud Olympiam in Alpheum prolapſam, ad fontem Arethuſam fuiſſe delatam perhibebant; quin & ipſius Delphici Apollinis voce eandem ſententiam ſtabilitam eſſe Pauſanias tradidit. „ Eſt enim omne „ hoc, ita porro Cluverius, de Alpheo & Arethuſa nego-

„ tium nil niſi priſcorum ſacerdotum figmentum, poëtarum „ poſtmodo carminibus concelebratum. „ Porro, quae Brydonius de duplici fonti refert, altero Arethuſae, altero Alfei ex oculo Zilicae emergente, eadem jam Aretius & Mirabella, ille in chorographia Siciliae, hic in Syracuſarum topographia docuerat, quorum loca profert Cluverius. „ At priſci illi mortales, ita rurſus idem, non hoc fonte „ Alpheum emergere, ſed ipſo Arethuſae ore tradiderunt. „ Cluverii doctrinam, contra Jac. Bonanni ſugillationes, quibus eam in Syracuſis illuſtratis inſectatur, defendit D'Orvillius in Siculis T. I. cap. 11. qui ſimul adjicit, hodie Arethuſae aquam non niſi lavandis veſtibus intra murum inſervire; extra murum ad decimum uſque paſſum & ultra in ipſo mari eum fontem continuo aquarum motu cognoſci, quouſque ejus ſcaturiginem pertinere certum eſt. Munimentum etiam, & molem, quibus, Cicerone teſte in Verrina IV, a fluctu defendebatur, nunc magna ex parte evanuiſſe itemque piſces, quibus abundabat olim. Arethuſae nomen denique & urbibus quibuſdam in Macedonia, in Syria, in Arabia commune fuit. Quin & fontes cognomines occurrunt Syracuſano in inſula Ithaca, in Euboea, in Magna Graecia, alibi. v. Ortelius. O.

## Clitumnus

*Clitumnus Umbriae* inquit Vibius de flumin. Siquis autem miraris, quomodo *Clitumnus Mevaniae* idem aiat de font. habe teſtimonia ſcriptorum; qui verbis quaſi praeierint. De flumine loquitur Virgilius Georg. L. II. verſ. 146. (locum vide p. 101.) Propertius item L. II. eleg. XV. verſ. 25.

*Qua formoſa ſuo Clitumnus flumina luco*
*Integit, & niveos abluit unda boves.*

De fonte & flumine agit Plinius L. VIII. epiſt. 8. ubi Clitumnus pulcherrime depingitur. Quin etiam lacus dicitur Philargyrio ad Virgilii Georg. L. II. verſ. 147. *Clitumnus & Deus & lacus in finibus Spoletinorum, ex quo bibentia pecora*

*alba fiunt.* Cujus auctoritas (de qua Paſcaſ. Groſippus, ſeu potius Gaſp. Scioppius, inſpiciendus eſt parad. litter. epiſt. XIII. pag. 65 edit. Amſtel. 1659.) ſi non minimum valeat, poteſt inde lux dari Propertio L. IV. eleg. 1. verſ. 121.

*Umbria te notis antiqua penatibus edit.*
*Mentior? an patriae tangitur ora tuae?*
*Qua nebuloſa cavo rorat Mevania campo,*
*Et lacus aeſtivis intepet Umber aquis.*

Clitumno gurgitem tribuit Claudianus epigr. IV. verſ. 3.

*Non tales, Clitumne, lavas in gurgite tauros,*
*Tarpeio referunt quos pia vota Jovi.*

Et fontem & flumen loquitur idem poëta de ſext. conſ. Honor. verſ. 506, ſi attinet hoc omne ad Clitumnum, quod non autumat Caſp. Barthius;

*Quin & Clitumni ſacras victoribus undas,*
*Candida quae Latiis praebent armenta triumphis,*
*Viſere, cura fuit. nec te miracula fontis*
*Praetereunt: tacito paſſu quem ſiquis adiret,*
*Lentus erat; ſi voce gradum majore citaſſet,*
*Commiſtis fervebat aquis. Cumque omnibus una*
*Sit natura vadis, ſimiles ut corporis umbras*
*Oſtendant; haec ſola novam jactantia ſortem*
*Humanos properant imitari flumina mores.*

Quidquid ſit, inter omnes conſtat, Clitumnum Umbriae amnem eſſe, & Mevaniae quidem in ea regione oppidi. Silius L. VIII. verſ. 447.

*Sed non ruricolae firmarunt robore caſtra*
*Deteriore cavis venientes montibus Umbris.*
*Hos Aeſis, Sapiſque lavant, rapidaſque ſonanti*
*Vertice contorquens undas per ſaxa Metaurus;*
*Et lavat ingentem perfundens flumine ſacro*
*Clitumnus taurum. . . . . .*
*His urbes, Arna, & latis Mevania pratis.*

& L. IV. verſ. 545.

*Huic cadit infelix niveis Varenus in armis,*

*Mevanas Varenus, arat cui divitis uber*
*Campi Fulginia, & patulis Clitumnus in arvis*
*Candentes gelido perfundit flumine tauros.*

Itaque Statius L. I. ſilv. IV. verſ. 128.

*nec ſi vacuet Mevania valles,*
*Aut praeſtent niveos Clitumna novalia tauros,*
*Sufficiam.*

& Servius ad Virg. Georg. L. II. verſ. 146. *Clitumnus autem fluvius eſt in Mevania, quae pars eſt Umbriae partis Tuſciae.* nec non Philargyrius; *Clitumnus amnis eſt Umbriam a Tuſcia dividens. Significat autem boves Mevanienſes, qui ſunt albi.* Ceterum nullus eſt fluvius, cui ſuus non adſcribatur fons. Quare rectius, me judice, Clitumnum haud adnumeraſſet inter fontes Sequeſter. Neſcio denique, an ſat recte apud Plinium nat. hiſt. L. II. cap. 103. legatur; *In Faliſco Clitumni amnis aqua pota candidos boves facit* pro *in Faliſco omnis aqua:* quamvis adſtipulentur MSS. codices, neque lectionem iſtam improbet de la Cerda ad Virg. loc. dict. quandoquidem eſt incredibile Faliſcum agrum, & tam late patuiſſe, & ad Clitumnum pertinuiſſe. Sed animadverto, Joann. Harduinum §. 89. not. & emend. ad Plin. meas partes jam praeoccupaſſe, & multo ante eum Sigiſm. Gelenium. Poſtremo Max. Miſſon nov. itiner. Ital. Gallice ſcripto epiſt. XXI. pag. 330. tom. I. ſcripſit ſuper hodierno ſtatu Clitumni.

*Mevaniae*) MS. Rev. *Mevaniae. Mevenates* apud Jac. Sponium miſcell. erud. antiq. ſect. V. pag. 183. ſic; *Mevanates* apud Plinium nat. hiſt. L. III. cap. 14, aut apud Silium loc. ſupra deſignato *Mevanas*, ſecus eſt: quod ἰθυντὸν alteri praepono. HESSEL.

Μευανίας Straboni L. V. p. 222. GRONOV.

## Clanius

v. Virgilius Georg. L. II. v. 225.

*& vacuis Clanius non aequus Acerris.*

& Servius ad h. l. dein Silius It. L. VIII. v. 536.

*& Clanio contemtae ſemper Acerrae.* HESSEL.

*Acerrae*) ſic Codex Med. Eſt tamen pluralis numeri. GRONOV. Acerrae videtur ſcripſiſſe Vibius, cujus rei teſtes ſunt membranae. Neque obeſt, quod vitium inſit voci, quippe cui ſimilia inveniuntur apud noſtrum. Boccacii eſt illud, *eſt apud Acerras*, unde librarius quis homo tranſcripſit. O.

*meditatur peſtem*) hoc poëſim redolet: etenim tali modo Horatius L. IV. od. 14. v. 25.

*Sic tauriformis volvitur Aufidus,*
*Qui regna Dauni praefluit Appuli;*
*Quum ſaevit, horrendamque cultis*
*Diluviem meditatur agris.*

ubi *meditatur* praefert vulgato *minitatur* Dionyſ. Lambinus. Is autem dicit praelatam lectionem agnoſcere Porphyrionem. Eſt ita, ut ait: verum eam non probat grammaticus ille *Male*, aiens, *dixit meditatur, quia in ipſo actu eſt; nec debet cogitare, aut condiſcere id, quod jam facit. Meditatur* agnoſcit etiam Acron: qua de voce conſulito enarratores Horatii, Jac. Cruquium, Laev. Torrentium & Andr. Dacerium.

*peſtem*) Super hujus vocabuli ſignificatione Cyriac. agit Guntherus Latin. reſtit. §. 1348. *Peſtis* hic ſignificat *perniciem*, quo verbo Tacitus ann. L. I. cap. 79. utitur in re ſimili. *Actum*, inquit, *deinde in ſenatu ab Arruntio & Atcio, an ob moderandas Tiberis exundationes verterentur flumina & lacus, per quos augeſcit. Auditaeque municipiorum & coloniarum legationes; orantibus Florentinis, ne Clanis ſolito alveo demotus in amnem Arnum transferretur, idque ipſis perniciem adferret.* & reliqua lege. Horatii *diluviem* interpretatur Cruquianus interpres *horrendum aquarum impetum cum everſione agrorum.* Verum enimvero neque Clanius hic eſſe debebat in numero fontium. HESSEL.

Clanius male fontibus accenſetur. Duplicem Campania habuit Clanim fluvium, quorum alter idem cum Liri, de quo ſupra pag. 139. alter idem cum Literno, cujus hic meminit noſter.

noſter. Uterque diſtinguendus ab alio Hetruriae, qui incidit in Tiberim: Hic hodie *Chiana* ſalutatur, ille *Glanio* v. *Lagno*, iſte *Garigliano* audit. O.

## Caſtalius

Canentem audito Statium Theb. L. I. v. 562.

*Poſtquam caerulei ſinuoſa volumina monſtri*
*Terrigenam Pythona Deus ſeptem orbibus atris*
*Amplexum Delphos, ſquamiſque annoſa terentem*
*Robora, Caſtaliis dum fontibus ore triſulco*
*Fuſus hiat, nigro ſitiens alimenta veneno,*
*Perculit, abſumtis numeroſa in vulnera telis . .*

his verſibus aemulatus eſt Ovidium, qui metam. L. I. verſ. 441. ſic canit;

*Hunc Deus arcitenens, & numquam talibus armis*
*Ante, niſi in damis capreiſque fugacibus, uſus,*
*Mille gravem telis, exhauſta paene pharetra,*
*Perdidit, effuſo per vulnera nigra veneno.*

ut illis ejuſdem L. I. verſ. 696.

*Phoebe parens, ſeu te Lyciae Pataraea nivoſis*
*Exercent dumeta jugis, ſeu rore pudico*
*Caſtaliae flavos amor eſt tibi mergere crines,*
*Seu Trojam Thymbraeus habes; . . .*

illis, inquam, Statius aemulatus eſt Horatium; qui L. III. ode 4. verſ. 61. ſic canit:

*Qui rore puro Caſtaliae lavit*
*Crines ſolutos; qui Lyciae tenet*
*Dumeta, natalemque ſilvam,*
*Delius, & Patareus Apollo.*

Unam aemulationem nemo, quod ſciam, interpres adnotavit; alteram autem Acron & Cruquianus enarrator: ſed in utriuſque commentariis mutili exſtant atque hiantes verſus Papinii. De reliquo, ſi *Caſtalius* dicatur, requirit ea vox vocem *fons*. Itaque apud Senecam Oed. verſ. 227.

*Gemina Parnaſſi nivalis arx trucem ſonitum dedit,*

*Immineus Phoebea laurus tremuit & movit domum,*
*Ac repente ſancta fontis lympha Caſtalii ſtetit.*

& Martialem L. XII. epigr. 3. verſ. 9.

*Vel ſi malueris, prima gradiere Subura:*
*Atria ſunt illic conſulis alta mei.*
*Laurigeros habitat facundus Stella penates,*
*Clarus Hyanteae Stella ſititor aquae.*
*Fons ubi Caſtalius vitreo torrente ſuperbit,*
*Unde novem dominas ſaepe bibiſſe ferunt.*

τῷ *fons* ſubjungitur τὸ *Caſtalius*. Vide ſis Jan. Vlitium ad Nemes. cyneg. verſ. 5. v. & Probus ad Virgilii Georg. L. III. v. 293.

*juvat ire jugis, qua nulla priorum*
*Caſtaliam molli divertitur orbita clivo.*

ubi ſic: *Caſtalius fons eſt Delphis, in Apollinis oraculo, qui abluit ipſam aram Dei; dictus a Caſtalo, Delphici Apollinis filio, nepote Neptuni.* & Scholiaſtes Theocriti ad idyll. VII. v. 148. Κασταλίδας δὲ εἶπεν αὐλὰς; ἀλλὰ Κασταλίας; τῆς ἐν Δελφοῖς κρήνης, ἔνθα ἢ διατελέβουσι. HESSEL. Eſt & alius fons Caſtalius Daphnis in Antiochiae ſuburbano, cujus meminit Rufinus H. Eccl. L. I. itemque Paullus Silentiarius in epigramm. T. III. Analect. Vet. Poët. Graec. Cel. Brunckii p. 68. ubi ſic:

Μηδὲν ἀπαγγείλειας ἐς Ἀντιόχειαν, ὁδῖτα,
μὴ πάλιν οἰμώξῃ χείμαῤῥα Κασταλίης &c.

De Delphico audiendus in primis Pauſanias in Phoc. cap. 8. Ἐκ δὲ τοῦ Γυμνασίου τὴν ἐς τὸ ἱερὸν ἀνιόντι, ἔστιν ἐν δεξιᾷ τῆς ὁδοῦ τὸ ὕδωρ τῆς Κασταλίας, ἢ πιεῖν ἡδύ. Δοῦναι δὲ τὸ ὄνομα τῇ πηγῇ γυναῖκα λέγουσιν ἐπιχωρίαν, οἱ δὲ ἀνδρα Κασάλιον. Παυσανίας δὲ ὁ Πολυάρχου πεπεισμένος ἐς Ἡρακλέα ἔπη, θυγατέρα Ἀχελῴου τὴν Κασταλίαν φησὶν εἶναι . . Ἥκουσα δὲ ἢ ἄλλα τοιάδε. Τὸ ὕδωρ τῇ Κασταλίᾳ ποταμοῦ δῶρον εἶναι τοῦ Κηφισσοῦ· τοῦτο ἐποίησε ἢ Ἀλκαῖος ἐν προοιμίῳ τῷ ἐς Ἀπόλλωνα, βεβαιοῦνται δὲ οὐχ ἥκιστα οἱ Λιλαιεῖς, οἱ ἐς τοῦ Κηφισοῦ τὴν πηγὴν πέμμασι ἐπιχώρια ἢ ἄλλα ὁπόσα νομίζουσιν, ἀφιᾶσιν ἐν τισιν ἱερομήναις ἡμέραις, ἢ αὖθις ἐς τῇ Κασταλίᾳ φασὶν αὐλὰ ἀναφαίνεσθαι. O.

## Clitor

Lactantius Placidus argum. metam. Ovidii L. XV. v. 322. quo de libro v. Fabricium biblioth. Lat. L. I. cap. 15. pag. 266. *Clitorium fontem qui bibit, odium vini capit. Clitorius fons in Arcadia vinum in odium adducit, quod Melampus Amithaonis filius, Proetidas quum ab insania liberasset, novissime remedia in eum projecisse fertur.* Vitruvius L. VIII. cap. 3. *In Arcadia vero civitas est non ignota Clitor, in cujus agris est spelunca profluens aquae, quam qui biberint fiunt abstemii. Ad eum autem fontem epigramma est in lapide inscriptum hac sententia versibus Graecis: eam non esse idoneam ad lavandum, sed etiam inimicam vitibus, quod apud eum fontem Melampus sacrificiis purgavisset rabiem Proeti filiarum, restituissetque earum virginum mentes in pristinam sanitatem. Epigramma autem est id, quod est subscriptum:*

Ἀγρότα σὺν ποίμναις τὸ μεσαμβρινὸν ἤνσε βαρύνῃ
Δίψος ἀν' ἐσχατιὰς Κλείτορος ἐρχόμενον,
Τῆς μὲν ἀπὸ κρήνης ἀρύσαι πόμα, καὶ παρὰ νύμφαις
Ὑδρίασι στῆσον πᾶν τὸ σὸν αἰπόλιον.
Ἀλλὰ σὺ μήτ' ἐπὶ λουτρὰ βάλῃς χρόα, μή σε καὶ αὔρη
Πημήνῃ θερμῆς ἐντὸς ἐόντα μέθης.
Φεῦγε δ' ἐμὴν πηγὴν μισάμπελον, ἔνθα Μελάμπους,
Λυσάμενος λύσσης Προιτίδας ἀργαλέης,
Πάντα καθαρμὸν ἔκοψεν ἀπόκρυφον, ἔυτ' ἂν ἀπ' Ἄργους
Οὔρεα τρηχείης ἤλυθεν Ἀρκαδίης.

Ad hunc locum est operae pretium legere Guil. Philandrum, & Abrah. Berkelium ad Steph. Byzant. in Ἀζανία; quibus jungas velim Christ. Cellarium geogr. antiq. L. II. cap. 13. p. 792. In Vibio scribendum esse videtur *Clitorius* nempe fons *Arcadiae*. HESSEL. Clitorem urbem in Arcadia memorat Ptolemaeus L. III. c. 16. cujus margini pro hodierno nomine adlitum est *Gardichi*. Secundum Pausaniam in Arcadicis c. 21. prope Clitorium oppidum trajiciebatur Clitor amnis; verum de fontis ejus mira virtute altum est apud

eum ſilentium. At aliunde ſatis de re ipſa conſtat. Ovidius Metam. L. XV. v. 322.

*Clitorio quicumque ſitim de fonte levarit,*
*Vina fugit, gaudetque meris abſtemius undis.*
*Seu vis eſt in aqua, calido contraria vino,*
*Sive, quod indigenae memorant, Amithaone natus,*
*Proetidas attonitas poſtquam per carmen & herbas*
*Eripuit furiis, purgamina mentis in illas*
*Miſit aquas, odiumque meri permanſit in undis.*

De fonte Clitorio id praedicat Ovidius; ſimiliter Athenaeus L. II. pag. 43. Sotion in excerptis pag. 139. Παρὰ Κλειτορίοις Ἰσίγονός φησιν εἶναι κρήνην, ἧς ὅταν τις τοῦ ὕδατος πίῃ, τοῦ οἴνου τὴν ὀσμὴν οὐ φέρει. Eum fontem in Azania reperiri Eudoxus auctor eſt apud Stephanum Byz. in ea voce, ſed iſta Azania Arcadiae pars fuit. Pro fonte lacum vocant Plinius L. XXXI. c. 2. & Iſidorus hiſpal. L. XIII. orig. cap. 13. O.

## Camenarum

Non occurrit mihi Romae fons Camenarum, at vero in Aricina valle fons Egeriae; quod numen acceptum erat Muſis,

*quas commemorant Caſmoinas eſſe.*

ut Ennii verbis utar. Audire juvat Ovidium faſt. L. III. v. 273.

*Deſluit incerto lapidoſus murmure rivus:*
*Saepe, ſed exiguis hauſtibus, inde bibes.*
*Egeria eſt, quae praebet aquas, dea grata Camenis.*
*Illa Numae conjux conſiliumque fuit.*

Conſulendi ſunt praeterea interpretes Juvenalis ſat. III. v. 12. & aliquot ſubſequentibus. Quorum unus Joann. Britannicus, haud equidem video, ut e Plutarcho Num. pag. 68. eliciat, *non ſolum Camenis lucum & prata, quae circum erant, ſacraviſſe Numam; ſed & fontem ipſum, qui ſacris Veſtalibus virginibus erat conſtitutus*: ſic enim locus ſeſe habet; Ἔτι δὲ χρῆναι Μούσαις καθιερῶσαι τὸ χωρίον ἐκεῖνο, καὶ τὰς περὶ αὐτὸ λειμῶνας, ὅπου τὰ πολλὰ φοιτῶσαι συνδιατρίβουσι αὐτῷ· τὴν δὲ

πηγὴν, ἣ καλάρδει τὸ χωρίον, ὕδωρ ἱερὸν ἀποδεῖξαι ταῖς Ἑστίαις παρθένοις, ὅπως λαμβάνουσαι καθ' ἡμέραν ἁγνίζωσι καὶ φαίνωσι τὸ ἀνάκλητον. Camenis conſecrandus eſſe dicitur ibi campus & circumjacentia ei prata, fons autem virginibus Veſtalibus. HESSEL.

## Dircaeus

*Dircaeus*) videlicet fons. Ita Pindarus Pyth. od. IX. v. 153.

Μηδὲ Διρκαίων ὑδάτων
Ἀεὶ μίμναται.

ubi ſcholiaſtes; Καὶ ὅσις μηδὲ τῶν τῆς Δίρκης ὑδάτων αἰσθάνεται καὶ ἔχει μνήμην. Suo certo ac proprio vocabulo nominatur Dirce. Ovidius metam. L. II. verſ. 339.

*quaerit Boeotia Dircen.*

uti legit pro *queritur* divulgatiſſimo Broukhuſius ad Tibull. L. II. eleg. 3. verſ. 26. cf. & Lutatius ad Statii Theb. L. II. v 322. *Dircen, fontem Thebanum, per quem Boeotiam debemus accipere.* HESSEL. Fontis ejus meminit Strabo L. IX. p. 408. prope Thebas; item Plinius loco paullo ante memorato in Aganippe. Apud Pauſaniam in Boeoticis ſive L. IX. c. 25. a Dirce, uxore Lyci, quam, quod Antiopen injurioſius tractaſſet, miſerabili morte, in celeberrimo tauro Farneſio expreſſa, necatam ab Antiopes filiis referunt, amnis Thebanus dictus praedicatur. Prope eum Pindari domus ſupererant reliquiae, teſte eodem ſcriptore. Inde lucem accipit Horatius, qui L. IV. ode 2. v. 25. de Pindaro ſic:

*Multa Dircaeum levat aura cygnum.*

Dirce amnis e Dirce fonte promanabat. Cognominem huic Thebano fontem juxta Pharas, in Achaia Peloponneſi locat Strabo L. VIII. c. 388. O.

## Eſus

Vibio qui hic ſuccurrat, nemo eſt uſpiam. Doctioribus medelam loci procul dubio corrupti commendamus. O.

## Garga *lege* Gargaphia

In Actaeonis fabula, quam narrat Ovidius metam. L. III. vallis eſt *Gargaphie* verſ. 155.

*Vallis erat piceis & acuta denſa cupreſſu,*
*Nomine Gargaphie, ſuccinctae ſacra Dianae;*
*Cujus in extremo eſt antrum nemorale receſſu*
*Arte laboratum nulla. Simulaverat artem*
*Ingenio natura ſuo. Nam pumice vivo*
*Et levibus tophis nativum duxerat arcum.*

Hujus ad dextram fons eſt in eadem fabula nominatim non appellatus.

*Fons ſonat a dextra tenui perlucidus unda,*
*Margine gramineo patulos incinctus hiatus.*

Rationem poëtae ſequitur Lactantius argum. metam. L. III. fab. 2. *Diana quum in valle Gargaphiae aeſtivo tempore fatigata ex aſſidua venatione ſe ad fontem perlueret;* & reliqua. Herodotus autem L. IX. ſemel atque iterum ac ſaepius meminit τῆς κρήνης τῆς Γαργαφίης. Τὴν κρήνην τὴν Γαργαφίαν memorat Pauſanias L. IX. cap. 4. Potuit valli nomen indidiſſe fons, aut fonti ex contrario vallis. Itaque haud ſcio, an recte ſcribatur apud Vibium in hoc loco *Gargaphie Boeotiae;* quemadmodum opinor voluiſſe ſcribere Herc. Ciofanum obſerv. in ſui municipis verſus ſupra allegatos. etenim ſic ille; *Nomine Gargaphie. Sic emendandus eſt locus Vibii Sequeſtri, ubi loquitur de fonte, in quo Actaeon Dianam nudam vidit.* Paucis ante diebus hoc neſcio quid exararam, quum animadverti, Bochartum Chan. L. I. cap. 16. pag. 428. & Munckerum ad Hygini fab. 181, quos conſultos velim, *Gargaphia Boeotiae* & *Gargaphie Boeotiae* hic legere. Scilicet rem conficit Plinius nat. hiſt. L. IV. cap. 7. *Praeterea fontes in Boeotia Oedipodia, Pſammate, Dirce, Epigranea, Arethuſa, Hippocrene, Aganippe, Gargaphie.* Martianus Capella L. VI. pag. 210. *Nec Athenis cedunt Boeotiae, in quibus Epigrane, Arethuſa, Hippocrene, Aganippe, Gargaphie.* & Lutatius ad Statii Theb. L. VII. verſ. 274. *Gargaphye*) *Fons Dianae aut*

*Hecatae conſecratus. Gargaphie* vero legatur apud poëtam. Ceterum laudatus modo Hyginus vallem, cui nomen eſt Gargaphia, & fontem, cui nomen eſt Parthenius, praedicat. HESSEL.

Actaeonis necem in ſarcophago Hetruſci operis expreſſam dat Gorius in Muſeo Etruſco. De nomine fontis illud adjungo, Boccacium quoque noſtri vitium feciſſe ſuum; habet & ille: *Garga fons eſt Euboeae* &c. O.

## Hippocrene

Neſcio plane, quid ſibi velint hic *Achaia* & *Arcadia* regiones Peloponneſi. HESSEL. v. quae ſupra notata ſunt ad *Aganippen*. Heic nobis Strabo ſuffecerit. Is L. VIII. p. 379. poſtquam Corinthi ſitum deſcripſit, itemque montem Acrocorinthum, & Pirenen fontem, ad quem Pegaſum a Bellerophonte quum ibi biberet captum refert, ſubjicit, eundem Pegaſum & Hippocrenen in Helicone elicuiſſe. Τὸν δ' αὐτὸν φασι καὶ τὴν Ἵππου κρήνην ἀναβάλλειν ἐν τῷ Ἑλικῶνι, πλήξαντα τῷ ὄνυχι τὴν ὑποπεσοῦσαν πέτραν. O.

## Ineſſa

Ineſſam Siciliae urbem celebrarunt nonnulli veterum. Straboni L. VI. pag. 268. Ἴννησα vocatur Aetna mons & forſan oppidum in eo ſtructum. Dicuntur enim Aetnaei Inneſam domicilium ſibi occupaſſe locoque nomen Aetnae impoſuiſſe. Diodorus Siculus Ἐννησίαν nuncupat L. XI. p. 57. T. II. Boccacius, ubi Ineſſam Siciliae fontem appellat, errores Vibii auxiſſe videtur. In Rhodo inſula Ineſſam praeter iſtos duumviros, quantum novi, nemo commemorat. O.

## Libethros

*Boeotiae* ) Simlerus *Magneſiae*. Servius ad Virgilii Ecl. VII. v. 21. *Libethros fons eſt, ubi coluntur Muſae. A fonte Boeotiae Libethro* &c. videndi & ceteri interpretes. HESSEL.

Apud Boccacium ita: *Libethros Magnesiae fons est, Musis sacer; a quo Musae dicuntur Libethrides.* Qualis ea sit Magnesia, docet Plinius L. IV. c. 9. *Thessaliae adnexa Magnesia est, cujus fons Libethra.* Pomponius Mela haud procul Tempis locat. Ita L. II. c. 3. *Hinc non longe est Olympus, Pelion, Ossa . . . hic Musarum parens domusque Pieria . . hic sacro nemore nobilia Tempe: hic Libethra, carminum fontes.* Haec testimonia de Libethris Thessalicis confirmare videtur Pausanias L. IX. c. 30. ubi urbem Libethra in Olympo celebrem fuisse testatur, qua mons in Macedoniam se immittit; verum idem c. 34. Libethrii montis & fontis Musarumque inde cognominatarum in Boeotia meminit. Κορωνείας δὲ σταδίους ὡς τεσσαράκοντα ὄρος ἀπέχει τὸ Λιβήθριον· ἀγάλματα δὲ ἐν αὐτῷ Μουσῶντε καὶ Νυμφῶν ἐπίκλησίν ἐστι Λιβηθρίων· καὶ πηγαὶ (τὴν μὲν Λιβηθριάδα ὀνομάζουσιν, ἡ δὲ ἑτέρα πέτρα) γυναικὸς μαστοῖς εἰσὶν εἰκασμέναι, καὶ ὅμοιον γάλακτι ὕδωρ ἀπ' αὐτῶν ἄνεισιν. Itaque error videri posset, quicquid de carminum fontibus in Thessalia Plinius & Mela referunt, inde ortus, quod ad Libethra Thessalica transtulerint, quae rectius ad Libethrium Boeotium pertinebant. Pausanias profecto, ubi haud procul Coronea eum montem situm fuisse refert, non Thessalicam vel Phthioticam Coroneam sed Boeoticam intelligit. Sane & Strabo: Ἐν Ἑλικῶνι ἐστὶ τό, τε, inquit L. IX. p. 410. Μουσῶν ἱερὸν καὶ ἡ Ἱπποκρήνη καὶ τὸ τῶν Λειβηθρίδων Νυμφῶν ἄντρον, ἐκ οὗ τεκμαίροιτ' ἄν τις, Θρᾶκας εἶναι τοὺς τὸν Ἑλικῶνα ταῖς Μούσαις καθιερώσαντας· οἱ καὶ τὴν Πιερίαν καὶ τὸ Λείβηθρον καὶ τὴν Πίμπλειαν ταῖς αὐταῖς Θεαῖς ἀνέδειξαν· ἐκαλοῦντο δὲ Πίερες· ἐκλιπόντων δ' ἐκείνων, Μακεδόνες νῦν ἔχουσι τὰ χωρία ταῦτα. Idem L. X. p. 471. similia istis: Πιερία γὰρ, καὶ Ὄλυμπος, καὶ Πίμπλα, καὶ Λείβηθρον τὸ παλαιὸν ἦν Θράκια χωρία καὶ ὄρη· νῦν δὲ ἔχουσι Μακεδόνες· τόν τε Ἑλικῶνα καθιέρωσαν ταῖς Μούσαις Θρᾶκες οἱ τὴν Βοιωτίαν ἐποικήσαντες, οἵπερ καὶ τὸ τῶν Λειβηθριάδων Νυμφῶν ἄντρον καθιέρωσαν. Unicum est, quod in gratiam Melae & Plinii dici queat, scilicet, forsan circa Libethra Thessalica vel Phthiotica, quae tum Thracica quoque fuere, olim extitisse fontem, Musis

conſecratum. Ab iis non longe abfuiſſe Orphei monumentum refert Pauſanias L. cit. c. 30. Quicquid ſit, audacter faceſſere ex Vibio jubemus Simleri conjecturam, qui *Boeotiae* ſubſtituendum putavit *Magneſiae;* non quidem Strabonis & Pauſaniae teſtimoniis freti, ſed Servii ab Heſſelio citati, quem hic unice ſecutus eſt Sequeſter. A Libethro Muſas & Nymphas dictas eſſe *Libethrides*, verſus Virgilii a Servio illuſtratus declarat:

*Nymphae, noſter amor, Libethrides, . . .* O.

## Liriope

Probant hoc Simlerus, Munckerus ad Lactant. argum. metam. Ovid. L. III. fab. 6. *Secundum fontem*) *Vibius Sequeſter cap. de fontibus; Lyeope, ubi Narciſſus ſe conſpexit. Liriope corrigit Simlerus.* De nomine fontis Ovidius metam. L. III. verſ. 407. ſilet; Lactantius item. Liriope autem non eſt fons, ubi Narciſſus ſe conſpexit; ſed mater iſtius formoſi pueri. Ovidius verſ. 341.

*Prima fide vociſque ratae tentamina ſumſit*
*Caerula Liriope; quam quondam flumine curvo*
*Implicuit, clauſaeque ſuis Cephiſos in undis*
*Vim tulit. Enixa eſt utero pulcherrima pleno*
*Infantem, Nymphis jam tunc qui poſſet amari;*
*Narciſſumque vocat.*

Lactantius fab. 5. *Liriope Nympha ex amne Cephiſo procreavit Narciſſum*, & reliqua. HESSEL.

*Liriope*) Ita MS. Med. probe. GRONOV. Liriopen non eſſe dictum fontem, in quo Narciſſus ſeſe conſpexit, ſed id matris formoſiſſimi pueri fuiſſe nomen, recte tradit Heſſelius. Apud Pauſaniam fons iſte Narciſſi ſalutatur, ſitusque indicatur. L. IX. ſcilicet c. 31. Θεσπιέων δὲ ἐν τῇ γῇ, ἡ Δελφῶν ἐστὶν ὀνομαζομένη· ἐνταῦθά ἐστι Ναρκίσσου πηγὴ, ᾗ τὸν Νάρκισσον ἰδεῖν ἐς τοῦτο τὸ ὕδωρ φασίν· οὐ συνέντα δὲ, ὅτι εἴδωλα σκιὰν τὴν ἑαυτοῦ, λαθεῖν τε αὐτὸν ἐραθέντα αὐτοῦ, ᾗ ὑπὸ τοῦ ἔρωτος ἐπὶ τῇ πηγῇ οἱ συμβῆναι τὴν τελευτήν. Multa ſubjungit

idem ad hanc fabellam ſpectantia, quae nunc praeterimus. Monumentum Narciſſi *Sigeli* vocatum, auctor eſt Strabo L. IX. p. 404. Καὶ ἡ Γραῖα δ' ἐστὶ τόπος Ὠρωποῦ πλησίον, ἢ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀμφιαράου, ἢ τὸ Ναρκίσσου τοῦ Ἐρισθενείας μνῆμα, ὃ καλεῖται Σιγηλοῦ· ἐπειδὴ σιγῶσι παροδίται· τινὲς δὲ τὴ Ταναγρᾳ τὴν αὐλὴν φασίν. O.

## Langia

Boccacius prorſus eadem habet. Simlerus & Barthius ad Statium legunt quoque *Langia*. Vibium quam maxime illuſtrat Statius Theb. L. IV. v. 717 & 825.

*Una tamen tacitas (ſed juſſu numinis) undas*
*Haec quoque ſecreta nutrit Langia ſub umbra.*
*Nondum illi raptus dederat lacrimabile nomen*
*Archemorus, nec fama Deae.* & reliqua.

ubi Lutatius; *Langia*) *Fons eſt, qui poſtea vocatus eſt Archemorus, & huic conſecratus eſt fons & Nympha; cujus famam poſtea Argivi accepto beneficio extulerunt, quia non perdiderat aquam. Juxta fontem agon celebratur in honorem Archemori conſecratus, & in Nymphae beneficium. Archemorus eſt Lycurgi filius Graeci, quem Hypſipyle acceperat nutriendum; quae, dum ſitientibus Graecis fontem demonſtrat Langiam, regium puerum ictu ſerpentis amiſit. Is eſt puer Opheltes, qui poſt Archemorus eſt dictus: nomen enim lacrimabile ſignificat Archemorus* ἀπὸ ΘCAPXNCINC *id eſt eo quod primus occiſus eſt.* & reliqua. Vide Barthium. HESSEL. Legenda videntur ſic corrupta haec Graeca verba, uti ſcholiaſtes Pindari tradit in Hypotheſi Nemeon: ΑΠΟ ΤΗC ΑΡΧΗC ΜΟΡΟΥ. Ita ſcilicet ille: Ἀμφιάραος δὲ τούτοις μαντευόμενος Ἀρχέμορον αὐτὸν ἐκάλεσεν, ὅτι αὐλοῖς ἀρχὴ μόρου ἐγένετο ὁ τοῦ παιδὸς θάνατος. Neque audiri proinde meretur Faber, qui temere id nomen in Ἀγχέμορος mutandum praecipit. cf. Munckerus l. c. O.

Exquiſitiora diſcimus de fabuloſa ejus origine apud Nicandrum Alexipharm. v. 105.

\- - - - - νύμφη
Λαυγείη πόμα κεῖνο Διὸς τεκμήραλο παιδί.

Pauſanias in Laconicis p. 203. narrationem habet de fonte Pellanide, ubi ſi verba ἐν ἑτέρᾳ πηγῇ Λαγκείᾳ mecum emendaveris: Λαγγείᾳ, ecce Tibi tum Langiam fontem Argivum! SCHNEIDER.

*Nemeaea*) ed. Flor. (& Boccacius) *Nemea.* Utrumque probum eſt. Stephanus Byzantinus in Νεμέᾳ. Τὸ ἐθνικὸν Νέμεος ἡ Νεμεαῖος. ubi Berkelius eſt videndus. integer enim totus non videtur locus.

*annuus*) Contraria eſt Pindaricorum Νεμεῶν ὑπόθεσις non una, ἡ ἔστι τριετής. Et Statius Theb. L. IV. v. 721.

> - - - *Manet ingens gloria Nympham,*
> *Quum triſtem Hypſipylen ducibus ſudatus Achaeis*
> *Ludus, & atra ſacrum recolit trieteris Ophelten.*

Munckerum etiam videſis ad Hygini fab. 74. HESSEL.

## Menais

De caſtello Menaeo & fonte ſatis auctorum laudant Bollandi ad acta SS. 5. Febr. ad vit. S. Agathae & d. 18. Febr. de martyribus Leontinis. p. 56. SCHNEIDER.

Inter oppida Siciliae memorantur Ptolemaeo Μεναί, L. III. c. 4. Apud Stephanum legebatur Μενδαὶ & gentile Μενδαῖος, ſed Cluverii itemque Bocharti arbitrio Berkelius ibi repoſuit Μεναὶ & Μεναῖος; ſatisne recte, dubitat Holſtenius. *Menenios* incolas vocat Cicero in Verr. Act. III. c. 43. Dicendos rectius *Menaenos*, diſputat ex nummis P. Burmannus ad D'Orvillii T. X. p. 377. cui adſtipulatur Ill. Caſtellus P. T. M. in terza agg. alla Sicilia Numiſmatica. Opuſcoli di autori Sicil. T. XIII. Reſtituendas quoque Μῖνας oppidum cenſet Cluverius Diodoro Siculo L. XI. cap. 87. ubi fuerat μὲν νίας & ſubjiciebatur ἥ τις ἦν ἀνδρὶ πατρὶς, ſcilicet Ducetio, qui eam urbem in apertum campum tranſtuliſſe & prope fanum Palicorum exſtruxiſſe praeclaram urbem aliam fertur ibidem, quam ab his Diis Palicam dixerit. Ἐγγὺς Παλίκων quoque Μενὰς locat Stephanus. Oppidum id Menarum hodie *Menéa* ſalutatur. Secundo lapide ab oppido Menis occurrit *fons*

*Menaïs*, vel *Menenius* (potius *Menaenus*) ſive *Menenſis*; Μεναὶς χρήνη, quae & Παλικίνη χρήνη vel λίμνη Παλίκων ſalutabatur, item Κρατῆρες Παλίκων. De Palicis Diis nos ſupra ex Macrobio ad Symaethon fluvium pag. 193. Crateres iſtos deſcribit idem, cui jungendus Diodorus Siculus L. cit. c. 88. ex quibus intelligitur, cur apud Ovidium metam. L. V. v. 405. infernus raptor

*Perque lacus altos & olentia ſulfure fertur*
*Stagna Palicorum - - - -*

Commode cum Solfatara Neapolitana proinde Menaïdem lacum comparat D'Orvillius in Siculis T. I. p. 168. Meretur omnino Fazellus, quem de recentiori ſtatu fontis vel lacus audiamus. Ita ille Decad. I. L. III. c. 2. „ Extant hodie „ in eodem colle urbis Palicae veſtigia, non magno tamen „ interim ambitu comprehenſa: templi quoque ipſius (ni„ mirum Palicorum) magna circa lacum & ea pro majori „ parte obruta monumenta. Lacus autem ipſe ad angulum „ planitiei eſt circa collis radices, turbidus & mali odoris, „ ambitus paſſuum non minus centum; in cujus quoque „ medio tres ſunt, veluti ollae ſub igne ferventis, aqua„ rum ſcaturigines, quae continua etiamnum eructatione ad „ tres circiter cubitos in altum, comitante perpetuo aeſtus „ murmure, aquas efferunt, rurſumque cadentes in ſinum „ recipiuntur. Aquas hujus ſtagni ſi mane ante ſolis exor„ tum bruta potaverint, repentino prope interitu occidunt. „ Nam, licet frigidae ſint, turbidae tamen, & dirum ex„ halantes odorem; qui ex ſulphuris bituminiſque materia, „ qua ſtagni fundus plenus eſt, ut bullae ex eo aliquando „ efflatae indicant, generatur. Hinc adeo pernicioſae ſunt „ ejus aquae, ut non ſolum potantia bruta, ſed ſupervo„ lantes plerumque aves in periculum agant. Nam ex aqua„ rum hujuſcemodi vaporibus aër inficitur, &, quo deterior „ eſt materia, eo concretior redditur: quo inſpirato, per„ inde ut guſtato veneno, aves pereunt. Aetate mea, cum „ aliquando Sicilia ſiccitate laboraret, ſtagnum hoc prorſus „ exaruit, e cujus tum crateribus, ventis ſolum furentibus,

„ pulvis tantum efflabatur. „ Leontinis quod Menaïdem attribuat Vibius, id paullo latius dictum cenſeo. Nihil impedit tamen, quo minus in ditione Leontii olim fuerit. De juramento & nos ſupra ad Symaethum ex Macrobio egimus, & Diodorus Sic. l. c. nonnulla habet, & Stephani epitomator ad Sequeſtrem prorſus appoſite ita: Ἔστι δὲ κρήνη τις ἐν Παλίκοις τῆς Σικελίας ὡς δεκάκλινος· ἄντη δ' ἀναῤῥίπλει ὕδωρ εἰς ὕψος ἐξ πήχεις· ὥστε ὑπὸ τῶν θεωρούντων νομίζειν καταακλυσθήσεσθαι τὸ πεδίον· καὶ πάλιν εἰς ἑαυτὸ καθίσαι. Ἔστι δὲ καὶ ὁρκος ἅγιος αὐτόθι, ὅσα γὰρ ὀμνύει τις, εἰς πινάκιον γράψας, βάλλει αὐτὸ εἰς τὸ ὕδωρ, ἐὰν μὲν οὖν ἐνορκῇ, ἐπικολάζει· ἐὰν δὲ μὴ ἐνορκῇ, τὸ μὲν πινάκιον ἀφανίζεται, αὐτὸς δὲ πίμπραται. O.

## Spandeus

Apud Boccacium illud *Coa* intercidit. Ita enim: *Spandeus fons eſt in inſula Aſiae.* Nota eſt *Cos* inſula, ante Cariam e regione Halicarnaſſi projecta. v. Plinius L. V. c. 31. Eam ſi intelligat noſter, recte *Coam* dixit adjective inſulam, ut alias Coas veſtes memorant veteres; rectius tamen forſitan in Pariſino II. codice legitur *Coaſiae*, ubi ſejunctis vocibus efficies *Co Aſiae.* Dolendum, quod Spandei nuſquam vola aut veſtigium occurrat. O.

## Salmacis

*Unde ſit infamis, quare male fortibus undis*
*Salmacis enervet, tactoſque remolliat artus;*

diſcite ab Ovidio metam. L. IV. verſ. 285. & Lactantio argum. metam. Ovidii L. IV. fab. 11. Eo de fonte mentionem quoque facit idem poëta ejuſd. oper. L. XV. verſ. 317.

*Quodque magis mirum, ſunt, qui non corpora tantum,*
*Verum animos etiam, valeant mutare, liquores.*
*Cui non audita eſt obſcenae Salmacis undae?*

Idemque μυθογράφος ejuſd. oper. L. XV. fab. 19. *Salmacis fontem qui contingit, in mollitiem vertitur. Salmacis fons in*

*Caria contactu ſui liquoris cogit in mollitiem corporis obſceni verti: quod beneficio Mercurii & Veneris dicitur eſſe factum.* Idcirco haud ſine cauſſa Statius exclamat L. I. ſilv. 5. verſ. 19.

*Non vos, quae culpa decus infamaſtis aquarum,*
*Sollicitare juvat. Procul hinc, & fonte doloſo*
*Salmacis, & viduae Cebrenidos arida luctu*
*Flumina, & Herculei praedatrix cedat alumni.*

atque apud Ennium fragm. ex incert. trag. & com. pag. 300. edit. noſtr. Amſtel. 1707. neſcio quis:

*Salmaci, da ſpolia ſine ſudore & ſanguine.*

Epigramma Graecum pernobile εἰς τὴν Σαλμακίδα ἄδηλον habetur in epigramm. L. I. cap. 65. §. 7. (in Cel. Brunckii analectis vet. poët. Graec. T. III. p. 190.)

Εἰ μὲν ἀνὴρ ἥκεις, ἄρυσαι, ξένε, τῆς δ' ἀπὸ πηγῆς·
Εἰ δὲ φύσει μαλακὸς, μή με πίῃς πρόφασιν.
Ἄρρεν ἐγὼ ποτόν εἰμι, τὸ ἀνδράσι μοῦνον ἀρέσκω·
Τοῖς δὲ φύσει μαλακοῖς ἡ φύσις ἐστὶν ὕδωρ.

HESSEL.

Haec licet verba de effoeminatis illis, qui muliebria pati ſuſtinent, poſſint intelligi, ut interpretati ſunt viri doctiſſimi, Pithoeus ad Petron. cap. 23. & Barthius ad Claudiani L. I. in Eutrop. verſ. 252. credere malim, Vibium deſignaſſe hermaphroditum; venerunt enim procul dubio Ovidii verſus ei in mentem, dum haec ſcriberet, ex IV. Metam. verſ. 385.

*Quiſquis in hos fontes vir venerit, exeat inde*
*Semivir: & tactis ſubito molleſcat in undis.*

dixerat & paulo ante Ovidius,

*Ergo ubi ſe liquidas, quo vir deſcenderat, undas*
*Semimarem feciſſe videt, mollitaque in illis*
*Membra - - - - -*

Mollita hic membra ſunt igitur, quae naturam virilem cum utraque, maſcula nempe & foeminina, commutarunt. Quod autem ad ultima verba *idem & obſcoenus fit*, ſpectat, melior eſt lectio, quae ea ſic exhibet, *id eſt obſcoenus fit.* In quibus Ovidium rurſus reſpexit noſter XV. Metam. verſ. 319.

*Cui non audita eſt obſcenae Salmacis undae,*

Examinandum, num ad duplicem modum effoeminationis reſpexerit noſter; nempe quaſi hic fons hermaphroditos redderet homines, & muliebria pati doceret: atque ſic duplex haec opinio veritatem nanciſceretur, quam & firmarent ultima verba *idem & obſcoenus ſit.* De verbo *molleſcere* vide Lactantium Placidum in Narrat. Fab. Ovid. ad L. IV. fab. 11. ubi Munker. CLAUD. Feſtus: *Salmacis nomine nympha Coeli & terrae filia fertur cauſa fontis Halicarnaſſi aquae appellandae fuiſſe Salmacidis, quam qui bibiſſet, vitio impudicitiae molleſceret, ob eam rem, quod ejus aditus anguſtatus parietibus occaſionem largitur juvenibus petulantibus antecedentium puerorum puellarumque violandarum, quia non patet refugium. Ennius:*

*Salmacida ſpolia ſine ſanguine & ſudore.*

Strabo L. XIV. p. 656. non aëri & aquae, ſed hominum luxuriae mollitiem imputat. GRONOV.

Apud Boccacium de Salmacis fonte ſic: *Falſa multorum opinione creditur, Venereum morbum implicare bibentibus.* His autem Vitruvii verba exprimit, qui in deſcribenda urbe Halicarnaſſo, a Mauſolo ſtructa, poſtquam de Mauſoleo dixit, deque Martis fano, ſubjicit iſta: *In cornu autem ſummo dextro Veneris & Mercurii fanum ad ipſum Salmacidis fontem. Is autem falſa opinione putatur, venereo morbo implicare eos, qui ex eo biberint. Sed haec opinio, quare per orbem terrarum falſo rumore ſit pervagata, non pigebit exponere. Non enim, quod dicitur molles & impudicos ex ea aqua fieri, id poteſt eſſe; ſed eſt ejus fontis poteſtas perlucida, ſaporque egregius. Cum autem Melas & Arenanias ab Argis & Troezene coloniam communem eo loci deduxerunt, barbaros Caras & Lelegas ejecerunt. Hi autem ad montes fugati ſe congregantes diſcurrebant, & ibi latrocinia facientes crudeliter eos vaſtabant. Poſtea de colonis unus ad eum fontem, propter bonitatem aquae, quaeſtus cauſſa, tabernam omnibus copiis inſtruxit, eamque exercendo eos barbaros allectabat; ita ſingulatim decurrentes & ad coetus convenientes e duro feroque more commutari in Graecorum conſuetudinem & ſuavitatem ſua voluntate reducebantur.*

*Ergo ea aqua non impudico morbi vitio, ſed humanitatis dulcedine, mollitis animis barbarorum, eam famam eſt adepta.* Toto coelo haec Vitruvii expoſitio a vulgata apud Poëtas opinione differt, cui & Strabo adhaeret l. c. cauſſa ab indole fontis ad indolem hominum rejecta. Salmacis fons ἀπὸ τοῦ μαλακίζειν dictus putatur, ſed id etymon utroque trahi poteſt. Praeter fontem & urbs in Caria fuit, Salmacis dicta, Stephano memorata, Halicarnaſſo propinqua, quae arcem habebat. Inde ἄκρα vocat Arrianus de exped. Alex. M. L. I. p. 66. Citat & Ortelius ex Floro L. IV. cap. 10. *Salmacidis fluvium;* verum Salmaſius in exercit. Plin. in Solinum p. 81. oſtendit, corruptum locum eſſe, legendumque conjicit *ſalinacidis; fluvius . . .* O.

*idem & obſcenus fit.*) Sic Joh. Brodaeus ad epigr. laudatum. Hier. Columna ad Ennii locum modo deſignatum *idem obſcoenus* fit. C. Barthius ad Claudian. in Eutrop. L. I. v. 252. ed. Hanov. *id eſt, obſcoenus fit:* ita quoque Franc. Pithoeus ad Petron. cap. 23. Optime vero MS. Revii: *id eſt, obſcenus fit.* HESSEL.

## Timavus

v. Martialis L. IV. ep. 25. v. 5.

*Et tu Ledaeo felix Aquileja Timavo,*
*Hic ubi ſeptenas Cyllarus hauſit aquas . .*

HESSEL.

In tabula Theodoſiana prope Aquilejam ingens lacus repraeſentatur, in quem influit *fluvius frigidus.* Supra lacum appictum eſt magnum aedificium quadratum, quale deſignare thermas ſolet, adjecto titulo: *fonte timavi.* Effugit hoc, quod ſane mirum, Paulli Pincii ſolertiam, qui in diſſertatione de Timavo fluvio, excuſa Venetiis 8. 1566. & recuſa in theſ. antiq. Italic. T. VI. P. IV. potiſſimum contra Blondum laborat oſtendere, non juxta Patavium praeterfluere Timavum, *Brentam*que hodie dici, ſed prope Aquilejem decurrere, vel Tergeſten inter atque Concordiam. Poterat adjicere

adjicere Pincius, Timavum hodieque *Timao* dici, magnumque ſententiae ſuae robur ex laudata tabula, ſi eam vidiſſet, conciliare, quae cum Melae & Plinii locis, quae is producit, apte conſpirat. Mela ſic L. II. c. 4. *At in oris proxima eſt Tergeſte, Concordia. Interfluit Timavus, novem caputibus exſurgens, uno oſtio emiſſus.* Plinius L. II. c. 10. *Contra Timavum amnem, inſula parva in mari eſt, cum fontibus calidis, qui pariter cum aeſtu maris creſcunt, minuunturque.* Fontes iſtos calidos (in tabula notatos) his temporibus *balnea Monteisfalconis* dici oſtendit Pincius, quodque non in inſula ſint amplius ſed in continente terra, id ex diutina aquarum colluvione factum ſcribit. *Brentam* autem Patavinum olim Medoacum & a Meſſalla Corvino *Brenteſiam* ſalutatum docet idem. Sic ergo ſatis ſuperque ſtabilitur veterum de Timavo ſententia; quos inter ſaltem Strabonem audiemus, qui L. V. pag. 214. prope Aquilejam Timavum fluvium portumque deſcribit. Ἐν αὐτῷ δὲ τῷ μυχῷ τοῦ Ἀδρίου ἱερὸν τοῦ Διομήδους ἐστὶν ἄξιον μνήμης, τὸ Τίμαυον· λιμένα γὰρ ἔχει καὶ ἄντρους ἐυχρήστους, καὶ πηγὰς ζ ποταμίου ὕδατος εὐθὺς εἰς τὴν θάλατταν ἐκπίπτοντος, πλατεῖ καὶ βαθεῖ ῥεύματι. Si qua ſunt Poetarum loca, quae cum aliqua veritatis ſpecie pro Brenta Patavinâ allegat Blondus, iis docte ſatisfecit Pincius. In citando Vibio noſtro humani quid paſſus eſt. Cum Boccacio ſcilicet eum confundit. *Sed & Vibius Sequeſter:* haec verba ejus ſunt, *Brenta ex Tridentini montibus per Vincentinum & Patavinum ſolum, juxta Venetias decurrit in Adriam. Timavus Aquilejae Galliae* (fons). De Brenta quae affert, ex Boccacio hauſit, nec apud Vibium extant; de Timavo Sequeſtrem exſcripſit, quo longe fuſior eſt Boccacius: *Timavus*, inquiens, *Venetorum fluvius eſt, Concordiae atque Tergeſtae oppidis proximus. Et monte quidem grandi per novem ora effuſus ampliſſimum ante alia fontem facit; ex quo uno tandem exiens alveo in Hadriaticum funditur mare in ſinu Tergeſtino. Fuere tamen, qui putavere hunc fluvium apud Antenoridas eſſe, & ex Euganeo monte fundi, quod falſum eſt.* His verbis Boc-

cacius ſecutus eſt Melam, expreſſit quoque iſta Virgilii ex Aeneid. L. I. v. 246 ſeq.

*Antenor potuit, mediis elapſus Achivis,*
*Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus*
*Regna Liburnorum & fontem ſuperare Timavi.*
*Unde per ora novem vaſto cum murmure montis*
*It mare proruptum & pelago premit arva ſonanti.*

Demum carpit & recte quidem eos, qui perperam Lucani locum hunc intellexere ex L. VII. v. 192.

*Euganeo, ſi vera fides memorantibus, augur*
*Colle ſedens, Aponus terris ubi fumifer exit*
*Atque Antenorei diſpergitur unda Timavi.*

Ad laudatum Virgilii verſum 246. Servius notat: *Timavus in Hiſtria eſt, inter Aquilejam & Tergiſtum.* Quae princeps is poetarum Latinorum de vaſto murmure montis praedicat, ea ſibi quoque audita & viſa teſtantur Pincius. O.

## Virvinus

Idem forte cum Virvino fonte Virbii fluvius eſt apud Vibium, ex mente Ortelii. Simlerus heic *Virbium* Virvino ſubſtituendum cenſet. Nihil moror equidem. De Virbio paullo ante actum pag. 211. O.

# AD LACUS

## Avernus

*Immenſae altitud.*) v. Lucanus L. II. v. 667. Servius ad Virgilii Aen. L. VI. v. 238. *lacu nigro*) *aut alto, aut vere nigro, inferorum vicinitate.* HESSEL. Eam profunditatem teſtatur & Ariſtoteles in admirandis, βάθος dicens ἀνυπέρβλητον. Straboni L. V. p. 244. Ἄορνος κόλπος ἀγχιβαθής. Diodorus Siculus τὸ βάθος ἄπιστον praedicat, adjicitque, ingentem iſtam voraginis altitudinem aquae, alias limpidiſſimae, coeruleum conciliare colorem. Forma Averni rotunda eſt. Κυκλοτερῆ eam vocat Ariſtoteles, & collibus addit circumdari trium ſtadiorum altitudine, ἀμφιτορνατὸν βρόχῳ Lycophron; in tabula Theodoſiana ſupra Cumas ſemicirculari fere figura ſiſtitur. Hodie *il lago d'Averno* itemque *il lago di Trepergola* ſalutatur. Graecum ejus nomen Ἄορνος inde deducunt veteres certatim, quia odor ejus avibus ſit infeſtiſſimus; ita Norius Marcellus cap. 1. cf. & Servius ad Virgilii l. c. Poetarum loca dabit Cluverius Ital. ant. L. IV. c. 2. Rationem repetunt ex aquae ſulfureae odore graviſſimo, quem tamen non tam lacus ipſe quam antrum ſeu ſpelunca Averni, quam eandem cum antro Sibyllae (*la grotta della Sibilla* hodieque) putant. Audiamus Virgilium L. VI. v. 237 ſeq.

*Spelunca alta fuit, vaſtoque immanis hiatu,*
*Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris,*
*Quam ſuper haud ullae poterant impune volanteis*
*Tendere iter pennis: talibus ſeſe halitus atris*
*Faucibus effundens ſupera ad convexa ferebat,*
*Unde locum Graji dixerunt nomine Aornon.*

Iſtas nemorum tenebras variis anſam dediſſe fabulis, auctor eſt Strabo, quae tamen evanuerint, poſtquam Agrippa ſilvam, quae Avernum cinxerat, excidiſſet. Veram ſulfurei tetricique odoris & graveolenti cauſſam exponit Vir Illuſtris L. B. de Dietrich in animadverſionibus ad epiſtolas Ferberi de re mineralogica Italiae, Gallice verſas & hic

Argentorati ſuperiori anno editas pag. 167. Ita vir doctus: *Nous avons les preuves les plus convaincantes, que le lago d'Averno n'eſt que le baſſin d'un ancien cratère; les montagnes, qui l'environnent, ſont toutes volcaniques: on trouve des ſources chaudes dans la grotte de la Sibylle, qui eſt ſituée ſur les bords les plus ténébreux de ce lac ſiniſtre. Virgile & d'autres anciens écrivains aſſurent, que les oiſeaux, qui voloient au deſſus, périſſoient. Sans doute, que dans ce temps, qui étoit plus rapproché de celui de l'éruption, les exhalaiſons étoient encore plus nuiſibles, qu'elles ne le ſont aujourd'hui. Il faut, qu'elles le ſoient encore: car d'après l'obſervation de Mr. Hamilton les lacs, qui ſont aux environs de celui d'Averno, ſont toujours fournis d'oiſeaux aquatiques en hiver, tandis qu'on n'en voit preſque point ſur le lac d'Averno.* Adjicit dein, lacus iſtius undas olim in mare habuiſſe exitum, praecluſum ex quo crebris terraemotibus concuſſus totus is tractus. Tandem a. 1538. ex repentino (verbis utor Cluverii ex l. c.) altiſſimoque hiatu, ignem evomente, tanta cinerum pumicibus permixtorum vis eructata eſt, ut inde *mons novus* vel *cinereus* exſurgeret. Latine rectius fere dici Averni lacum quam Avernum oſtendit Cluverius. O.

## Acheron

De Acheronte amne apud Mariandynos ſito ſupra eſt actum pag. 51. Is ex Acheruſia palude vel ſpecu credebatur profluere, per quem ex inferis protractum Cerberum ferebant. Acherontem fluvium cum Acheruſia palude habuit & Epirus teſte Pauſania in Atticis c. 17. & Thucydide L. I. c. 46. Livius eum l. VIII. c. 24. ex Moloſſide fluentem in ſtagna inferna accipere Theſprotium ſinum narrat. Porro & Acheron vel Acheruſia aqua in Bruttiis extitit, Epirenſi Alexandro fatalis. v. Livius l. c. Heic eam Vibio intelligi Acheruſiam paludem arbitratur Claudius, quam Cumis vicinam Plinius tradit L. III. c. 5. quamque τῆς θαλάσσης ἀνάχυσιν τινα τεναγώδη dicit Strabo L. V. p. 243. Minus recte in tabula Theodoſiana inter Liternum & Cumas & ovata quidem forma *la-*

*cus* notatur *aceruſius*, adſpiratione haud dubie per librarii incuriam omiſſa, ut judicat Cluverius Ital. ant. L. IIII. c. 2. Hodie eum eſſe, qui vulgo dicatur *il lago di Colluccia*, arbitratur idem, ea maxime ratione ductus, quod Strabo Cumas inter & Miſenum promontorium ſitum indicat. Quod ex opinione veterum illac ad inferos iri tradit Vibius, id cum Averno commune habuit Acheruſius lacus. Strabo l. c. ubi de Averno loquitur τοῦτο χωρίον Πλουτωνιόν τι ὑπελάμβανον . . Ἔστι δὲ πηγή τις αὐτόθι πολυμίου ὕδατος ἐπὶ τῇ θαλάττῃ· τούτῳ δ' ἀπείχοντο πάλαι, τὸ τῆς Στυγὸς ὕδωρ νομίσαντες . . . τότε πυρφλεγέθοντα ἐκ τῶν θερμῶν ὑδάτων ἐτεκμαίροντο τῶν πλησίον τῆς Ἀχερουσίας. Nota ſunt & obvia paſſim Poëtarum loca. O.

## Aecitus

Primo quidem obtutu hic locus in iis mihi viſus erat, de quibus deſperandum penitus eſſet. Re probe perpenſa, *Acritus* vel potius *Achridus* legendum cenſeo. Scilicet ad Lychnidum urbem Daſſaretiorum, Illyridos qui populus fuit teſte Stephano, Lychnites palus eſt ſita, ex qua Drinus profluit, qua de re v. ſupra pag. 105. Oſtendimus ibi, ſequiori aevo utramque, urbem aeque ac paludem, dictam eſſe *Achridem*, & hodie nomen reſtare *Akrida*. Quam facile librarii in hac voce, minus nota, offenderint, quamque nulla opera ex iſta excluſerint monſtra, quae nunc codices obſident, *Aecitus*, *Aicitus*, *Aecicus*, *Aeticus*, nemo eſt, qui non intelligat. Apolloniae quod dicat Vibius, paullo latius, ut ſaepe alias apud ipſum uſu venire vidimus, capiendum eſt. Haud procul ſane Apollonia abeſt Akrida cum lacu ſuo. In tabula Theodoſiana utrique adſcriptum eſt *Lignido*. O.

## Amſanctus

Virgilius Aen. L. VII. v. 563.

*Eſt locus Italiae in medio, ſub montibus altis,*
*Nobilis & fama multis memoratus in oris,*

*Amſancti valles. Denſis hunc frondibus atrum*
*Urget utrinque lacus nemoris, medioque fragoſus*
*Dat ſonitum ſaxis & toto vertice torrens.*
*Hic ſpecus horrendum & ſaevi ſpiracula Ditis*
*Monſtrantur, ruptoque ingens Acheronte vorago*
*Peſtiferas aperit fauces - - - -*

ad quae verba Servius ita: *Hunc locum umbilicum Italiae coſmographi dicunt. Eſt autem in latere Campaniae & Apuliae, ubi Hirpini ſunt; & habet aquas ſulphureas, ideo graviores, quia ambiuntur ſilvis. Ideo autem ibi aditus dicitur inferorum, quod gravis odor juxta accedentes necat; adeo ut victimae circa hunc locum non immolarentur, ſed odore perirent ad aquam applicatae: & hoc erat genus litationis. Sciendum ſane Varronem enumerare, quot loca in Italia ſint hujuſmodi. Unde etiam Donatus dicit Lucaniae eſſe, qui deſcribitur locus circa fluvium, qui Calor vocatur. Quod ideo non procedit, quia ait; Italiae medio ſub montibus altis. Hoc niſi ad totam Italiam referas, non procedit: ut ſit. Eſt in vallibus Italiae montuoſae. Nam in hoc loco montes penitus non ſunt. Amſanctos valles dicit, id eſt, omni parte ſanctos.* cf. & Pierius. Porro Claudianus de raptu Proſerpinae L. II. v. 348.

*Tunc & peſtiferi pacatum limen Averni.*
*Innocuae tranſiſtis aves, flatumque repreſſit*
*Ampſanctus, tacuit fixo torrente vorago.*

ubi vid. Barthius. HESSEL. In Hirpinis eſt lacus Ampſanctus, teſte Cicerone de divinat. L. I. c. 36. & Plinio H. N. L. II. c. 93. Lucaniae limites nimis profert Vibius, Hirpinos iſtis dum includit, fere ut Mela L. II. c. 4. qui Picentinos. *Ad Mephitis aedem eſſe Amſancti lacum, morique qui intraverint*, addit Plinius. Ridiculum hoc plane videtur Cluverio Ital. ant. L. IV. c. 8. „Quis enim reperiatur, ita ille, „niſi mente tota captus, homo, qui aquas intrare velit, „quae aterrimo colore odoreque teterrimo in medio lacus, „qui triangula eſt forma, circuitu modico, ad viri proce„ritatem ingenti cum fragore ebulliant? Sane, quum ad „eum ego accederem, e longinquo (nam ad mille paſſus

„ ejus odor occurrebat ) nares ſumma diligentia obturabam, „ nequid mali contraherem. „ A Mephiti Dea, cujus meminit Plinius, hodie *Moſetes* vel *Muſiti* nomen lacui inhaeret. O.

## Benacus

Supra in Mincio flumine eadem, quae hic, tradiderat noſter. v. pag. 14. & 141. & infra in Venaco lacu recurrent. Plinius L. IX. c. 22. ita: *Lacus eſt Italiae Benacus in Veronenſi agro, Mincium amnem transmittens.* v. & L. III. c. 19. Menſuram ejus tradit Strabo L. IV. p. 209. ἡ μὲν Βήνακος λίμνη ἔχει μῆκος πεντακοσίων σταδίων, πλῶτος δὲ ἑκατὸν πεντήκοντα, ἐκρεῖ δὲ ποταμὸς Μίγκιος. Eleganter Benaci filium dicit Mincium Virgilius Aen. L. X. v. 205.

*Quos patre Benaco, velatus arundine glauca,*
*Mincius infeſta ducebat in aequora pinu.*

Benacus hodie *Lago di garda;* Mincius, *Menzo.* Benacenſes acçolas habes apud Gruterum pag. CCLX. 2. CCLXIII. 8. O.

## Cyane. Cocytus.

*Per quem* ) Nic. Heinſius: vel invito MS. *per quam* lege. De ſtagno ſeu fonte Cyane fabula narratur ab Ovidio Metam. L. V. v. 409. & Ep. ex Ponto L. II. ep. X. v. 25. Lactantio argum. Metam. Ovid. L. V. fab. 6. & Claudiano de raptu Proſ. L. III. v. 245. Apud Vibium hoc in loco ſcribendum eſt: *Cyane Syracuſis, per quem* ( lacum ſcil. ſecundum eum ) *Anapus tranſit.* Reliqua *per Stygiam paludem* videntur pertinere ad *Cocytos inferorum.* ſic enim Virgilius Georg. L. IV. v. 478.

*Quos circum limus niger & deformis arundo*
*Cocyti, tardaque palus inamabilis unda*
*Adligat & novies Styx interfuſa coërcet.*

ibi Philargyrius: *Cocytus fluvius inferorum* & aliter *Cocytus amnis apud inferos ex Styge profluens* ἀπὸ τοῦ κωκύειν, *quod eſt gemere & flere.* Idem poëta Aencid. L. VI. v. 322.

*Anchiſa generate Deum certiſſima proles,*
*Cocyti ſtagna alta vides, Stygiamque paludem.*

Donatus ibi: *Stagnum Cocyti nomen, palus vero, quae ex ſuperfuſione aquae efficitur, Styx appellatur.* v. & Servium ad v. 295 & 297. HESSEL. Recte quidem verba *per Stygiam paludem* articulo ſequenti, a quo temere videntur divulſa, reſtituis, ſed quid erit oppido! *Cocytos inferorum per Stygiam paludem?* an in his ſenſus? ſcilicet legendum ſuſpicor *pre Stygiam paludem: pre* ſcriptum compendioſe pro *prope*, hinc erroris ſcaturigo. Sed haec levia: ipſa tranſpoſitionis medela tibi debetur ex aſſe. J. C. DE PAW.

Hoc modo in codice meo:

*Cyane Syracuſis per quem Anopos tranſit,*
*Per Styga paludem.*
*Cocytus inferorum.*

Crediderim fere, Vibium duas periodos copulaſſe, quia literae vicinae favebant, & deeſſe comparativam particulam *ut*, *tranſit ut per Styga.* ſcilicet Anapus miſcetur Cyanae, ut Cocytus Stygi. Ovidius L. II. ex Pont. X. 26.

*Quaque ſuis Cyanen miſcet Anapus aquis.*

Nam Cocytus eſt τῆς Στυγὸς ἀποῤῥώξ. nihil notius ex Homero. v. Cerdam ad Virgilii L. VI. Aen. v. 297. Si id non placet, Cl. Heſſelii amplecterer διόρθωσιν, qua periodum *per Styga paludem* refert unice ad *Cocytos inferorum.* Nam Pavoni *per* in *prope* mutanti erat oſtendendum, ita tradidiſſe veteres expreſſis verbis: alioquin omnia, quae in Plutonis regno ſunt, fingere poſſumus ſibi vicina, quia in ſuperis dum ſumus topographiam inferorum noſcere non licet accuratius, niſi ex poëtis, qui nihil neſciunt; at, ut dixi, *Cocytus* non modo *prope Styga* fluit, ſed cum eo miſcetur vel ex eo oritur. Deinde commentitia eſt illa vocis *prope* nota *pre* in MS. Solebat enim a tachygraphis ſcribi aliter, ſcilicet ducta lineola per imam partem primae litterae *p.* In loco Vibii autem viri docti corrigunt, *per quam Anapus.* non obloquor; ſed videndum, annon commode ad *lacus* ſubintellectum

poſſit referri pronomen. Sic mox *Inatamana lacus, ex quo* ſed ibi tamen adeſt ipſum vocabulum *lacus.*

D'ORVILLE *in critica vannu.* p. 222.

„ Puto legiſſe Vibium alicubi, per Cyanen tranſiſſe Plutonem cum Proſerpina in Stygiam paludem, ipſam vero „ Cyanen defluere in Anapum.„ Ita judicat Cluverius Sic. ant. L. I. c. 13. Cum poëtarum locis maxime Ovidii & Claudiani, qui Cyanen nympham lacrymis ob raptam Deam contemtaque fontis jura ſui abſumtam & in liquidum fontem mutatam referunt, Diodorus Sic. & Plutarchus maxime conferendi ſunt. Is enim L. V. c. 4. a Plutone ibi, ubi terram dirupiſſet, fontem Cyanen productum ſcribit, apud quem ſolemnem poſtea quotannis panegyrin celebrarint Syracuſani, ſacrificiis etiam publice privatimque peractis. Hic in Parallelis Cyanen Cyanippi patris crimen ipſius ſuaque nece expiaſſe commemorat. Hodie fontem ab accolis dici *la Piſma*, ingentemque eſſe ad modum ſtagni, unde recte Diodoro l. c. dicatur λίμνη & Vibio inter lacus recenſeatur, auctor eſt Cluverius. Flumen a fonte profluens poſt mille circiter paſſus dextrae Anapi ripae adfunditur, quod teſtatur idem. Paullo aliter ea de re Th. Fazellus de Reb. Sic. L. IV. c. 2. „ Ad „ Anapi dextram in eo loco duo ingentes eruumpunt fontes, „ major & minor, parvo inter ſe ſpatio diſtantes. Majori „ hodie *piſma*, minori *Piſmotta* ſive *Piſma Cirini* eſt nomen. „ Major fluens dextera ſui parte minorem recipit & ſic „ auctus non longe poſt Anapo illabitur. Cyanes itaque „ fons apud veteres inſignis *Piſma Cirini* & *Piſmotta* hodie „ vocatur: adeoque immenſae profunditatis eſt, ut hominum perpendiculo & funibus eam perſcrutantium ſpem ſemper eludat. Cyane Syracuſarum fons teſte Plinio creſcente „ luna creſcit & ea deficiente decreſcit, quod nos uſu venire vidimus. Anapus fluvius ( haec ego ad pag. 65. notata velim ) per aliquot paſſuum millia incredibilis eſt „ amoenitatis. Tectis namque fronde ſaligna ac populea, „ cryſtallino alveo, viridibus ripis, mira placiditate fluit. Piſculentus eſt, ac ſcapha toto anno navigabilis. „ Hucuſque

Fazellus. Redeo ad Cyanen. Ad eam refert Gruterus tabulam marmoream, quam Smetius atque Manutius descripsere Romae, quaeque sic habet, v. pag. XCIII. 11.

VNDIS. CYANEIS. DONVM. PLA
CAVILE. FECIT
CONTVCCIVS. BLANDAS. PER. A
QVAS. ARAM VENERANDAM
HINC. ORITVR. PERGITQVE. FLV
ENS. DEINDE. OCCIDIT. IN SE
RIPAS. MOX. VIRIDIS. RENOVAN
TIBVS. INCLYTA. NYMPHIS
NVMINE. FONTIGERO. GRATES
EX. VNDIQVE. SOLVENS
SOSPES. CVM. COMITE. PRAE
STAT. RENOVANTE. LIQVORE

cf. P. Burmanni Antholog. Lat. T. I. p. 63. Oppidum quoddam Cyanes nomine insignitum supra Colchos tabula Theodosiana exhibet; Cyaneum fluvium ibidem Ptolemaeus L. V. c. 10. Cyaneas urbem Lyciae Plinius L. V. c. 27. Notae & Cyaneae insulae in ostio Ponti, e regione Cyaneorum, populi. Duo articulos apud Vibium confluxisse in unum, quos recte sejunctos dedimus, nemo forsan erit, cui non persuasum sit. De Cocyto supra pag. 92. actum inter fluvios; paludem post alios dicit Seneca in Herc. fur. Act. III. v. 686.

*Palus inertis foeda Cocyti jacet.* O.

## Ciminius

Nempe lacus; ipse autem *Ciminus*. v. Cellar. G. A. L. II. c. 9. HESSEL. In tabula Theodosiana supra Centumcellas exhibetur *lacus & mons Ciminus*. De monte dicetur infra. Lacus originem e fabulis repetunt veteres. Ita Servius ad Virgilii Aeneid. L. VII. v. 697. *Aliquando Hercules ad hos populos venit, qui cum a singulis provocaretur ad ostendendam virtutem, defixisse dicitur vectem ferreum, quo exercebatur: qui quum terrae esset affixus & a nullo potuisset au-*

*ferri, cum rogatus ſuſtulit. Unde immenſa vis aquae ſecuta eſt, quae Ciminum lacum effecit.* Eo alludit Plinius, quum L. II. c. 98. *In ſilva Ciminia loca eſſe* dicit, *in quibus in terram depacta non detrahantur.* Alii terrae motu ortum eſſe lacum commemorant, quo ſimul oppidum repente abſorptum ſit. In fragmentis Sotionis de mirandis fontium & fluminum lacuumque: τὸ δ' αὐτὸ λέγεσθαι καὶ περὶ τοῦ Κιμίνου λάκκου ἐν Ἰταλίᾳ, ὡς πόλεως πρότερον οὔσης καὶ ἀφνειδίως καταποθείσης. Succinium id oppidum fuit. Ammianus Marcellinus L. XVII. c. 16. *In Ciminia Italiae parte oppidum Succinienſe ad profundos hiatus Erebi abactum aeternis tenebris occultatur.* Ultra Sutrium fuiſſe montem & ſilvam Ciminum ex Livio patet L. IX. c. 37. Eo tractu autem non alius conſpicitur lacus, quam qui ad montis Viterbienſis radices vulgo nunc dicitur *lago di Vico*, item *lago di Ronciglione*. v. Cluverius Ital. ant. L. II. c. 3. Fabricius in nomenclatore adjecto itineribus, editis Baſileae 12. a. 1547. appellari quoque *laco de Ruſilloni* narrat, quoniam antiquitus vicus is fuerit, Rus Syllanum. Patrimonio S. Petri hodie incluſus cernitur. Apud Strabonem Ciminius lacus in eorum recenſetur numero, qui flumina ex ſeſe emittunt in Tiberim. L. V. p. 226. Aſt niſi me fallunt omnia, emendandus ibi eſt geographus. προσλαμβάνουσι δὲ πρὸς τὴν εὐδαιμονίαν τῆς χώρας καὶ λίμναι μεγάλαι τε καὶ πολλαὶ οὖσαι . . . ὧν ἐστὶν καὶ ἥ τε Κιμινία καὶ περὶ Ὀυολσινίους καὶ ἡ περὶ Κλούσιον, καὶ ἡ . . Σαβάτῳ. Legendum judico καὶ ἡ περὶ Ὀυολσινίους. Ut ſenſus ſit: *Talis eſt Ciminius lacus & alius apud Volſinios* &c. Peſſime ſane interpres reddiderat: *Talis eſt Ciminius lacus apud Volſinios.* O.

## Feronia

v. Porphyrion ad Horat. Sat. L. I. Sat. V. v. 4. & Torrentius ad h. l. cf. item Cellarius G. A. L. II. cap. IX. HESSEL.

Putarim equidem, hunc articulum e ſerie fontium in ordinem lacuum auſpiciis librariorum hominum transmigraſſe. Ita quippe Servius ad Virgilii Aeneid. L. VII. v. 800 *Feronia eſt fons in Campania juxta Terracinam, quae aliquando*

*Anxiris eſt dicta.* Tribus millibus ab Anxure fuiſſe ex Horatio patet, qui Serm. L. I. ſat. V. v. 24. ſic:

*Ora manuſque tua lavimus, Feronia, lympha,*
*Millia tum pranſi tria repimus, atque ſubimus*
*Impoſitum ſaxis late candentibus Anxur.*

Hoc cui non arriſerit, forſan feſtinantes Vibii oculos apud Virgilium l. c. pro *luco* legiſſe *lacu* ſibi perſuaſerit. Cluverium tamen ſi audias, „fons ipſe Feroniae Vibio inter lacus connumeratur, quia copioſis aquis veluti in parvi „ ſtagni modum erumpit; tum aquae etiam ſunt ſalſulae & „ corrupti ſeu medicati ſaporis.„ v. Ital. ant. L. III. cap. 7. Caeterum a Feronia quoque, Campaniae nympha & libertorum Dea, oppidum denominatum eſt, quod & *lucus Feroniae* dictum, hodie vulgo *Pietra Santa* nuncupari referunt. v. Cluverius & Ortelius. O.

## Fucinus.

v. Virgilius Aen. L. VII. v. 756.

*Te nemus Angitiae, vitrea te Fucinus unda.*

Neſcio autem, quo pacto dicat Emmeneſſius ad h. l. Fucinum in Lucania ponere Vibium, eumque ob id refutari a Cluverio. Hujus Ital. antiq. jam mihi non eſt in promtu. Forſan peccaverunt operae Hackianae Wolfgangianaeve pluſquam unam ſyllabam *Fucinus*) *Hunc lacum* reponentes pro *Anguitiae*) *Hunc lucum.* Quod ſi factum fuerit, Emmeneſſius mihi videtur abſolvendus eſſe ſuſpicione incuriae; ſin minus, dormitavit utique. Inſpecto demum Cluverio L. II. pag. 771. animadverti de Anguitia, uti conjeceram, eum agere. HESSEL. Fucinus lacus hodie quoque *lago Fucino*, itemque ab oppidis juxta ſitis *il lago di Celano* vel *di Tagliacozzo* ſalutatur. In Marſis conſtanter ponitur. Dio L. LX. p. 672. Τὴν δὲ λίμνην τὴν Φυκίνην, τὴν τῶν Μαρσῶν, ἠθέλησε ὁ Κλάυδιος ἐς τὸν Τίβεριν ἐξαγαγεῖν. Strabo tamen L. V. p. 240. aliis quoque gentibus cingi eum lacum commemorat. Idem aquam Marciam inde derivari Romam teſtatur, quam Plinius e Pelignis trans Marſos & Fucinum lacum defluere

praedicat. v. quae ſupra notavimus ad Pitonium pag. 168. Mari ſimilem eſſe Fucinum ex Strabone quoque condiſcimus, eumque mox ad montana uſque impleri, mox ſubſidere rurſus. De emittendo (in Tiberim) Fucino lacu cogitarunt Romani Principes complures, Julius Caeſar, de quo Suetonius c. 44. Claudius, qui *montem perfodit inenarrabili impendio*, teſte Plinio H. N. L. XXXVI. c. 15. quique *inter lacum Fucinum amnemque Lirim perrupto monte, quo magnificentia operis a pluribus viſeretur, lacu in ipſo navale proelium adornavit*, v. Tacitus L. XII. Annal. c. 56. Id omne negotium, etſi ſucceſſiſſe dicatur proſpere in Euſebii Chronico, deſtitutum tamen eſſe Neronis odio, Plinio credere par eſt. Aſt Hadrianus perfecit, ut Spartianus refert c. 22. Unde teſtimonium Euſebii vel Hieronymi ad hunc potius trahendum videtur. Remanent hodieque veſtigia aquaeductus inaeſtimabilis ſumtus & mirae ſtructurae ab ipſo lacu Romam uſque, uti ad Suetonium adnotavit Marcellus Donatus. O.

## Gygaea

Scholiaſtes Homeri ad Iliad. L. II. v. 865. Γυγαίη) Λίμνη Λυδίας, ὅπου ἡ Γυγαίης Ἀθηνᾶς ἱερόν. & ad L. XX. verſ. 390. Οὕτως ἐν Λυδίᾳ λίμνη καλουμένη Γυγαίη, ἥτις ἀπὸ Γύγου τοῦ Κανδαύλου, ὃν πρῶτόν φασι βασιλεῦσαι Λυδῶν· ἢ ἀπό τινος ἐγχωρίου ἥρωος Γύγου καλουμένου. Scripſiſſe debuerat Sequeſter, *Gygaea palus Lydiae*, quemadmodum Γυγαίη λίμνη Λυδίας; aut *Gygaeus lacus Lydiae*, quemadmodum apud Propertium L. III. eleg. 9. verſ. 17.

*Omphale in tantum formae proceſſit honorem,*
*Lydia Gygaeo tincta puella lacu;*
*Ut, qui pacato ſtatuiſſet in orbe columnas,*
*Tam dura traheret mollia penſa manu.*

non autem *Gygaea lacus Lydiae*, niſi me forte fallit. HESSEL.

Herodoto L. I. cap. 90. λίμνη Γυγαίη. Plinius L. V. c. 29. *Hyde clara ſtagno Gygaeo.* Unde legendum *Gygaeus lacus.* GRONOV.

Lacus is 40 ſtadiis diſtabat a Sardibus, ſecundum Strabonem, qui L. XIII. p. 626. antiquo nomini Γυγαίης, quo Homerus eum mactat in enumeratione navium v. 372, ſucceſſiſſe aliud refert, dictumque Κολόην. A Turcis hodie *Euli gheul*, ſive lacus largus ſalutatur. v. voyage à Thyatire &c. par Mr. de Peyſſonel. p. 351. Circa Coloen lacum antiquorum Lydiae Regum ſepulcra viſebantur olim. v. Strabo p. 627. Haud eſt abſimile vero, lacum iſtum manibus hominum excavatum perfectumque eo fine, ut Hermi exundantes aquas reciperet. S. CROIX.

## Hammonis

Ovidius metam. L. XV. v. 308.

- - - - *quid? non & lympha figuras*
*Datque capitque novas? medio tua, corniger Ammon,*
*Unda die gelida eſt: ortuque obituque caleſcit.*

cf. & Lactantius in argum. metam. Ovidii. *Fons in Africa Hammonis ſolis ortu obituque caleſcit, poſtmodum in glaciem vertitur.* HESSEL.

Plinius L. II. c. 103. *Jovis Hammonis ſtagnum interdiu frigidum, noctibus fervet.* Codicum ſcriptorum auctoritate heic Harduinus reſtituit *ſtagnum*, ubi alii ediderant *J. Hamm. fons.* Ex fonte tamen ſolis profluebat id ſtagnum, memorato praeter Plinium L. V. c. 5. in Cyrenaïca prope Hammonis oraculum, & Melae L. I. c. 8. De fonte iſto prorſus eadem ſed fuſius tradit Diodorus Sic. L. XVII. c. 50. cujus verba fere expreſſit Curtius L. VII. c. 7. *Eſt etiam aliud Hammonis nemus; in medio habet fontem, aquam ſolis vocant. Sub lucis ortum tepida manat; medio die, quum vehementiſſimus eſt calor, frigida eadem fluit; inclinato in veſperam caleſcit; media nocte fervide exaeſtuat; quoque propius nox vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decreſcit, donec ſub ipſum diei ortum aſſueto tempore langueſcat.* Demum Lucretius L. VI. v. 848. conferri meretur, qui ejus rei rationem reddere laborat. O.

## In Athamana lacus Lunae

Haec etiam, ut alia bene multa, ex Ovidio metam. L. XV. hauſta ſunt; ſed neſcio quem in modum mutata: ſic etenim poëta verſ. 311.

*Admotis Athamanis aquis accendere lignum*
*Narratur, minimos quum Luna receſſit in orbes.*

Cui Lactantium adjungo: is ita argum. metam. Ovid. L. XV. fab. 16. *Fons Athamanis lignum accendit. Athamanis Theſſaliae regionis fonti lignum tenuata Luna admotum accenditur.* In Vibio legi poſſet pro *Inatamana lacus Lunae tenera ligna accendit* ſic, *in Athamania lacus luna tenera* (id eſt, tenuata) *ligna accendit:* verum enimvero MS. Rev. exhibens *tenuia* pro *tenera* non fortunat meam mihi conjecturam, niſi extrita littera poſtrema. HESSEL. In conſtituendo hoc articulo, Boccacium ſumus ſecuti, qui ita verba Vibii invertit: *Lunae lacus eſt Athamaniae, tenuia accendens ligna; ex cujus aqua* &c. At re probe perpenſa, quum ſatis conſtare videatur, ex unico Ovidio ſapuiſſe Sequeſtrem, in ſententiam Heſſelii tranſire malo, atque ſic legendum locum nunc ſtatuo: *In Athamania lacus luna tenuata* (vel *tenera*) *ligna accendit* &c. Jam, qualis illa Athamania fuerit, inquirendum. Athamanes ſucceſſu temporis diverſas regiones incoluerunt. Perrhaebis fuiſſe vicinos & in Dotio campo habitaſſe prope Oſſam in media fere Theſſalia, Strabo fidem facit L. IX. p. 442. A Lapithis in Oetam ejectos Athamanes, docet idem l. c. majoremque Perrhaeborum partem ad Athamaniam & Pindum eſſe elapſam. Inde Aetolis proximos Athamanes ponit Livius L. XXXVIII. c. 1. Imo Plinius L. IV. c. 2. Athamanes aeque ac Perrhaebos attribuit Aetolis. Denique Stephanus Athamaniam Illyriae regionem praedicat, ſcilicet, qua ad Aetoliam vergebat. Nam & Strabo Epirotarum ultimos vocat. L. IX. p. 427. Ita ſat latus eſt campus, in quo quaeri Athamanis poſſit Ovidii, ſive fons fuerit ex mente Lactantii, ſive lacus, ut Vibio placet. Quod ſi con-

jecturae locus ſit, vix dubito, quin Jovis Dodonaei fontem intelligat Vibius. Dodone quippe in Moloſſide ſita, Jovis oraculo inclyta, bellicoſis quondam Perrhaebis domicilium praebuit, v. Homerus L. II. in catalogo navium v. 256. Iſtis Athamanes fuere proximi, ut paullo ante oſtenſum. Jam *in Dodone Jovis fons cum ſit geiidus & immerſas faces extinguat, ſi extinctae admoveantur, accendit. Idem meridie ſemper deficit, qua de cauſſa ἀναπαύμενον vocant; mox increſcens ad medium noctis exuberat, ab eo rurſus ſenſim deficit.* teſte Plinio L. II. c. 103. qui priora deſcripſit ex Pomp. Mela L. II. c. 3. Lucretius quoque L. VI. v. 879. jam ita cecinerat:

*Frigidus eſt etiam fons, ſupra quem ſita ſaepe*
*Stupa jacit flammas, concepto protinus igni:*
*Taedaque conſimili ratione accenſa per undas*
*Conlucet, quocunque natans impellitur auris.*

Quae ſequuntur, phaenomeni cauſſas explicant. Solinus in polyh. c. 12. & Iſidorus orig. L. XIII. c. 12. eum fontem in Epiro locant; Dodonen ſilentio aeque premunt ac Lucretius & Vibius. O.

*ex quo qui bibit*) Quicquid hoc dicti eſt, debetur quoque Ovidio; qui de lacubus Aethiopiae quibuſdam injiciens mentionem ait verſ. 320.

*quos ſiquis faucibus hauſit,*
*Aut furit, aut mirum patitur gravitate ſoporem.*

At ea verba non faciunt ad fontem Athamanum. HESSEL.

## Larius

Ad Virgilium Georg. L. II. v. 159.

*Anne lacus tantos? te, Lari maxime - -*

Servius ita: *Larius eſt lacus vicinus Alpibus, qui juxta Catonem in originibus per LX. tenditur millia.* & Philargyrius ad Virgilii Georg. L. II. v. 159. *Larius lacus in Gallia eſt Ciſalpina, non amplius centum viginti ſtadiorum circuitu patens.* HESSEL. Larium lacum deſcripſere Cam. Ghilinus & Pau-

& Paulus Jovius, quorum opuſcula juncta leguntur inſerta Theſauro antiquit. Italic. T. III. P. II. Apud Strabonem ſitus Larii ejuſque ambitus pingitur, L. IV. p. 192. ὁ Ἀδύας . . πληροῖ τὸν Λάριον λίμνην, πρὸς ᾗ ἔκτισται τὸ Κῶμον· εἶτ' ἐνθένδε εἰς τὸν Πάδον συμβάλλει, cf. & pag. 204. & L. V. p. 213. Idem L. IV. c. ult. inter tres lacus magnos, qui in Alpibus ſunt, Larium quoque reponit, qui μῆκος ἔχων τεσσαράκοντα σταδίων, πλάτος δὲ τριάκοντα, βάθους δὲ ἐξήκοντι μέγας Ἀδύας. In definiendo ambitu mire hallucinari Philargyrium; contra recte conſpirare cum Strabone & Antonini itinerario Servium, oſtendit Cluverius Ital. ant. L. I. c. 36. ſiquidem hodie L. numerantur millia a Como ad Ripam Clavennenſem. *Comacenum* lacum vocat Antonini itinerarium, quod quidem nomen hodieque obtinet, dicitur enim *il lago di Como* & Germanis *der Chumerſee*. Caſſiodori epiſtolam ad Gaudioſum Theodorici Regis epiſtolarum magiſtrum ſi inſpicias, & Comi & Comaceni lacus laudes reperies. L. XI. ep. 14. O.

## Lucrinus

v. Virgilius Georg. L. II. v. 160.

*An memorem portus, Lucrinoque addita clauſtra?*
*Atque indignatum magnis ſtridoribus aequor,*
*Julia qua ponto longe ſonat unda refuſo,*
*Tyrrhenuſque fretis immittitur aeſtus Avernis.*

ubi Servius: *In Bajano ſinu Campaniae, contra Puteolanam civitatem lacus ſunt duo, Avernus & Lucrinus: qui olim propter copiam piſcium vectigalia magna praeſtabant. Sed cum maris impetus plerumque irrumpens exinde piſces excluderet, & redemptores gravia damna paterentur, ſupplicaverunt ſenatui: & profectus C. Julius Caeſar, ductis brachiis excluſit partem maris: quae antea infeſta eſſe conſueverat, reliquitque breve ſpatium per Avernum, qua & piſcium poſſet copia intrare, & fluctus non eſſent moleſti. Quod opus Julium dictum eſt. Sed hic ambitioſe undam Juliam appellavit frementem contra moles a Julio oppoſitas.* De hoc aggere agit & Strabo L. V. p. 245.

ubi ſic: ὁ δὲ Λοκρῖνος κόλπος πλατύνεται μέχρι Βαΐων, χώμαῖς εἰργόμενος ἀπὸ τῆς ἔξω θαλάττης ὀκταδίῳ τὸ μῆκος, πλάτος δὲ ἡμαξιτοῦ πλεῖσις, ὃ φασιν Ηρακλέα διχῶσαι, τὰς βοῦς ἐλάυνοντα τοῦ Γηρυόνου· δεχόμενον δ' ἐπιπολῆς τὸ κύμα τοῖς χειμῶσιν, ὥστε μὴ πεζεύεσθαι ῥᾳδίως, Ἀγρίππας ἐπεσκεύασεν. Addit porro, naves nonniſi leves admittere, ſed capturam oſtreorum habere copioſiſſimam. Et tandem nonnullos Lucrinum lacum Acheruſiam eſſe arbitrari. De oſtreis inter alios Horatius epodon ode 2.

*Nec me Lucrina juverint conchylia.*

Terraemotu *novi montis* eruptione, de qua ſupra in Averno lacu dictum eſt, fere omnis Lucrinus lacus interiit. Cineribus quippe ita fuit oppletus, uti nunc tenuis tantum ac coenoſa exſtet palus cum exiguo arundineto, teſte Cluverio Ital. ant. L. IV. c. 2. Hodieque nunc ibi *monte nuovo di cenere* dictus reſtat; eam deſcribit Caeſ. Capaccius in Antiquit. Puteolanis cap. 20. quae prodiere Romae 8. 1652. Palus ipſa, quae ſupereſt, teſte Fabricio in nomenclatore paullo ante citato, *Mare morto* ſalutatur. Ben. Falconio eſt *Lago Licola.* O.

## Lemanus

Lucanus L. I. v. 392. *cavum Lemanum* dicit. Auſonius clar. urb. carm. XIII. v. 7.

*Qua rapitur praeceps Rhodanus genitore Lemanno.*

HESSEL.

Lemanum vel Lemannum ſalutant lacum praeter poetas alii quoque veterum. In his Mela L. II. c. 5. ubi de Rhodano ſic: *Rhodanus non longe ab Iſtri Rhenique fontibus ſurgit. Deinde Lemanno lacu acceptus tenet impetum, ſeque per medium integer agens, quantus venit egreditur.* Plinius L. II. c. 103. In iis commemorat & Larium & Lemannum lacubus, qui dulces aquas fluminum transvehunt. *Quaedam* (aquae) *& dulces inter ſe ſupermeant alias, ut in Fucino lacu Pitonius amnis, in Lario Addua, in Verbano Ticinus, in Benaco Mincius, in Sevino Ollius, in Lemanno Rhodanus.* Apud Stra-

bonem vitiosum videtur nomen L. IV. p. 204. ἡ ἡ Πελαμόνα λίμνη. sic legendum jubet Casaubonus, prius aderat ἡ πῆ Λαμόνα λίμνη. Idem p. 208. λίμνην τὴν Λιμόναν salutat. Quid ni autem eodem nomine vocaverit eundem lacum paullo ante? Suspecta mihi quam maxime Πηλαμόνα. Ptolemaeus quoque Λιμόνην dicit. Vix dubito proinde, quin apud Strabonem pag. 204. quoque legendum sit ἡ ἡ Λιμόνα vel Λαμόνα λίμνη. Hodie *Genevae lacus* itemque *Losannae* nuncupatur. At hoc nomen prorsus antiquum est. In Antonini itinerario *lacus* occurrit *Lausonius*, in tabula Theodosii *Losanensis*; manifesto id est indicio, Lausonnam urbem, memoratam anonymo Ravennati L. IV. c. 26. saltem jam saeculo secundo stetisse. Rufo Festo Avieno videtur *Accion* dici is lacus, v. 671.

*- - - panditur porro in decem*
*Passus recursu gurgitum stagnum grave,*
*Plerique tradunt: inserit semet dehinc*
*Vastam in paludem, quam vetus mos Graeciae*
*Vocitavit Accion, quae praecipites aquas*
*Stagni per aequor egerit: rursum effluus*
*Arctansque sese fluminum ad formam - - -*

De Rhodano & lacu, per quem transit, sermonem Avieno esse, ipse mox indicat. O.

## Mareotis

Ptolemaeo L. IV. c. 5. Μάρεια λίμνη dicitur. Plinius L. V. c. 10. *Juxta Mareotim lacum, qui locus ante Arapotes nominabatur.* GRONOV. Pro *Arapotes* legendum esse *Rhacotes* docet Harduinus ad eum locum, quo simul Mareotis lacus amplius describitur ita: *Mareotis lacus a meridiana urbis* (Alexandriae) *parte, euripo e Canopico ostio mittitur mediterraneo commercio, insulas quoque plures complexus, XXX. millia passuum trajectu, CL. ambitu, ut tradit Claudius Caesar. Alii schoenos in longitudinem patere XL. faciunt, schoenumque stadia XXX. ita fieri longitudinis CL. mill. pass. tantundem & latitudinis.* Strabo latum dicit lacum

ſupra C ſtadia, longum intra CCC. Habere inſulas octo, & loca in orbe circumjacentia bene habitata. L. XVII. p. 799. E Nilo in Mariam lacum plures ductas eſſe foſſas tradit p. 803. O.

*vites Mareoticae*) Virgilius Georg. L. II. v. 91.

*Sunt Thaſiae vites, ſunt & Mareotides albae:*
*Pinguibus hae terris habiles, levioribus illae.*

& ad h. l. interpretes. HESSEL. De vino Mareotico ſic Strabo l. c. Ἐυσινία τί ἐστι περὶ τοὺς τόπους, ὥστε καὶ διαχεῖσθαι πρὸς παλαίωσιν τὸν Μαρεωτικὸν οἶνον. cf. & Plinius L. XIV. c. 3. Mareoticas vites in alias quoque regiones translatas eſſe, ex Iſidoro patet orig. L. XVII. c. 5. O.

## Triviae

*Ariciae*) Simlerus *Africae*, perperam. Ovidius Faſt. L. III. v. 261.

*Nympha, mone, nemori ſtagnoque operata Dianae;*
*Nympha Numae conjux, ad tua feſta veni.*
*Vallis Aricinae ſilva praecinctus opaca*
*Eſt lacus, antiqua relligione ſacer.*

HESSEL.

De Aricino nemore Dianae Tauricae ſive Scythicae, deque lacu Dianae, in eo ſito, fuſe agit Cluverius Ital ant. L. III. c. 4. Aricia, mille paſſus ultra Albanum, oppidum fuit, quod nunc vulgo *la Riccia* corrupte dicitur. Prope id fons Egeriae Nymphae, item nemus lacuſque fuit, Dianae ſacer. v. Ovidium paullo ante a nobis citatum ad falſo jactatum a Vibio Virbium flumen p. 212. ubi feſtinanti calamo quaedam excidere minus recte poſita. Lege, „lacum quum „ vidit Aricinum Sequeſter, ad quem Virbius ſit moratus „ & cultus, Virbium pro flumine accepit, ex eo lacu pro„ manante. „ Lacum & nemus jungit Ovidius metam. L. XIV. v. 331. ſiquidem legere fas eſt:

*Quaeque colunt Scythicae ſtagnum Nemorale Dianae.*

Alii enim heic *regnum* habent. In deſcribendo lacu reliquis praeſtat Strabo, cujus verba haec ſunt L. V. p. 239. Μετὰ

δὲ τὸ Ἄλβανον Ἀρικία ἐστὶ πόλις ἐπὶ τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ . . . . τὸ δ' Ἀρτεμίσιον ὄ καλοῦσι νέμορ, ἐκ τοῦ ἐν] ἀριστερᾷ μέρους τῆς ὁδοῦ τῆς ἐξ Ἀρικίας ἀναβαίνουσιν εἰς τὴν δ' Ἀρικίνην τὸ ἱερὸν· λέγουσι δ' εἶναι ἀφιδρύματα τῆς ταυροπόλου . . . τὸ δ' ἱερὸν ἐν ἄλσει· πρόκειται δὲ λίμνη πελαγίζουσα· κύκλῳ δ' ὄρεσιν συνεχὴς ὀφρῦς περίκειται, καὶ μία ὑψηλὴ, καὶ τὸ ἱερὸν καὶ τὸ ὕδωρ ἀπολαμβάνουσα ἐν κοίλῳ τόπῳ καὶ βαθεῖ· τὰς μὲν οὖν πηγὰς ὁρᾷν ἐστὶν, ἐξ ὧν ἡ λίμνη πληροῦται . . . Vernaculum nunc lacui nomen a duobus ſuperne imminentibus oppidis *lago di Jenſano* (non *Jouſans*, ut habet Caſaubonus ad Strabonem) & *lago di Nemo.* Triviae cognomen Dianae notum in vulgus. Hic maxime uſitatum poëtis, patet vel ex Virgilio L. VII. v. 514.

*Tartaream intendit vocem; qua protinus omne*
*Contremuit nemus & ſylvae intonuere profundae.*
*Audiit & Triviae longe lacus - - -*

ubi Servius notat: *Eſt nemus haud longe ab Aricia, in quo lacus eſt, qui ſpeculum Dianae dicitur.* O.

## Velinus

Hic locus habebat ſe male. Velinum autem lacum in amnem Narem labi, cognitiſſimum eſt. Recte eſt apud Heinſ. in collat. ἀπόγρ. Gud. etenim ſic Servius ad Virgil. Aen. L. VII. v. 657. *Varro tamen dicit in gente populi Romani Sabinos a Romulo ſuſceptos iſtum accepiſſe montem, quem ab Avente fluvio provinciae ſuae appellaverunt Aventinum.*

*Nar*) Graevii judicium vide ad Ciceronis ep. ad Attic. L. IV. ep. 15. HESSEL.

Forte legendum: *Velinus Interamnae labens.* Nam Velinus labitur ſeu cadit Interamnae in Narem. GRONOV.

Tabula Theodoſiana prope *Vadis Volateris* habet *Velinis.* Eſt porro Velinus lacus & portus, ab urbe Velia ſive Ἐλέᾳ ſic dictus, ſpectans ad Lucaniam. Lacus Velinus, de quo hic ſermo, hodie *lago di Piè di Luco*, itemque *lago di Rieti* ſalutatur; quod jam olim factum, Varro enim L. I. c. 7. *Reatinum lacum* nominat. In Sabinis fuit, teſte Plinio

L. III. c. 12. In Narem amnem effuſum, maxime quum M'. Curius Dentatus a. u. 463. interciſo monte latius ipſi lacui aperuiſſet oſtium, ex Cicerone patet, loco, quem citat Heſſelius. Ea res poſtmodum Reatinis & Interamnatibus jurgii cauſſam dedit. Teſtis praeter Ciceronem Tacitus quoque Annal. L. I. c. 79. Jam ut ad Vibium accedam propius, vulnus, dudum ipſi illatum, nec Heſſelii nec Gronovii conjectura ſanatum arbitror. Boccacius, qui ita: *Velini fontes Italiae ultra Interamnas ſunt*, alii anſam ſuppeditat. Forſan ſcripſerit Vibius: *Velinus ultra Interamnas labens.* Hoc ni ſit, placebit fortaſſis iſtud: *Velinus in Narem labens* aut *Velini in Narem labentes.* Rectiora qui dederit, ei lubens adſtipulabor. O.

## Venacus

Lacus hic in ed. Toloſana deficit & recte; nam ſuperius eſt *Benacus* &c. Eſt autem lacus, ex quo Mincius flumen oritur, quod praeterfluit Mantuam. De eo v. Probus ad Virgil. Georg L. II. v. 160. HESSEL. Hic articulus recte deeſt in MS. Mediol. Nam lacus vocatur *Benacus;* cujus jam meminit Sequeſter. GRONOV. Quum recte Vibius ſcripſerat ſuo loco: *Benacus* &c. forte fortuna in quibuſdam libris, contra literarum quidem tenorem ſed prono amanuenſium lapſu, *Venacus* irrepſit pro *Benacus*, quod ſimulac naſuti alicujus Grammatici oculos in ſe convertit, bonus ille de *Benaco* non cogitans & genuina γραφῇ, mox lacus alterius exiſtimavit nomen, adeoque codices alios ſuo loco his ſplendidis locupletavit oppido! *Venacus Galliae* &c. id quod poſtea, ut error errorem trahit, in *Venatius* ab iiſdem Lucumonibus mutatum. DE PAUW. Codex meus utroque loco agnoſcit hunc paragraphum & ultimo loco *Venacus*, recte. Qui legit ea, quae doctiſſimus Pierius contulit ad Virgilii L. X. Aen. v. 205 de orthographia hujus vocis & ſimilium, videbit, non eſſe fortuitum errorem, ſed conſtantem etiam Grammaticorum virorum ſcribendi morem. Qui quam antiquus ſit, ego non definierim, ſed jam Hadriani tempore obti-

nuiſſe, patet ex numo, in quo Danuvius pro Danubius, quem refert Triſtanus Tom. I. p. 396. & Spanhemius T. I. de praeſt. & uſu Num. p. 120. Videatur quoque H Stephani praefatio ad Lex. Lat. Graec. Demonſtret jam noſter Lucumo, Vibium ante ea tempora vixiſſe, &, cum hunc libellum in literas digereret in uſum filii ſui, non potuiſſe gemino loco referre eundem fluvium vel lacum, ne, ſi forte in ſcripturam diverſam incideret adoleſcens, dubius haereret. Quoties non videmus Heſychium, Suidam alioſque eadem vocabula diverſis litteris recenſere, quia ita κείμενα in auctoribus inveniebant, quae delere, non niſi temerariis hominibus placebit!

D'ORVILLE *in critica vannu* p. 220.

# AD NEMORA

Nemorum illa modo Vibius afferre videtur ſecum conſtituiſſe, quae Numini cuidam ſacra eſſent. S. CROIX.

## Angitiae

*Anguiae*) In Marſis collocari debet hoc nemus, ſi ullo prorſus modo intelligatur mihi Virgilius Aen. L. VII. v. 759.

*Te nemus Angitiae, vitrea te Fucinus unda,*
*Te liquidi flevere lacus.*

ejuſque interpretes. v. Cluv. Ital. ant. L. II. MS. Rev. *Angitiae.* HESSEL. Hunc locum recte ſanavimus. Vibius varietatem vocabuli, quod Virgilio ac Servio *Angitia*, Silio vero atque Solino ſcriptum erat *Anguitia*, indicare voluit, ut judicat Cluverius Ital. Ant. L. II. c. 15. Ortelius hariolatus erat, *Angitiae* legendum. Jam ex *Angitia* librariorum hominum inſcitia monſtra illa *Anginiae* itemque *Anguiae* peperit. Quod Lucaniae adſcribit hoc nemus, manifeſtus eſt error noſtri; ni is ſcripſit *ad Fucinum* (nam ad occidentale latus Fucini lacus is lucus ſitus erat) vel ſimile quid, ex quo dein confectum id *Lucaniae.* Servius ad Virgilii L. VII. v. 759. Angitiae lucum, quem metri cauſſa nemoris nomine mactavit Poëta, in Medeae honorem ſic ſalutatum refert. *Marruvios autem circa Fucinum habitantes, quos docuit remedia contra ſerpentes, iſtam nominaſſe Angitiam, ab eo, quod ejus carminibus ſerpentes angerent.* Fabellam declarant Silius Italicus L. VIII. v. 500.

*Aeetae prolem Angitiam mala gramina primam*
*Monſtraviſſe ferunt, tactuque domare venena,*
*Et lunam excuſſiſſe polo, ſtridoribus amnes*
*Frenantem, ac ſilvis montes nudaſſe vocatis.*

& Solinus in polyh. cap. 8. ubi ſic: *C. Caelius Oetae* (lege *Aeetae*) *tres filias Angitiam, Medeam & Circen fuiſſe dicit. Circen Circaeos inſediſſe montes, carminum maleficiis varias imaginum facies mentientem. Angitiam vicina Fucino occu-*

*paviſſe, ibique ſalubri ſcientia adverſus morbos reſiſtentem cum deſiſſet intus hominem* (lege *inter homines*) *vivere, Deam habitam.* Male heic diſtinguere videtur Solinus Medeam ab Angitia, quam unam eandemque habet Servius. Neque apud Diodorum Siculum plures duabus tribuuntur filiae Regi Colchidis, Circe & Medea; quarum iſtam veneficiis, hanc medicamentis inclaruiſſe ſcribit. L. IV. c. 46 & 47. Locum, ubi olim nemus vel lucus potius Angitiae ſtetit, indicat hodieque oppidum, *Luco* dictum; *Lucenſes* luci incolas vel accolas ſalutat Plinius L. III. c. 12. O.

## Clarium

Nempe nemus. Si legas *Clarius*, intelligendus eſt lucus. *Colophoniae*) nempe regionis. HESSEL. *Clarium*) recte. Subintelligitur enim nemus. GRONOV. Clarium nemus ab exordio nonniſi ſaltus fuiſſe videtur, Colophoni vicinus, qui, quum ſacerdotibus eſſet aptus viſus, in quo templum ſtrueretur, ſucceſſu temporis oraculo Apollinis inclaruit. De condito autem utroque & templo & oraculo conſulas velim Strabonem L. XIV. p. 642. ubi diverſas Heſiodi & Pherecydis ſententias exponit, porro ſcholiaſtem Apollonii Rhodii, qui ad L. I. v. 308. Theopompi & Nearchi opiniones refert, tandem & Pauſaniam in Achaïcis cap. 3. Ariſtidem ſi audias, inter oracula Graeciae ſecundum locum tenuit Clarium. v. Ariſtides op. ed. Jebb. T. II. p. 12. cf. & Clemens Alex. cohort. ad gent. T. I. p. 4. Ex Lactantio patet, Delphico Clarium ſuam originem debere: *Apollo enim . . . Colophone reſpondens, quo Delphis credo emigraverat, Aſiae ductus amoenitate.* L. I. de falſ. Relig. cap. 7. Strabo quoque antiquiſſimum eſſe oraculum Clarium agnoſcit, ſed quum adjicit μαντεῖον ἦν ποτὲ παλαιὸν facile perſuadere nobis poſſet, ipſius tempore illud obmutuiſſe, niſi Pauſaniae teſtimonio appareret, diu etiam poſt Strabonem magno in honore fuiſſe. Tacitus etiam Germanicum dicit *appuliſſe Colophona, ut Clari Apollinis oraculo uteretur.* L. II. Annal. c. 54. Conſuluit & Clarium Deum Paullina de nuptiis Claudii. v.

Tacitus Ann. L. XII. c. 22. Luciano teſte, Alexander oracula Clari, Malli & Didymorum ſibi conciliavit, adjicitque: ἀνδρὸς ἐνδοκιμοῦντος ἐπὶ τῇ ὁμοίᾳ μαντικῇ. pſeudomant. c. 29. Aquae potu, e ſubterraneo ſpecu profilientis, fatidicam vim excitam fuiſſe Schol. Apollon. L. I. v. 308. & Jamblichus de myſter. Aegypt. Sect. III. c. 2. tradunt. Non autem Pythia quaedam fuit, cujus ex ore oracula funderentur Claria, ut Delphis fiebat, ſed verba Taciti refero, annal. L. II. c. 54. *certis e familiis & ferme Mileto accitus ſacerdos numerum modo conſultantium & nomina audit, tum in ſpecum degreſſus hauſta fontis arcani aqua, ignarus plerumque litterarum & carminum, edit reſponſa verſibus compoſitis ſuper rebus, quas quis mente concepit.* Addit Plinius L. II. c. 103. *ejus aquae potu mira reddi oracula, bibentium breviore vita.* Et tandem teſte Tertulliano de anima, *Lymphaticos efficit Colophonis ſcaturigo Daemoniaca.* Praeterea & Dianae ſtatua vel templum quoque Clari fuit. Inde Colophonii junctam Latonae ſobolem in NN. ſuis repraeſentarunt adjecta epigraphe ΚΛΑΡΙΟΙ v. Ez. Spanhemius de V. & P. NN. item in Callim. pag. 124. Clarius lucus juxta Strabonem ad ipſam urbem Colophonis fuit, ad quam ſpectabat τὸ πρὸ αὐλῆς ἄλσος τὸ Κλαρίου Ἀπόλλωνος. L. XIII. p. 442. Qui ſitus, quum minime ſit dubius, emendando Scylacis loco inſerviet, apud quem ita: Κολοφῶν, ἐν μεσογαίᾳ, Νότιον ἡ λιμήν, Ἀπόλλωνος Κλαρίου ἱερόν. peripl. p. 35. ed. Voſſ. Quid ita? portus ergo in mediterranea regione fuit? Itaque Cellario G. A. L. III. c. 3. in mendo cubare locum ſuboluit. Inepte hic, ut alibi paſſim apud Scylacem transpoſita verba ſunt, ita potius locanda: Κολοφῶν, ἐν μεσογαίᾳ Ἀπόλλωνος κλαρίου ἱερόν, Νότιον ἡ λιμήν. Non modo autem ex Strabone ſed & ex Plinio huic noſtrae emendationi robur accedit, qui L. V. c. 29. haec habet: *Et intus ipſa Colophon, Haleſo adfluente, inde Apollinis Clarii fanum, Lebedos: fuit & Notium oppidum.* Eodem faciunt & Pomponii Melae verba L. I. c. 17. *ibi Lebedos, Clariique Apollinis fanum, quod Manto . . . & Colophon.* Clarius proinde lucus prope Colophonem fuit,

celebritaſque oraculi eo colonos attraxit, quorum manibus ſtructum eſt oppidum, Nicandri patria.

τὸν ἐθρέψω Κλάρου νιφόεσσα πολίχνη,

Alexiph. Nic. ſub fin. Simili modo Antimachum Clarium ferunt, ut Cicero de Clar. Orat. c. 51. Loca haec ſimulque Scholiaſtes Apollonii, ubi ad v. 308. L. I. Argon. ita: Κλάρος πόλις πλησίον Κολοφῶνος, ἱερὰ Ἀπόλλωνος, ἡ χρηστήριον τοῦ Θεοῦ, clare evincunt, errare eos, qui Claron urbem nunquam exſtitiſſe perhibuere. Denique Smyrnenſis nummus, ab Ez. Spanhemio ad Callim. p. 123. adductus, docet, Smyrnam Apollinis Clarii cultum adoptaſſe, quod tum credideſim factum, quum Colophonenſium pars, domeſticis excitata turbis & patrio cedere coacta ſolo, Smyrnam occupavit, ab Aeolis deinceps ſibi conceſſam. v. Herodotus L. I. c. 150. S. CROIX.

## Dodona

Urbs Dodone habuit Dodonaeum nemus. cf. Barthius ad Claudiani paneg. in III. Cs. Honorii v. 117. Graece Ἤπειρος dicitur Epirus. HESSEL. Antiquiſſimum Graeciae oraculum Dodonaeum fuit. v. Herodotus L. II. c. 52. L. IV. c. 33. a Pelaſgis quippe inſtitutum, v. Homerus Iliad. L. XVI. v. 233.

Ζεῦ Ἄνα Δωδωναῖε, Πελασγικὲ, τηλόθι ναίων
Δωδώνης μεδέων δυσχειμέρου - - - - -

In Theſprotia ſitum erat, regione Epiri. Cinctus paludibus lucus, v. Strabo L. VII. p. 328. Jovi ſacratus; *nemorum Dodona parens.* Statius theb. L. III. v. 106. Simul templi loco erat, nec enim moenibus clauſum id nemus, τοίχους μὴ ἔχον. v. Stephanus Byzant. v. Δωδώνη. Si quaeras, quale arborum genus ibi inventum ſit, reſpondemus,

*Aeſculus atque habitae Grajis oracula quercus,*

v. Servius Virgilii Georg. L. II. v. 16. Aeſchylus prometh. v. 802. Pauſanias in Attic. &c. S. CROIX. cf. & Homerus Odyſſ. L. XIX. v. 296. ubi e quercu conſilium Jovis audiri dicitur.

Τὸν δ' ἐς Δωδώνην φάτο βήμεναι, ὄφρα Θεοῖο
Ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακούσῃ.

Pauſaniae dicitur fagus Jovi ſacra, ἱερὰ τοῦ Θεοῦ φηγός. in Attic. cap. 17. unde Euphorioni apud Stephanum Byz. *faginus Jupiter* ſalutatur:

Ἱκόμεν ἐς Δωδῶνα Διὸς φηγοῖο προφῆτιν.

Idem Pauſanias in Phocicis cap. 12. ubi fatidicarum mulierum cenſum agit, apud Dodonaeos commemorat Peleas vel Peleades. Quum autem id nomen & vetulam notaret & vaticinatricem & columbam, v. Heſychius in Πέλεια & Πελλίς & Euſtathius ad Odyſſ. ξ p. 1760. inde prognata eſt fabella de columbis, inſidentibus fago & humana voce oracula fundentibus. Explicat eam Herodotus in Euterpe inde a cap. 52. Refert autem ex mente Aegyptiorum, ſacerdotes Jovis Thebanas duas feminas Thebis a Phoenicibus eſſe abductas, quarum altera in Libyam altera in Graeciam ſit venundata, quae apud memoratas gentes primae oracula conſtituerint. Dodonaeorum antiſtites tunc addit narraſſe ſibi: geminas Thebis Aegyptiis columbas evolaſſe, utramque nigram; alteram conſediſſe in Libya, alteram perveniſſe ad Graecos, quae fago inſidens humana voce ſit eloquuta, fatum eſſe, ut eo loci Jovis oraculum conderetur. Huic ſententiarum divortio ſuam denique ſubjungit ſententiam, quam privatae lectoris curae permittimus expendendam. Aliud aliis fabularum conditoribus placuit, ex quibus ſua hauſit Boccacius, cujus verba haec ſunt: *Dodona celebris . . ſilva eſt. Haec in Dodonaeo monte Chaoniae frequens eſt, & in ea templum fuiſſe dicitur Dodonaeo Jovi ſacrum. Fertur praeterea, in hac duas de coelo columbas deſcendere ſolitas & veteribus inſidere quercubus, & ex eis poſtulantibus dare reſponſa. Tandem ex eis, ut ajunt, altera tranſvolavit in Delphos Boeotiae civitatem, & ibi Apollinis Delphici clarum fecit oraculum; altera ad Ammonis Jovis templum in Africam tranſmigravit, & ſic Dodona muta relicta eſt.* Partem hujus doctrinae Boccacius Servio debet ad Virgilii Georg. L. I. v. 149. itemque ad ejuſdem Aeneid. L. III. v. 466. ubi praeterea occaſione

*Dodonaeorum lebetum* narrat *Jovem duas iſtas columbas Hebae filiae tribuiſſe.* Adjicit & aliam fabellam hanc: *Circa hoc templum quercus immanis fuiſſe fertur, ex cujus radicibus fons manabat, qui ſuo murmure inſtinctu Deorum oracula reddebat, quae murmura anus Pelias nomine interpretata hominibus differebat.* De Dodonaeis lebetibus v. Stephanus Byz. l. c. De mirabili fonte Jovis, qui Dodonae fuit, nos ſupra in Athamane p. 256. Dodonides nymphas commemorant Schol. Hom. ad Iliad. Σ. v. 486. & Hyginus fabula 182. O.

## Idalium

Servius ad Virgilium Aen. L. I. v. 681.

*Aut ſuper Idalium ſacrata ſede recondam.*

*Idalium*) *Cypri nemus eſt, in quo oppidum breve; ut paullo poſt, Idaliae lucos. Item Idaliumque nemus.* HESSEL. *Idalium in inſula Cypro.*) Ita MS. *Idalium ab urbe in Cypro inſula Idalio.* Plinius L. V. cap. 31. *fuere* (in Cypro) *Cinyra, Marium, Idalium.* GRONOV. Cypri urbem Ἰδάλιον memorat Stephanus Byz. dictamque hoc nomine narrat a Chalcenore, qui oraculi juſſu eam ibi condiderit, ubi ſolem conſpexiſſet (εἶδεν) orientem. Gentile ipſi eſt *Idalenſis.* Ubinam ſitum fuerit oppidum, non indicant veteres. Mediterraneum fuit, ad fluvium, cui Pedici (apud Ptolemaeum Πηδαίου) nomen eſt, ſiquidem ejus rudera ſervet vicus *Dali* huic flumini appoſitus, Luſignano in hiſtoria Cypri notatus, quemque & tabula ejus inſulae apud Batavos excuſa & D'Anvilliana Aſiae minoris exhibet. Id ſi ſit, nolim equidem apud Strabonem L. XIV. p. 682. ubi legis: εἶτ' ἄκρα Πηδάλιον, εἰς ἣν ὑπέρκειται Λάφου τραχὺς, ὑψηλὸς, τραπεζοειδὴς, ἱερὸς Ἀφροδίτης, cum Meurſio in Cypr. L. I. c. 12. pro Πηδάλιον recipere Ἰδάλιον. Nihil impedit, quominus & Idalium & Pedalium utrumque Cypriae ſacrum habuerit Cyprus, etiamſi ſolus ſit Strabo, qui Pedalii meminerit. In Palatino tamen codice Ptolemaei poſt Thronos promontorium, ubi reliqui habent Ammochoſtus, extat Pedalium & Ammochoſtus

in margine. Pedalium nunc reſpondet τῷ *Capo di Pila*. Etiamſi autem promontorium non fuerit Idalium, mons tamen fuit & nemus vel lucus, urbi vicinus, Veneri ſacer. De monte teſtatur Propertius L. II. el. 13.

*- - - - percuſſit Adonem*
*Venantem Idalio vertice durus aper.*

Nemoris & luci meminit ſimul cum Veneris cultu Catullus in epithal. Pelei & Thetidis v. 96.

*Quaeque regis Golgos, quaeque Idalium frondoſum.*

ubi peſſime eſt *Colchos*; imitatus eſt enim poëta Theocritum Idyll. XV. v. 100.

Δίσποιν' ἃ Γολγώ τε καὶ Ἰδάλιον ἐφίλασας.

Demum Virgilius in *altos Idaliae lucos* ſuſtuliſſe Venerem filium Aſcanium refert Aen. L. I. v. 692. Ipſa quoque Venus apud Virgilium Aen. L. X. v. 51. ſibi vindicat Idalium

*Eſt Amathus, eſt celſa mihi Paphos atque Cythera*
*Idaliaeque domus.*

Denique, ut ad ſitum Idalii redeam; quibus lubet Idalium cum Pedalio habere pro eodem, provocare poterunt ad Lucanum, cui dicitur

*Quaeſtor ab Idalio Cinyraeae littore Cypri.*

Verum littora ſaepe latius extenduntur apud Poëtas. Inquirendum reſtat, ut puto, an vicus ille *Dali*, de quo ſupra, monti ſit adſtructus; quod ſi enim prorſus in planitie ſit poſitus, tum nominis affinitas ſola non ſufficeret. O.

## Molorchos

Lumen affert huic loco Servius ad Virgilii Georg. L. III. v. 19. *Lucoſque Molorchi*) *Id eſt, ſilvam Nemeam, in qua celebratur agon in honorem Archemori. Molorchus autem paſtor fuit, qui Herculem venientem ad occidendum Nemeum leonem ſuſcepit hoſpitio.* & Philargyrius; *Per lucos Molorchi accipimus eos, qui Nemei, ubi Molorchus rex, qui Herculem ad Nemeum leonem tendentem recepit hoſpitio.* HESSEL. Nemoris nomen Molorchos non fuit, verum urbis, Nemeae ſilvae vi-

cinae. Stephanus Byz. in Μολορχία· πόλις Νεμέας, ἀπὸ Μολόρχου τοῦ ξενίσαντος Ἡρακλέα, ἀπιόντα ἐπὶ τὸν ἀγῶνα. In errorem induxit Vibium Virgilius l. c. Nemea lucus fuit ſ. ἄλσος Peloponneſi inter Cleonen & Phliuntem. v. Strabo L. VIII. p. 260. s. CROIX Forſan *Molorchi* ſcripſerat Vibius, quod probum foret. Boccacio tamen itidem eſt *Molorchos*. O.

## Marica

Legendum eſſet *Maricae*. Sic quippe Livius L. XXVII. c. 37. *Prodigia nunciata: Minturnis aedem Jovis & lucum Maricae de coelo tactae.* Sic & Plutarcho vocatur in Mario p. 428. τὸ τῆς λεγομένης Μαρίκης ἄλσος, ὃ σίβυλλαι. Verum, quum nec codices noſtri Vibiani hunc articulum norint, nec Boccacius habeat, vix dubium, quin invito Sequeſtri ſit obtruſus. Forſan ex articulo *Liris* fluvii huc tranſcriptus eſt, de quo p. 13. & p. 139. Lucus is Maricae prope *paludem* fuit, itidem ab eadem Nympha nuncupatam, *in quam ſe fugiens conſectantes Sullae equites, abdidit Marius*, teſte Vell. Paterculo L. II. c. 19. Minturnenſium paludes iſtae alias vocantur. v. Cicero in Piſonem. cap. 19. O.

## Sila

Sic Strabo & Plinius. v. Cellarius G. A. L. II. c. 9. *Bruttiorum*) de hujus nominis orthographia agit Cellarius ib. HESSEL. Plinius L. III. c. 5. *Inde Apennini ſilva Sila; promontorium Leucopetra: ab eo Locri.* Hodieque ejus partem ſupereſſe prope Conſentiam, vocarique vulgo *la Sila*, refert Cluverius Ital. ant. L. IV. c. 15. & ex Laur. Ananienſi docet Ortelius. Strabonis locus L. VI. p. 261. dubius eſt, neque nomen ſilvae videtur continuiſſe, etiamſi ſilva Bruttia, picem ferens opimam, non alia quam laudata Sila intelligenda ſit. Nemoribus cur accenſeatur a Vibio, non liquet. *Silam Lucaniae montem* memorat Servius ad Virgilii Georg L. III. v. 219. de quo poëta Aen. L. XII. v. 715.

*Ac velut ingenti Syla, ſummove Taburno . . .* O.

## Thymbra

v. Scholiaſtes Homer ad Iliad. L. X. v. 430. Θύμβρα γὰρ τόπος ἐστὶ τῆς Τρῴας, ἔνθα καὶ Θυμβραῖος Ἀπόλλων ἱερὸν ἐπιφανές. Servius ad Virgilii Aen. L. III. verſ. 85.

*Da propriam Thymbraee domum . . .*
*Thymbraeus Apollo dicitur a loco Trojae, id eſt, agro vicino, pleno thymbrae, quae ſatureia dicitur; & bene Deli poſitus Thymbraeum appellat, quem in Troja adſueverat colere in agro, in quo ejus & nemus eſt & templum: ubi a Paride Achilles occiſus eſt. Unde fingitur manu Apollinis vulneratus. Ergo Thymbraeus, ut Delius: nam numina a locis frequenter nomen accipiunt. Alii Thymbram locum in Delo conſecratum Apollini tradunt. Sane, quia Graece* Θύμβρη *facit, in derivatione η in diphthongum mutat, ut* Αἴτνη *Aetnaeus,* Δίρκη *Dircaeus.*

*Cyane*) Thymbra vulgo cunila vocatur, videſis de la Cerda ad Virgilium Georg. L. IV. v. 31. HESSEL.

In Troade inclytum Apollinis Thymbraei templum fuit, ita dicti, quod id ad confluentes Thymbrii & Scamandri eſſet. v. Strabo L. XIII. p. 598. πλησίον γάρ ἐστι τὸ πεδίον ἡ Θύμβρα, (de vicinia Ilii ſermo eſt) καὶ ὁ δι' αὐτῆς ῥέων ποταμὸς Θύμβριος, ἐμβάλλων εἰς τὸν Σκάμανδρον, καλὰ τὸ Θυμβραῖον Ἀπόλλωνος ἱερόν· τοῦ δὲ νῦν Ἰλίου καὶ πεντήκοντα σταδίους διέχει. Neque vero hic Geographus luci mentionem facit, ſed campi Apollini conſecrati; qua in re a Servii ſententia non eſt alienus. S. CROIX.

Num apud Servium pro *loco* legit Vibius *luco?* Urbem Thymbren memorat & Plinius prope Pergamum L. V. c. 30. & Stephanus Byz. qui Troadi aſſignat, & Jovem Thymbraeum alias quoque Thymbrium & Zymbraeum eſſe appellatum tradit. In Etymologico magno non urbs ſed locus ſalutatur, prorſus ut apud Servium. Lucum vel nemus adfuiſſe nemo narrat. Apud Feſtum tamen Thymbraei montis fit mentio. O.

## Tempe

## Tempe

v. Horatius L. I. od. 7. & ad eum Acron & Cruquianus enarrator. Ovidius metam. L. VII. v. 222. Statius Achill. L. I. v. 237. HESSEL. Ovidii deſcriptio, quam l. c. legimus, docet, cur nemoribus noſter accenſeat Theſſala Tempe. Iſta ſic ſe habet:

*Eſt nemus Haemoniae, praerupta quod undique claudit*
*Silva: vocant Tempe, per quae Peneus, ab imo*
*Effuſus Pindo, ſpumoſis volvitur undis.*

Iis, quae nos ſupra pag. 162. ad Peneum amnem huc trahenda notavimus, illud heic ſaltem adjungimus, exemplo Theſſalicae regionis alia quoque amoena loca Tempe eſſe ſalutata; qualia occurrunt Heloria Tempe, Heliconia Tempe & ſic porro. Noſtra haec Theſſala minus recte Phthiotica vocat Catullus carm. LXIV. v. 35. *Inter Oſſam & Olympum quinque millium paſſuum longitudine & ferme ſesquijugeri latitudine*, extendebantur, *ultra viſum hominis attollentibus ſe dextera laevaque leniter convexis jugis. Intus labitur Peneus* &c. v. Plinius. L. IV. c. 8. O.



# AD PALUDES

## Ambracia

*Achaiae*) Simlerus *Acarnaniae*. *Acharniae* pro *Acarnaniae* in MS. meminit inveniſſe Vlitius ad Gratii cyneg. v. 184. eum vide. Ambracia vero eſt oppidum Theſprotiae. De palude Ambracia nihil occurrit jam mihi. Ex paludibus, quae Ambracum locum quemdam Ambraciae munitiſſimum cingunt, una forſitan Ambracia dicta eſt. Κεῖται δ' ἐν λίμναις iſte Ambracus, teſte Polybio hiſtor. L. IV. c. 61. HESSEL.

De Ambracia palude etſi apud alios ſcriptores altum ſit ſilentium, ſufficere tamen Polybium teſtem crediderim; Ambracus munitiſſimus locus, in mediis paludibus ſitus, Ambraciam paludem probat. Aſt *Acarnaniae* quod iſtam adſcribat Vibius, nam *Achaiae* aperte falſum eſt, id nimis lato ſenſu praedicatur. Trans Ambracium ſinum habitabant Acarnanes, neque adſtipulari penitus poſſum Vlitio, qui verbis ab Heſſelio transſcriptis ſubjicit „Circumjacent enim Ambracium „ ſinum Acarnanes. „ Polybius ſane L. c. c. 63. ſinum Ambracium ſeparare Epirum ab Acarnania docet. Itaque Acarnanes quidem a meridie cingebant Ambracium ſinum, hodie *Golfo de Larta* vel *Golfo d'Arta*; aſt Ambraciotae ad ſeptentrionem habitabant in Theſprotia Epiri. Ad hanc non ad Acarnaniam relata eſt communi Geographorum conſenſu Ambracia. Itaque Vibium & heic ſuo more egiſſe dixerim & ad limites Acarnaniae non attendiſſe ſatis, cujus negligentiae documenta paſſim dedit. Verum non prorſus omni patrocinio deſtituitur Sequeſter, Ptolemaeus L. III. c. 14. ubi Epirum deſcribit, Ambraciam Acarnanibus attribuit. Ita ille: Ἐν τῇ Ἀμπρακίᾳ κόλπῳ

ΑΚΑΡΝΑΝΩΝ

Ἀναύχθου ποτ. ἐκβολαί.

Ἀμπρακία

Ἄκτιον &c.

Itaque ſic Vibii ſaltem auctoritas ſarta tecta erit. In illud

aliis inquirendum permittimus, ex quonam Poëtarum veterum Ambraciae vel Ambraciam paludem defumſerit noſter. Ambraciae oppidum hodieque in vico *Ambrakia* reſtat. O.

## Aſia

*Aſiae*) Legito Euſtathium ad Dionyſii orb. deſcr. v. 837. HESSEL. Aſia palus apud Virgilium Aen. L. VII. v. 700. ubi de cygnis

*Cum ſeſe e paſtu referunt & longa canoros*
*Dant per colla modos: ſonat amnis & Aſia longe*
*Pulſa palus.*

ubi Servius: *Cayſtrum dicit, qui cohaeret Aſiae paludi.* Haec latius accipienda eſſe, ſupra oſtendimus p. 90. Forſan Aſiae palus & ſtagnum Gygaeum non fuere diverſa. Reliqua huc facientia praelibavimus l. c. ad articulum Cayſtri, quocum hic noſter conſpirat. In tabula Theodoſiana forſitan *lacus Aſſon* ad Aſiam paludem ſpectat. Ibidem Cayſtro nomen eſt *fl. Caſtur.* O.

## Camarina

Camarinam poſſederunt vel condiderunt Syracuſani. Herodotus L. VII. c. 154. Συρηκοσίων δὲ ἦν Καμάρινα τὸ ἀρχαῖον. Strabo L. VI. p. 272. ὧν ἦν καὶ Καμάρινα ἄποικος Συρακοσίων. Haec eſt ratio, cur dicta *Syracuſis*; quia Syracuſani & non alii populi nomen dederunt & urbi Camarinae & paludi. *Syracuſis propinqua* eſt falſiſſimum; quippe totum promontorium Pachynum, quod intercedit, refellit hanc propinquitatem. Itaque ſuppoſuerunt illud *propinqua*, qui ignorant hiſtoriam & ſitum Camarinae. GRONOV. Camarina palus graveolentum olim ſpargebat odorem, ita ut & in proverbium ceſſerit *Camarinam ne moveas.* Inde Lucianus περὶ ἀποφράδος ita: ὀυκᾶς, ὡς ἄμεινον ἦν σοι ἀκίνητον τὴν Καμαρίναν ἐᾶν. Rationem adagii enarrat Servius ad Virgilii Aen. L. III. v. 700.

\- - *& fatis nunquam conceſſa moveri*
*Apparet Camerina procul, campique Geloi.*

ubi sic: *Camerina*) *palus est juxta ejusdem nominis oppidum; de qua, quodam tempore cum siccata pestilentiam creasset, consultus Apollo, an eam penitus exhaurire deberent, respondit:*

μὴ κίνῃ Καμέριναν, ἀκίνητος παραμεινάτω,

*quo contempto exsiccaverunt paludem & sedata pestilentia per eam partem ingressis hostibus poenas dederunt.* Ista Servii repetita leguntur in scholiis Graecis ad epigramma Graecum, quo Apollinis oraculum, a Stephano Byz. μονόστιχον relatum, altero versu auctum comparet & ita sonat:

Μὴ κίνει Καμάριναν, ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων,
μή ποτε κινήσας τὴν μείονα μείζονα θείης.

v. Epigramm. Graec. ed. Wechel. L. IV. p. 503. & Analecta vet. poët. Graec. ab Ill. Brunckio edita T. III. p. 148. Paludi hodie idem nomen, *lago di Camarana;* idem pestifer odor vel nunc regionem infestat, naresque, Brydonio, qui nuperrime invisit, teste, jam a mille passibus ferit. v. Iter ejus Siculum ep. XIV. Quod Cluverius Sic. ant. L. I. c. 14. lacum potius quam paludem Camarinam dicendam disputat, „ quando non aquae id pluviae sed indigenae fontes nu„ mero plures viginti efficiunt „ id verum quidem est, at usus tamen & in aliis invaluit, ut promiscue vel lacus v. paludes vocarentur, teste vel Maeotide palude. De antiquo nomine Camarinae, quo salutata *Hyperie*, ita schol. Homeri Didymus ad Odyss. L. VI. v. 4. Ὑπερείῃ) οἱ μὲν τὴν ἐν Σικελίᾳ Καμαρίναν, οἱ δὲ . . . & Eustathius Τὴν δὲ Ὑπέρειαν πόλιν Σικελίας τινὲς φασι τὴν ὕστερον Καμαρίναν. Stephanus quoque Byz. in Ὑπερησία· Ὑπέρεια γὰρ πηγὴ Μεσηΐδος καὶ πόλις Σικελική. Aliis Hyperia quoque eadem visa, quae Melita insula. Ad expellendam ex Vibio *Hesperien* ista sufficiunt. cf. & ea quae supra ad Hipparim. p. 132. O.

## Lerna

Lutatius ad Statii Theb. L I. v. 368.

*Pulverulenta prius, calcandaque flumina nullae*
*Aggeribus tenuere morae, stagnoque refusa est*
*Funditus & veteri spumavit Lerna veneno.*

*Lerna*) *palus eſt apud Argos, in qua hydram ſuperaſſe Hercules dicitur.*

*Arcadiae*) Argolidos.

*Hydra*) Virgilius Aen. L. VI. v. 802. Statius Theb. L. I. v. 360. & L. II. ſilv. I. v. 181. De capitum numero diſſerit de la Cerda ad Virgilii Aen. L. VIII. v. 299.

*- - - - non te rationis egentem*
*Lernaeus turba capitum circumſtetit anguis.*

HESSEL.

Quod Lernam in Arcadia locat Vibius, id oppido falſum; condonandus tamen error, ſiquidem in definiendo ſitu mire variant veteres. Pauſanias in Corinthiacis c. 36. in finibus Argivorum ponit & ad mare ſitam indicat. Ἀπέχει δὲ Ἀργείων τῆς πόλεως τεσσαράκοντα, καὶ ἐν πλέῳ τάδια, ἡ καλὰ Λέρναν θάλασσα. Καλιόντων δὲ ἐς Λέρναν, πρῶτον μὲν καθ' ὁδόν ἐστιν ὁ Ἐρασῖνος, ἐκδίδωσι δὲ ἐς τὸν Φρίξον· ὁ Φρίξος δὲ ἐς θάλασσαν τὴν μεταξὺ Τημενίου καὶ Λέρνης . . . Ἡ δὲ Λέρνη ἔστιν . . . . πρὸς θαλάσσῃ, καὶ τελευτὴν Λερναῖα ἄγουσιν ἐνταῦθα Δήμητρι. Ubi obſervat Cellarius O. A. L. II. c. 13. ſect. 17. non indicari a Pauſania, ſitne oppidum, flumen an lacus. Contra oppidum Lernen in Argolico ſinu recenſet diſertis verbis Mela L. II. c. 3. Non favet Pauſaniae verbis Strabo L. VIII. p. 371. Ἡ δὲ Λέρνη λίμνη τῆς Ἀργείας ἐστὶ καὶ τῆς Μυκηναίας, ἐν ᾗ τὴν Ὕδραν καλοῦσι· διὰ δὲ τοὺς γενομένους καθάρμους ἐν αὐλῇ, παροιμία τὶς ἐξέπεσε, Λέρνη κακῶν. Putat ergo Cellarius, ſi fuerit oppidum hujus nominis, id verſus mare extitiſſe, unde & Pindarus meminerit Λερναίας ἄκτης, Olymp. od. VII. v. 60. paludem autem interius. Ptolemaeus prorſus in diverſa abit; huic Lerna in mediterranea eſt Laconica. Eum ſecutus eſt in Graeciae tabulis Laurembergius, quem eo nomine reprehendit If. Voſſius ad Melam. D'Anvillius ad Argolicum ſinum ſiſtit. De hodierno nomine quaerere, quum priſcus oppidi & paludis ſitus non ſit prorſus indubius, ſuperfluum videri poſſet; non deſunt tamen, qui id operae in ſe inſumſerint, de quibus v. Ortelius. Lernaeum fontem Amymonium quoque vocatum eſſe, ſupra

pag. 80. ex Hygino docuimus; Amymonen fontem juxta Lernen fuiſſe, ex Strabone. Lernen fontem Argivum memorant certatim & alii, Schol. Apollonii ad L. III. v. 1240. Schol. Heſiodi in Θεογ. v. 257. &c. cf. Munckerus ad Hyginum. O.

## Maeotis

v. Lucanus L. II. v. 640. Virgilius Georg. L. III. v. 349. HESSEL. Sarmatiae vindicanda palus erat. v. Ptolemaeus L. III. c. 5. Sed ea tamen Scythiae pars haberi poteſt. Sarmatas ad Tanais ripas habitaſſe vel *Tanain amnem coluiſſe* ſcribit Plinius L. VI. c. 7. Jam ad Tanaim referenda Maeotis, proindeque ad Sarmatiam. Subjungit laudatus auctor: *Scythae vocant Maeotin Temerinda, quod ſignificat matrem maris.* Iſtum porro lacum dictum *Maeetin* & ponti ſive maris matrem ex Herodoto condiſcimus: ἡ Μαιῆτίς τε καλέεται καὶ μήτηρ τοῦ Πόντου L. IV. c. 86. cf. & Dionyſius perieg. v. 165. Herodoti interpres videri poſſit Euſtathius, qui ad Dionyſii verſum cit. μαιῆτις dicit ὡς ἀπὸ τῆς μαΐας, μαῖα γὰρ ἡ τροφός. item Μαιῶτις, ὡς ἀπὸ τοῦ μαιῶ, μαιώσω. Mihi tamen Maeetis vel Maeotis nomen potius a *moehith* videtur deſcendere, quod Turcis Perſiſque ingentem aquarum copiam deſignat. In Gothica lingua *moes, moeſa,* magnum lacum notat. Neque videntur Scythae Sarmataeque aliam iis vocibus ſignificationem tribuiſſe olim, quam Turcae poſtea Gothique ab iſtis orti tribuere. Immenſus iſte lacus, cui hodie *maris Azovii* vel *Zabache* nomen eſt, quod parum profundus eſt, pro palude apud veteres habebatur. Herodotus parum ab Euxino ponto differre menſura Maeotidem ſibi perſuadebat. οὐ πολλῷ τεῳ ἐλάσσω. L. IV. c. 86. Scylax dimidium iſtius capere hanc tradit; ἡ δὲ Μαιῶτις λίμνη λέγεται ἥμισυ εἶναι τοῦ Πόντου. peripl. ed. Voſſ. p. 28. Propius ad verum accedit Strabonis opinio, novem ſtadiorum millia circuitum paludis complere ſtatuentis L. II. p. 125. L. VII. p. 310. v. in loc. h. emendat Caſauboni. Efficit iſta menſura trecenta milliaria; quibus ſingulis ter mille hexapodae

respondent. Attamen tertia sui parte & amplius is Strabonis calculus veram paludum Maeotidum mensuram superat, quae ambitu suo vix ultra ducenta milliaria complectitur. Itaque Strabo isti novies mille hexapodarum spatio mare lutosum vulgo *gniloe more* includit, quod proprie pro sinu paludis Maeotidis, qui nonaginta milliaria ambitu suo continet, habendum est. Distinguit quidem laudatus Geographus Maeotides paludes a lutoso mari, cui σαπρᾶς λίμνης nomen attribuit, prorsus ut a Tartaris hodieque *tchuruk-degniz* sive putridum mare dicitur, illudque quatuor stadiorum millia in circuitu habere tradit L. VII. p. 308. verum hic loci non nisi lutosum mare solum tanquam partem Maeotidum lacuum considerat, alibi omnes simul complectitur, ὁ δὲ σύμπας τῆς λίμνης κύκλος &c. p. 310. Caeterum plures Geographi Maeotidum lacuum multitudinis numero meminere. Sic Plinius L. XXVII. c. 1. *a Maeotis paludibus.* Qui periplum Euxini ponti, Arriano tributum, confecit, eundem ambitum Maeotis paludibus adscribit, quem Strabo. v. peripl. p. 131. ad calc. tact. Arrian. ed. Blanc. Dionysius contra Byzantinus perperam ad duo stadiorum millia circuitum istum restringit. v. Wesselingius ad Herodotum L. IV. c. 6. S. CROIX.

Non ita male Scythiae vindicat Maeotidem Sequester. Ad Scythiam quippe latiori sensu tracta est & olim Sarmatia. Dein frequenter veteres, ubi de Maeotide palude loquuntur, in Scythia locant. Sic Plinius loco mox memorato *Scythicam herbam a Maeotis paludibus . . . portari asserit.* Sic Dionysius ipse perieg. v. 163 seq.

Τοῦ καὶ πρὸς βορέην Μαιώτιδος ὕδατα λίμνης
Ἐγκέχυται· τῇ μέν τε πέρι Σκύθαι ἀμφινέμονται,
Ἄνδρες ἀπειρέσιοι, καλέουσι δὲ μητέρα Πόντου.

Hic ergo circa Maeotidem paludem Scythas habitasse narrat. Sic porro *Scythica stagna Maeotidis* Columella vocat. Sic, ut alia mittam, in tabula quoque Theodosiana, ubi haec lacum sistit Maeotidem, adscripta sunt ista: *fossa facta per servos scutar . . um.* Credo legendum *Scutarum* pro *Scy-*

*tharum.* Lacuna enim, quae intercedit, ex disrupta membrana videtur exorta. Parum quidem roboris haec tabula, si sola sibi relicta foret, suppeditaret; ast heic loci probat, sequiori aevo, cui adscribimus Vibium, accolas Maeotidis paludis habitos esse Scythas, atque sic ad excusandum Vibium facit. Ne pluribus te detineamus, lector, duo notare liceat. Primum respicit nomen *Temerindae.* Plinius credit notare *matrem maris.* Potius *maris finem* significare videtur Ortelio & cum eo Delrio ad Senecae Herc. furentem; quasi sit *de mer ende* sive *des meeres ende* ex lingua Germanica, vel Gothica, quae eum tractum occupavit olim. Alterum ex Tzetze peto, qui Chil. VIII. hist. 224. v. 775. medio ut arbitror aevo, a Scythis paludem Maeotidem salutatam esse refert Καρπαλὺκ, atque eo nomine designari *matrem* ac veluti *piscium obstetricem*, quorum palus tota feracissima est. Innuit, similem fere potestatem esse vocis Μαιῶτις a μαιόομαι, quod est obstetricor & μαιευτρία, obstetrix.

Μαιῶτις δὲ πὰρ' Ἕλλησιν αὕτη πλουτεῖ τὴν κλῆσιν
Ὡς μήτηρ καὶ Μαιευτρία γένους παντὸς ἰχθύων.

cf. Harduinus ad Plinium L. VI. c. 7. O.

## Pomptinae

Sic, vocantur enim numero plurali. Suetonius Jul. c. 44. *siccare Pomptinas paludes.* Dio L. XLIV. init. inter recensendos honores, quos Caesar Dictator est consecutus, ita scribit: ὥστε ταῦτα ἐδέξατο, τά τε ἕλη οἱ τὰ Πόντινα χῶσαι προσέταξεν. Id. L. XLV. Πόμπτινα dicit, non Πόντινα, ut ante. Eadem diversitas apud Latinos. Torrentius: *Pomtinas paludes pro Pomptinas*, uti & in optimis codicibus Juvenalis observavi Sat. III. & apud Plinium L. III. c. 5. *A Circeiis palus Pomptina est, quem locum XXIII. urbium fuisse, Mucianus ter Consul prodidit.* De Pomptina palude Horatii quoque de arte locum intelligunt:

- - *sterilisque diu palus, aptaque remis*
*Vicinas urbes alit.*

Atque, ſi ita eſt, rem cogitatam tantum a Caeſare tanquam factam narrat Horatius. Quod etiam ex Plinio conſtat. L. XXVI. c. 4. ubi *magica arte Meroïde* (herba) *ficcari eas paludes* optat, (ſaltem optare ſe ſimulat) *ut tantum agri ſuburbanae reddatur Italiae.* Hinc porro Pomptina tribus, quam tamen a Pometia oppido vocatam Feſtus docet. Xylander ad Dionem L. XLV. p. 274. Πομπτίνους, in paludibus Pontinis, malim Ποντίνους ut ſupra. Ubi videtur Rob. Stephanus edidiſſe Πομπτίνους, quod Xylander reprehendit. Non mirum ergo, ſi Sequeſtrem inquinarunt, cum tot viri eximii circa illud vocabulum contra ſcriptos libros obſtrepant. cf. & Martialem L. X. ep. 74. & L. XIII. ep. 112. GRONOV. De ſiccandis Pomptinis paludibus Reſpublica jam Corn. Cethego Cs. cogitarat a. u. 590. Livio teſte in Epit. L. XLVI. tum ager ibi factus. Poſt Julium Caeſarem Auguſtus eundem lapidem movit v. vet. ſchol. ad Horatii l. c. Tum Trajanus Imp. ſtravit Pomptinas paludes, exſtruxitque juxta vias aedificia, pontes magnificentiſſimos fecit, teſte Dione & Xiphilino L. LXVIII. cap. 15. Theodoſius quoque Gothorum rex eidem labori manum adjecit, teſtibus litteris ejus ad Senatum Rom. apud Caſſiodorum var. ep. L. II. ep. 32 & 33. item tabula marmorea, Tarracinae reperta, in ejus quondam honorem poſita. „ At nihilominus, „ verba haec ſunt M. Donati ad Suetonii l. c. non per„ manſerunt exſiccatae, ſed ſemper ad priſtinum ſtatum „ reductae tum ex aquis Aufentis fluminis propinqui, tum „ ex aliis quam plurimis e radicibus circumjacentium mon„ tium ſponte ſcaturientibus, quae tandem humanam ope„ ram fruſtratae ſunt. „ Hodieque *Pontine paludi* ſuperſunt. etſi exſiccatas nunc dicat Georg. Fabricius. Tempore Theodoſii dicebatur *Decennovii palus*, cujus rei rationem affert, quod tum a ſpatio curſus ſui *Decennovius* vocaretur Ufens. Haec & alia plura docet Cluverius Ital. ant. L. III. c. 7. O.

*Foro Appii*) ſcilicet proxima. HESSEL. Ejus urbis nulla hodie veſtigia reſtant. O.

## Paduſe

Claudianus epith. Pall. & Celer. v. 109. cf. Servius ad Virgilii Aen. L. XI. v. 457. *Paduſa eſt pars Padi. Nam Padus, licet unus ſit fluvius, habet tamen fluenta plurima; e quibus eſt Paduſa, quae quibuſdam locis facit paludem, quae plena eſt cygnorum. Alii Padum tribus fontibus naſci dicunt, ex quibus ſumſit vocabulum Paduſa, qui diffuſus in modum ſtagni in amnem digeritur: nam ideo per ſtagna loquacia. Alii partem fluminis Padi, in quam deſcenditur foſſa. Valgius in elegis;*

*Et, placidam foſſae qua jungunt ora Paduſam,*
*Navigat Alpini flumina magna Padi.*

& reliqua. HESSEL. Virgilii locus is eſt:

*Haud ſecus atque alto in luco cum forte catervae*
*Conſedere avium, piſcoſove amne Paduſae*
*Dant ſonitum rauci per ſtagna loquacia cygni.*

Tranſtulit vitium vocis ab oloribus ad paludem ipſam Claudianus, ita dum canit:

*Eridani ripas & raucae ſtagna Paduſae*
*Diffugiens nudavit olor - - -*

Paduſam cur paludes inter retulerit Vibius, e Claudiano vides, itemque e Servio. Foſſa fuit proprie olim e Pado Ravennam ducta. Luculentus teſtis Plinius, qui L. III. cap. 16. ubi curſum Padi illuſtravit egregie, ita: *Urgetur aquarum mole & in profundum agitur, gravis terrae, quanquam deductus in flumina & foſſas inter Ravennam Altinumque per CXX. M. P. tamen qua largius vomit, ſeptem maria dictus facere. Auguſta* (alii legunt *anguſta*) *foſſa Ravennam trahitur, ubi Paduſa vocatur, quondam Meſſanicus appellatus.* Reſtituendum id nomen Polybio L. II. c. 16. cenſent Cluverius Ital. ant. L. I. c. 35. Cellarius O. A. L. II. c. 9. aliique, ubi de Pado ſic: χ΄ζεσθαι δ' εἰς δύο μέρη, καλὰ τοὺς προσαγορευομένους Τεγγαβόλους· τούτων δὲ τὸ μὲν ἕτερον στόμα προσονομάζεσθαι Παδόα, τὸ δ' ἕτερον Ὀλάνα. pro Παδόα praecipiunt ponendum Παδόσα. Jornandes in Gothicis c. 29. *Aſconis* hanc

*foſſam* nuncupat. Foſſa iſta *Canale di S. Alberto* & in oſtio *porto primaro* ſalutatur. Eam ſeſe navigaſſe Ortelius narrat, quem ſi audias, „ extenditur in XII. M. P. ſtagnans eſt „ & tam arcta alicubi, ut remis non pateat locus, tamque „ vadoſa, ut cymbas, quas parvas tantum fert, per lu- „ tum manibus trahere oporteat. „ Egit de ea praeter Rubeum in hiſtoria Ravennatenſi Alex. Symm. Mazochius in diſſertatione de origine Tyrrheniorum, ut me docuit Vir Reverendus atque Doctiſſimus Joh. Chriſtoph. Amadutius, in Archigymnaſio Romanae ſapientiae Graecarum litterarum Profeſſor, litteris ſuperiori anno ad me datis, quibus ſimul recte & amice monuit, in priſcis jungendorum marium fluviorumque moliminibus & Paduſae hujus & foſſae Philiſtinae debuiſſe mentionem fieri. O.

## Styx

v. Philargyrius ad Virgilii Georg. L. IV. v. 480. *Styx*) *palus apud inferos.* HESSEL. Quatuor inferno fluvios aſſignat Homerus Odyſſ. L. X. v. 513. Acherontem, Pyriphlegethontem, Cocytum atque Stygem. In his terris Styx diverſis inventa locis. Sic in Arcadia Peloponneſi Nonacris peſtifero eo fonte inclyta fuit. v. Herodotus L. VI. c. 74. Virtutes ejus narrat Vitruvius L. VIII. c. 3. In Theſſalia ex Styge profluere credebatur Titareſius. v. ſupra p. 208. Circa Avernum lacum ponit Virgilius Aen. L. VI. In Arabia felice Stygis fons memoratur Ptolemaeo L. VI. c. 7. Stygem denique circa Philas Aegypti notat Servius ad Virgilii L. c. v. 154. Nominis ratio eſt a moerore, a triſtitia, ἀπὸ τῦ στυγεροῦ. Oceani filiam Styga faciunt, alii noctis & Erebi. v. Hyginus in praef. ad fab. O.

## Satura

*Stura*) Cluverius putat *Aſtura* Ital. ant. L. III. p. 991. HESSEL. *Staturam* paludem inter Antium & Circejos fruſtra quaeſieris. Admiranda lectio codicis MS. qui habet

*Stura.* Feſtus *Stura flumen in agro Laurenti eſt, quod quidam Aſturam vocant.* Plinius L. III. c. 5. *Dein quondam Aphrodiſium, Antium colonia, Aſtura flumen & inſula. Hoc flumen habuit paludem, aut pars ejus facta eſt palus, quae hodie Pomptinis paludibus lavatur.* GRONOV. Ex Feſti verbis liceret vulnus Sequeſtris protinus ſanare; legendum quippe foret: *Stura inter Antium & Circejos, eadem Aſtura.* Tum firmandae doctrinae adducere poſſemus Strabonem L. V. p. 232. ubi ſic: Μετὰ δὲ Ἄντιον τὸ Κιρκαῖόν ἐστι . . . μεταξὺ δὲ ὅ τε Στόρας ποταμὸς, καὶ ἐπ' αὐτῷ ὕφορμος. Verum ſuo more forſan duo confudit in unum Vibius, *Saturam* paludem, quae apud Ufentem amnem & Tarracinam fuit, cum *Stura* vel *Aſtura* flumine. v. Cluverius Ital. ant. L. III. c. 7. De Satura Virgilius Aen. L. VII. v. 801.

*Qua Saturae jacet atra palus, geliduſque per imas*
*Quaerit iter valles atque in mare conditur Ufens.*

Ubi Servius: *Secundum hanc lectionem revera Saturam paludem intelligimus; ſed alii Aſturae legunt, quod ſi eſt, paludem pro flumine poſuit. Nam haud longe a Terracina oppidum eſt Aſtura & ejuſdem cognominis fluvius.* Porro Silius Ital. L. VIII. v. 981.

*Et quos peſtifera Pomptini uligine campi,*
*Qua Saturae nebuloſa palus reſtagnat & atro*
*Liventes coeno per ſqualida turbidus arva*
*Cogit aquas Ufens, atque inficit aequora limo.*

*Sturam* fluvium, ut vidimus, Στόραν Strabo ſalutat. Vulgo dicebatur *Aſtura.* Ita frequenter Cicero, qui in inſula cognomine praedium habebat, teſte Plutarcho in ejus vita, ubi Ἄστυρα quoque Graece effertur. Ciceronem v. in epiſt. ad Atticum L. XII. ep. 38. XIII. ep 26. & paſſim alibi. Et inſulae & fluvio idem hodieque nomen manere integrum teſtatur Cluverius It. ant. L. III. c. 7. Eſt & aliud *Stura* flumen in Gallia Togata, quod itidem antiqui nominis honorem ſervat. De eo Cluverius L. I. c. 36. Similiter apud Indos amplum flumen, cui Sturae ſit nomen, refert Near-

chus in paraplo ex Arriano p. 4. ed. Hudſon. Stephano Byz. Aſtyra urbs Myſiae eſt prope Troadem; item pagus Adramyttio vicinus, ubi Dianae Aſtyrenae templum Strabo memorat; porro urbs Phoeniciae, ubi Minerva colebatur Aſtyris; dein Boeotiae; tandem & Italiae regio, quae videtur eadem eſſe cum inſula, de qua heic ſermo. O.

## Salpina

*Salapina* comprobatur; de qua palude conſulendus eſt Hugo Grotius ad Lucanum L. V. v. 377.

*Quas recipit Salapina palus & ſubdita Sipus*
*Montibus.* - - - -

*Hadriatico*) Simlerus *Apuleja; Apulia* credo HESSEL. Salapia & Sipus vel Sipuntum Apuliae fuere oppida. Plinius L. III. c. 11. *Hinc Apulia . . . in qua oppidum Salapia, Hannibalis meretricio amore inclytum: Sipuntum.* Salapiae meminit & Appianus de bell. civ. L. I. p. 381. Apud eundem in Hannibalicis p. 339. ubi legitur Σαλατία, procul dubio legendum eſt Σαλαπία. Σαλαπίαι multitudinis numero dicuntur Ptolemaeo L. III. c. 1. ubi in Palatino codice eſt Σαλπίαι. Hodie rudera ſervat oppidum *Salpe, Salpi.* Palus quoque ſive lacus hodieque reſtat, Aufidum flumen & Salapiam fere contingens, teſte Cluverio It. ant. L. III. c. 11. O.

## Triton

*Triton* &c.) MS. Med. *Strymon Thraciae.* Mela L. II. cap. 2. *Strymon, ſicut diximus, amnis eſt, longeque ortus & tenuis, alienis ſubinde aquis fit ampliot: & ubi non longe a mari lacum fecit, majore, quam venerat, alveo erumpit.*

*In quo, qui* &c.) hac larva caret optimus codex. GRONOV.

Illud *Strymon Thraciae* habet poſt *Satura* MS. Rev. item Heinſ. collat. ἀπόγρ. Gud. HESSEL.

*Thraciae*) *Africae* Simlerus, minus recte. Ovidius metam. L. XV. verſ. 356.

*Eſſe viros fama eſt in Hyperborea Pallene;*
*Qui ſoleant levibus velari corpora plumis,*
*Quum Tritoniacam novies ſubiere paludem.*

Lactantius argum. metam. Ovid. L. XV. fab. 26. *In Pallene urbe Tritoniacae paludis attactu vertuntur homines in volucres. In Pallene, quae ſub aquilone jacet, homines dicuntur in volucres verti, novies quum in Tritoniacam paludem merſi ſint.* HESSEL. Haud equidem fabellas moror, a Graecis olim de Minervae natalibus confictas, prope Tritonidem lacum exortae. Habitum ejus aegidemque a Libyis ejus terrae incolis mutuati ſunt, Herodoto teſte L. IV. c. 189. Tritonius lacus ad minorem Syrtem prope Philaenorum aras ſitus fuit. v. Plinius L. V. c. 4. prope majorem Syrtem temere eum Peutingeriana tabula locat. Is a Tritone fluvio ortum habebat, eratque in ejus medio inſula Phla, in qua Lacones ex quorundam opinione oraculum ſtabiliverant. v. Herodotus L. IV. c. 178. cf. not. doctiſſ. Weſſelingii. Tritonidem lacum a lacu Palladis Ptolemaeus diſtinguit; utrumque tamen ex undis Tritoniis derivat; ἐν αὐτῇ λίμναι ἥ τε τριτωνίτις . . . καὶ ἡ παλλάς. L. IV. c. 3. Verum ex Pallantio nomine, quo Callimachus Tritonidem lacum deſignat, ortus is error. *Ab his* (Philenorum aris) *non procul a continente palus vaſta amnem Tritonem nomenque ab eo accipit, Pallantias appellata Callimacho.* v. Plinius l. c. S. CROIX. Quid ergo de loco Vibii ſtatuemus? Siquidem ſolum ſit *Strymon Thraciae*, ut in Cod Med. neque fabuloſi quid accedat, ex Mela poſſit is articulus ita admitti. Favetque iſti, quod & in codice Revii & in Heinſii collat. ἀπόγρ. Gud. idem id *Strymon Thraciae* ſubjunctum legitur articulo *Aſturae* vel *Sturae*. Vero tamen propius mihi videtur, ex Ovidio & Lactantio, ſi hoc eſſet poſterior, deſcripſiſſe ſua Vibium. Forſan duo olim adfuere articuli apud noſtrum ita:

*Strymon Thraciae.*
*Triton in Pallene Hyperborea, in quo qui* &c.

ex quibus duobus articulis dein unus eſt conſectus. Fabulae

Ovidianae fons forſan ea eſt traditio, quam ſervavit Plinius L. IV. c. 12. *Mox Riphaei montes & aſſiduo nivis caſu pinnarum ſimilitudine πτεροφόρος appellata regio.* O.

## Tyraca

Attica dialecto *Tyraca* hic ponitur pro *Syraca*; nam hoc verum fuit ſtagni nomen, a quo dictum ipſum Syracuſarum oppidum. Stephanus Byz. plurimas dicit Siciliae urbes nomen eſſe ab iis, quibus rigarentur, fluviis ſortitas, inque iis commemorat Syracuſas. v. Ἀκράγαντες. Idem ſub articulo Συρακοῦσαι ſic: Τὸ ἐθνικὸν Συρακόσιος ἡ Συρακουσία τὸ θηλυκόν· ἡ λίμνη, ἥτις καλεῖται Συρακώ. Quod hic paludem dicat, nil obſtat. Nam fluvium cognominem ſupponit fuiſſe ibidem. Meminit ejus ſtagni quoque Marcianus Heracleota in περιηγήσει.

\- - Ἀρχίας δὲ τούλους προσλαβὼν
Ὁ Κορίνθιος, μετὰ Δωριέων κατῴκισεν
Ἀπὸ τῆς ὁμώρου λίμνης λαβόντας τὄνομα,
Τὰς νῦν Συρακούσας παρ' αὐτοῖς καλουμένας.

Caeterum paludoſam fuiſſe Syracuſanam regionem multis ex veterum locis patet, Thucydidis, Plutarchi, Livii, Strabonis & aliorum, quae exhibentur a Cluverio Sic. ant. L. I. c. 13. O.

# AD MONTES

## Aracynthus

Cum Vibio ſtat Lutatius ad Statii Theb. L. II. v. 239.

*Non ſecus ac ſupero pariter ſi cardine lapſae*
*Pallas & aſperior Phoebi ſoror, utraque telis*
*Utraque torva genis, flavoque in vertice nodo,*
*Illa ſuas Cyntho comites agat, haec Aracyntho.*

*Aracynthus*) *Atticae regionis mons, Minervae ſacer.* Videto autem Servium, Probum, Aſcenſium, Barth. Nannium, in primiſque de la Cerda & Ruaeum, ad Virgilii ecl. II. v. 23.

*Canto, quae ſolitus, ſi quando armenta vocabat,*
*Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho.*

quibuſcum copulandi ſunt Berkelius atque Holſtenius ad Steph. Byzant. in Ἀράκυνθος, nec non Cellarius Geogr. ant. L. II. cap. 13. ut Alciatum parerg. jur. L. V. cap. 4. atque alios omittam.

*Arcadia*) *Acarnaniae* legit ex nota Brodaei miſc. L. II. c. 8. de la Cerda ad Virgil. l. c. *Scoppa ad eundem Vibii verba protulit, ut opinor memoriter, ſic: Aracynthus mons eſt in Attica, quidam in Arcadia volunt.* HESSEL. Solinus in Acarnania. cap. 12. *Acarnania Aracyntho eminet.* GRONOV.

Servii locus ita ſe habet: *Sane Aracynthus mons eſt Thebanus. Unde actaeo littorali debemus accipere, non Athenienſi; licet Athenae prius ἀκταὶ dictae ſint, quanquam plerique Actaeo Aracyntho Athenienſi accipiant, non quod Aracynthus apud Athenas eſt, ſed ut oſtendatur ruſtici imperitia.* Scoppa, ad quem provocat quoque Heſſelius, Aracynthum Athenienſem intelligi Virgilio exiſtimat, diſtinguendum ab Aracyntho monte & Acarnaniae & Thebarum, cujus poſterioris mentio apud Propertium L. III. eleg. XIII. v. 42.

*Prata cruentantur Zethi, victorque canebat*
*Paeana Amphion rupe, Aracynthe, tua.*

Aetoliae

Aetoliae adſcribitur Aracynthus a Dionyſio perieg. v. 431.

Τῆς δ' ὕπερ εἰς νότον εἶσιν, ὑπὸ σκοπιὴν Ἀρακύνθου,
Ἀνδρῶν Αἰτωλῶν πεδίον μέγα - - -

ubi Euſtathius: Αἰτωλικὸν ὄρος ὁ Ἀράκυνθος. Eadem tradit & Strabo L. X. p. 450. Ἔχει δὲ τὴ ἡ Αἰτωλία μέγιστον μὲν ὄρος τὸν Κύθαιρα . . . τῶν δ' ἄλλων ἐν μέσῳ μὲν . . . τὸν Ἀράκυνθον. cf. & p. 460. Caſaubonum ſi ſequamur, apud Stephanum quoque Byz. loco Ἀράκυνθος, ὄρος Βοιωτίας, ἀφ' ἧς ἡ Λίμνη Ἀρακυνθὶς (potius Ἀρακυνθιὰς) legemus Ἀράκυνθος, ὄρος Αἰτωλίας. Notat autem recte Berkelius, non differre eorum ſententiam, qui Acarnaniae quique Aetoliae montem Aracynthum exiſtimant, ſiquidem iſtae duae regiones ſaepiſſime apud Graecos pariter & Latinos confundantur. In Acarnania certe manifeſto ponit Plinius L. IV. c. 2. item Solinus Gronovio excitatus. Atticae regioni qui vindicent, non ſoli ſunt Virgilius atque Vibius, eadem tradit & Sextus Empiricus adv. Grammat. L. I. c. 12. ubi Fabricius ſat temere miratur, „hunc „ montem non modo vicinae Boeotiae Arcadiaeque ab aliis „ ſed etiam Aetoliae adſcribi.„ Videtur enim ex dictis patere, Aetoliae & Acarnaniae montem hoc nomine celebratiſſimum fuiſſe, alium in Attica, tertium forſan prope Thebas. Quod ſi ſit, Stephani verba de Aracyntho Boeotiae ſollicitanda non ſunt. Apud Vibium omnino non *in Arcadia* ſed *in Acarnania* legendum. Male quoque Boccacius: *Alii dicunt eum Atticae regionis montem; quidam eum eſſe Thebanum, nonnulli Ambracium & alii Arcadum.* O.

## Aruis

Conſulito Servium Pierium. De la Cerda ad Virgilii ecl. V. v. 71.

*Vina novum fundam calathis Ariuſia nectar.*

& Cellarius G. A. L. III. c. 2. *Arviſius* pro *Arvis* legit Bochartus Chan. L. I. c. 9. p. 384. & facit hunc ad locum. HESSEL. Ante omnia audiendus nobis Strabo qui L. XIV. p. 645. ubi de Chio inſula loquitur, ita: νῆσος ἡ Ἀρτακία

χώρα, τραχεῖα ἡ ἀλίμενος σαδίων ὅσον τεσσαρακοσίων, οἶνον ἄριστον φέρουσα τῶν Ἑλληνικῶν. Plutarchus quoque in Epicurum, Opp. T. II. p. 1099. οἶνον Ἀρειούσιον commemorat. Porro Athenaeus deipnoſ. L. I. c. 25. Χαρίστριος δ' ἐστὶν ὁ Χίος, ἢ τοῦ Χίου ὁ καλούμενος Ἀρειούσιος. cf. & Clemens Alex. in Paedag. L. II. Quum ita conſtanter Graeci Ἀρειούσιον dicant, nam Ἀφουσία regio apud Stephanum manifeſto corrupta eſt, ex peſſimis Strabonis codicibus petita, non dubium eſt, quin male in Latinis auctoribus & ex librariorum culpa ortum ſit *Arviſii* nomen. Interim in voce ſic ſcribenda plurimi conſentiunt. Plinius L. XIV. c. 7. *In ſumma gloria fuere Thaſium Chiumque. Ex Chio, quod Arviſium vocant.* Ita & apud Silium Ital. L. VII. v. 210. erat

*Tmolus & Ambroſiis Arviſia pocula ſuccis.*

Verum N. Heinſius & jure quidem tum hic tum in Virgilio legendum praecipit *Ariuſia.* Vibii ſuum relinquendum eſſe errorem cenſeo; facile enim fieri poteſt, ut jam ſuo tempore in quodam poetae codice legerit *Arviſius.* Montem ſolus noſter in Chio indicat; non ita male. Aſpera regio Straboni memorata montem videtur innuere. Ex Phoenicia lingua יין דר ראש quaſi *montem capitis vini* derivat Bochartus *Ariuſii* vel ex ipſius ſententia *Hariuſii* montis nomen. l. c. Quod etymon aeque eſt dubium ac nomen hodiernum, quod *Amiſta* vocatur Ortelio; Büſchingius prope *Voliſſo* natum id vinum dicit, quod ab antiquo ſuo pretio & gloria non deſcivit. O.

## Atlas

Silius Ital. L. I. v. 202.

*Atlas ſubducto tracturus vertice coelum,*
*Sidera nubiferum fulcit caput, aethereaſque*
*Erigit aeternum compages ardua cervix.*
*Canet barba gelu, frontemque immanibus umbris*
*Pinea ſilva premit, vaſtant cava tempora venti,*
*Nimboſoque ruunt ſpumantia flumina rictu.*

cf. & Claudianus in I. conſ. Stiliconis L. I. v. 247. HESSEL.

Quem Graeci dixere Atlantem, *Dyrim* ſalutavere barbari, teſte Strabone L. XVII. p. 825. & Plinio L. V. c. 1. Silius Ital. imitatus eſt Virgilii verba Aen. L. IV. v. 481.

*Ultimus Aethiopum locus eſt, ubi maximus Atlas*
*Axem humero torquet, ſtellis ardentibus aptum.*

At his expreſſit Mantuanus Poëta Aſcraeum in Theogonia v. 517. ſeq. Forſan nomen id *Dyris* vernacula Atlantis incolarum lingua ſignificabat *columnam* vel *columnam coeli*; ſic enim montem ab indigenis vocatum ſcribit Herodotus L. IV. c. 184. O.

*Mauretaniam*) probat Cellarius orthogr. Lat. HESSEL.

## Aſcraeus

Sic, nam Graece Ἀσκραῖος. Si quis in Aſcrae, ut puto, vicinia fuerit Aſcraeus, nimirum mons, ſuum nomen debuit Aſcrae; non autem ex contrario Aſcra debuit nomen ſuum monti Aſcraeo, ut innuit Sequeſter. HESSEL. Forſan legendum *ubi vicus Aſcra* apud noſtrum. Is autem vicus ad radices Heliconis erat ſtructus, teſte Pauſania L. IX. c. 29. ubi hunc verſum ex Hegeſinoo affert:

Ἄσκρην, ἣ δ' Ἑλικῶνος ἔχει πόδα πιδακόεντος.

ſic Aſcraeus mons videretur eſſe pars Heliconis ipſius. Qua de re ne dubitem, perficit locus ſat clarus Strabonis L. IX. p. 409. Ἐν δὲ τῇ τῶν Θεσπιέων ἐστὶ μὲν ἡ Ἄσκρη κατὰ τὸ πρὸς Ἑλικῶνα μέρος, ἡ τοῦ Ἡσιόδου πατρίς· ἐν δεξιᾷ γάρ ἐστι τοῦ Ἑλικῶνος, ἐφ' ὑψηλοῦ μὲν τραχέος τόπου χειμέρη . . . Itaque non ad imas radices Heliconis ſita fuit Aſcra, ſed in loco ſublimi ad dextram ejus; in colle proinde, qui Heliconis ex monte procedebat. Is Aſcraeus mons; nemini, quantum novi, praeter Vibium memoratus, quem ſecutus Boccacius. O.

*Heſiodus*) Quare Heſiodus aliis dicatur a Cuma, diſſeritur inter Lil. Greg. Gyraldum & ceteros dialogiſtas de poet. hiſt. L. II. p. 99. Eundem igitur poëtam intellexiſſe potuit haud injuria Byzantinus Stephanus & in Ἄσκρη & in Κύμη, contra quam viſum eſt Berkelio ad eum ſcriptorem in Ἄσκρη. Vide

ſis Holſtenium ad Stephanum Byz. in Κύμη. Caeterum de Heſiodo videndi praeterea Servius ad Virgilii ecl. VI. v. 69. *Aſcraeo quos ante ſeni*) *Heſiodo, qui Aſcraeus fuerat de vico Boeotiae, quem dicuntur Muſae paſcentem pecus, raptum de monte Parnaſſo poëtam feciſſe munere calamorum.* & ad Georg. L. II. v. 176. *Aſcraeum carmen*) *Heſiodicum. Nam Heſiodus de civitate Aſcra fuit.* Ovidius amor. L. I. eleg. 15. v. 11. de arte am. L. II. v. 3. & ep. ex Ponto L. IV. ep. 14. v. 31. HESSEL.

## Aventinus

Triplex etymon hujus nominis affert Servius ad Aen. L. VII. v. 657. ſcilicet vel ab avibus dictum tradit montem, quae de Tiberi aſcendentes illic conſediſſent; vel a rege Aboriginum Aventino, ibi occiſo & ſepulto; vel ab Avente fluvio Sabinorum, cujus ſic nomen ex patria recentes incolae montis ad domicilii locum tranſtulerint. Prius vocatum eſſe *Murcum* Feſtus docet, unde Murciae Deae, cujus ibi ſacellum erat, appellatio orta. Hodie *mons S. Sabinae.* v. Brietius in parall. T. II. p. 591. O.

## Alburnus

v. Servius ad Virgilii Georg. L. III. v. 146. & Philargyrius ib. *Silarus & Alburnus in Lucania ſunt montes.* HESSEL.

Supra apud noſtrum hunc montem pag. 18. reſtituendum cenſuimus, ubi is a librariis hominibus in oppidum fuerat converſus. cf. p. 195. Cluverio judice, Ital. ant. L. IV. c. 14. „ mons hic Alburnus haud dubie is eſt, qui inter Ca„ lorem, Silarum & Tanagrum vulgari nunc vocabulo dici„ tur *Monte di Poſtiglione*, a vico juxta ſito, aſilis ſive „ oeſtris etiam nunc frequentiſſimus & ilicibus maxime virens. Celſus Cittadinus contra in litteris ad Ortelium datis, (v. hunc in art. Tanager) *la Montagna de Sicignano* vel *della Petina* a duobus oppidis in eo ſitis appellari Alburnum teſtatur. O.

## Alpes

v. Lucanus L. II. v. 428. HESSEL. Alpium nomen apud Gallos montibus altis fuiſſe commune, ſic ſatis conſtat. *Alpia*, *Albia*, *Albium*, *Alpionia* vel pro montibus vel oppidis in montibus ſitis accepta, auctore Strabone eo loco, quo fuſe deſcribit Alpes, L. IV. p. 202. Ex eadem radice derivanda complura urbium, regionum, gentium, fluviorum nomina, *Albula*, *Albici*, *Albis*, *Alba*, *Albani*, *Albion*, *Alburnus*. Originem Gallicam vocis ſenſit & Servius, qui ad Virgilii Georg. L. III. v. 474. *Aërias Alpes*) *id eſt Galliam. Et dicendo, aërias, verbum expreſſit ex verbo. Nam Gallorum lingua alti montes alpes vocantur.* Quod confirmat Philargyrius ad locum eundem, itemque Iſidorus Hiſpal. origin. L. XIV. c. 8. Servata voci ſua ſignificatio etiam ſequiori aevo apud Germanos & Gothos. Ita Notkerus Pſalmo CIII. 18. *In dien lochen dero alpon*, in cavernis montium. In itinerario Joh. Mandevillii equitis, ab Ottone Dimmeringenſi, in Germanicam lingua translato, quodque manu exaratum in ſua ſupellectile habuit Joh. Georgius Scherzius noſtras, p. 211. b. *und iſt noch derſelbe vinger in den alpen in S. Teclenkirch zu Sebaſte.* In Tyroliſcher Landsordnung L. II. c. 84. legitur *Vich pfandung in Taelern, Alben und auf andern Gütern.* Collegit & alia exempla ſimilia Scherzius in Gloſſario ſuo Germanico, opere prorſus eximio & longe utiliſſimo, quod optimi viri manu ſcriptum apud nos in ἀρχείῳ publico jam per triginta annos deliteſcit. Atque utinam, non enim ab hoc voto temperare mihi poſſum, mihi tandem contingat eſſe tam beato, ut plus otii & ſat ſuppetiarum nactus extrahendo e tenebris iſti κειμηλίῳ manum admovere mihi liceat! Neque autem neceſſum eſſe arbitror, ut totus ille Scherzii labor in publicam lucem prodeat; ſiquidem permulta inſunt, a reliquis Gloſſariorum architectis accepta mutuo: ſed, me quidem judice, ea juverit atque ſuffecerit decerpſiſſe, quae propria ſibi ex ſexcentis ſcriptis maxime noſtratibus ſollicite collecta vindicat Scherzius, quae teſtimoniis fulta ſuis lin-

guae Germanicae antiquioris, in hoc potiſſimum uſitatae regionum tractu, ſpecimina darent & ad intelligendos ſuperioris aevi titulos viam ſternerent. Atque iſta quidem ſic ſejuncta commode, ut puto, in modicum volumen liceret cogere. Verum hac de re meum qualecunque conſilium alia occaſione uberius aperiam. Redeamus ad Alpes. Vocis ejus uſum ad deſignandos montes apud Germanos & Anglos frequentem Wachterus atque Speelmannus, iſte in Gloſſario, hic in Archaeologia declarant. Apud Suecos quoque *alf* ſignificaſſe ſaxum vel petram, Ihrius docet in Gloſſario Suiogothico, unde *alwarden* naturale id jugum, quo circumvallatur Oelandia, ſit dictum, ut jam Dalinus in hiſtoria Suiogothica tradidit. Hic ergo primam forſitan vocis vim detegere licet. *Alf*, ſaxum vel petra; *alfen* vel *alpen*, montes. Aliis tamen viſum, primam originem ex ſignificatione ea repetendam, qua *alb*, *album*, *alpum* apud Gothos & Germanos aeque ac apud alios populos acceptum ſit pro candido, qua de re videndus Menagius in Origini della lingua Italiana voce *Alpe*. Certe & cygnum in gratiam candoris dixere Gothi Germanique *alf*, *elfher*, *alpiz*. v. Verelii ind. L. Goth. Wachterus in gloſſario & gloſſae a Pezio publicatae. Laudatus quoque Scherzius hanc vocem docte tractavit. Bochartus nec hic cauſſam ſuam deſerit. Libanum montem a לבן, *albus*, dictum paraphraſtae Cant. IV. 11. reddidere אולבנין *Olbanin*. Eſt & אלבן *alben* forma Syra *albeſcere*. Sed & montis ſignificationem Alpium nomini (*Alpen*) ſuppeditare jubet Hebraeam linguam. Nam על eſt *excelſum* & פנה *montis faſtigium*. v. Chan. L. I. c. 42. Quae proxime Alpes, de quibus Vibius, reſpiciunt, dabunt Ortelius atque Cluverius. O.

## Aetna

v. Pindarus Pyth. od. I. verſ. 33. Callimachus hymn. in Del. verſ. 141. Oppianus de venat. L. I. verſ. 271. Lucretius L. I. verſ. 723. L. II. verſ. 593. & L. VI. verſ. 639. Virgilius Aen. L. III. verſ. 571. Ovidius metam. L. XV.

verſ. 340. Silius L. XIV. verſ. 59. Lucanus L. V. verſ. 99. L. I. verſ. 545. & L. X. verſ. 447. Claudianus de raptu Proſerp. L. I. v. 151. Cui ergo Poëtarum non dictus eſt mons iſthic famoſiſſimus? Quamobrem Seneca lepide ſcripſit epiſt. 79. ex Rubenii conjectura, quam dilaudat Gronovius major: *Non eſt autem, quod iſtam curam imputes mihi: morbo enim tuo daturus eras, etiamſi nemo mandaret. Quid tibi do, ne Aetnam deſcribas in tuo carmine, ne hunc ſolemnem omnibus poëtis locum attingas?* &c. HESSEL. Notum in vulgus & citatis poëtarum locis comprobatum, priſco aevo Vulcani & Cyclopum ardentes officinas ſub Aetna locatas, ex quibus ruptis fornacibus efflari flamma credebatur. Apta forſan magis, quam vera vocis origo, repetita a Bocharto in Chan. L. I. c. 28. ab אתונא, *fornax, caminus.* Idem tamen & a *caligine* poſſe derivari concedit, qua mons interdiu obductus conſpicitur; quod & veteres, in his Pindarus apud Gellium L. XVII. c. 10. Strabo L. VI. p. 274. teſtantur & recentiores, maxime Fazellus Dec. I. L. II. cap. 4. Prius etymon calculo ſuo probat D'Hancarville in Praef. ad vaſa Etruſca Hamiltonii. In deſcribendo Aetna multus eſt Strabo l. c. quocum conferendum poëma Cornelii Severi, in ſuo genere unicum. Recentiori aevo Aetnae topographiam & hiſtoriam incendiorum ejus dedit Anton. Philotheus de Homodeis. Deſcripſit eundem Petrus Carrera. Utriuſque libellus inſertus legitur Theſauro ant. Sic. T. IX. Varia quoque non ex trivio obſervavit Brydonius, cujus Siculum iter jam antehac citavimus. Hodiernum nomen Aetnae *Mont-Gibello.* Olim *Inneſam* quoque dictum & montem & oppidum appoſitum, ſupra ex Strabone oſtendimus pag. 231. O.

## Agragas

Virgilius Aen. L. III. v. 703.

*Arduus inde Agragas oſtentat maxima longe*
*Moenia; magnanimum quondam generator equorum.*

ubi Servius. *Mons eſt muro cinctus, in cujus ſumma parte*

*oppidum est.* De nominis orthographia Pierius agit ad h. l. HESSEL. Urbem & fluvium hoc nomine certatim laudant veteres, montem tacent. Innuunt tamen. Inter alios Polybius diserte suppetias fert nostro. Ita ille L. IX. ubi graphice situm Agrigentinae urbis depingit cap. 21. κεῖται γὰρ ὁ τεῖχος ἐπὶ πέτρας ἀκροτόμου καὶ περίῤῥωγος, ᾗ μὲν αὐτοφυοῦς ᾗ δὲ χειροποιήτου . . . ἡ δ' ἄκρα τῆς πόλεως ὑπέρκειται κατ' αὐτὰς τὰς θερινὰς ἀνατολὰς . . . ἐπὶ δὲ τῆς κορυφῆς Ἀθηνᾶς ἱερὸν ἔκτισται &c. O.

## Athos

v. Homerus hymn. in Apoll. v. 33. ubi dicitur Θρηΐκιος Ἄθως. Schol. Apollonii Rhod. ad L. I. v. 601. Ἄθως ὄρος Θράκης ὑψηλότατον. & Theocr. ad edyll. VII. v. 76. HESSEL.

Sequenti aevo attributus est Macedoniae. Describitur a Thucydide L. IV. p. 276. a Strabone L. VII. in exc. p. 331. a Pomp. Mela L. II. c. 2. a Plinio L. IV. c. 17. Gloriosum Xerxis Persarum regis consilium, quo isthmum Athoum a continente abscindere studuit, ubi prisca jungendorum marium molimina descripsimus, sperato successu gavisum esse ostendimus. Hodie ἅγιος ὄρος salutatur ab accolis, quod nomen ipsi frequentes coenobitarum coetus conciliarunt. Exstat in Montefalconii palaeographia Joh. Comneni descriptio montis Atho. Alia dabit Bellonius in observationibus L. I. itemque scriptores itinerum Wheelerus, Sponius, Pockokius aliique. C.

## Apenninus

v. Lucanus L. II. v. 399.

*Mons inter geminas mediis se porrigit undas*
*Inferni superique maris; collesque coercent*
*Hinc Tyrrhena vado frangentes aequora Pisae,*
*Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.*

Hinc repetita Vibii verba. Eadem Strabo disertis verbis L. V. p. 211. Anconem terminum ponit Apennino ad Hadria-

ticum mare. Τὰ δὲ Ἀπέννινα ὄρη συνάψαντα τοῖς περὶ Ἀρίμινον καὶ Ἀγκῶνα τόποις, καὶ ἀφορίσαντα τὸ ταύτη πλάτος τῆς Ἰταλίας ἀπὸ θαλάττης ἐπὶ θάλατταν, ἐπιστροφὴν λαμβάνει πάλιν, καὶ τέμνει τὴν χώραν ὅλην ἐπὶ μῆκος . . . cf. & Ptolemaeus L. III. c. 1. Apennini vel Pennini unde dicti, non ſatis conſtat. Riſum nobis debent, qui quaſi *Alpes Poeninas* ab Hannibale, qui ſuperavit, ſalutatos tradunt, Servius ad Virgilii L. X. Aen. v. 13. Iſidorus Hiſp. origin. L. XIV. c. 8. aliique. Mallem cum Bocharto ex eodem fonte derivare vocem, ex quo nomen deduxit Alpium, vel cum aliis a Celtico *pen*, quod *ſummitatem* denotat. Frequens apud Poetas proſopopoeïa in montibus. Ita Virgilio L. XII. v. 703.

\- - - - *gaudetque nivali*
*Vertice ſe attollens pater Apenninus ad auras.*

Imo pro Deo habitus, vel potius in ejus vertice cultus Jupiter, Apennini nomine mactatus. Atque hic cultus diverſis in jugis ejus montis locum habuit. De Veragris ita Livius L. XXI. c. 38. *neque hercule montibus his ab tranſitu Poenorum ullo Veragri incolae jugi ejus norunt nomen inditum, ſed ab eo, quem in ſummo ſacratum vertice Penninum montani appellant.* In Sponii miſcellaneis eruditae antiquit. p. 85. extat marmor in monte S. Bernardi locatum:

LVCIVS LVCILIVS
DEO PENINO
OPTIMO
MAXIMO
DONVM DEDIT

Iguvii ſive Eugubii cultum Jovem Apenninum, fidem facit tabula Peutingeriana ſegm. IV. ubi *Jovis penninus idem* (Fr. de Scheyb. legit, *id eſt*) *agubio;* cui ſuccurrit commodiſſime profecto tabula quaedam marmorea detecta ibidem, & inſerta muſeo Veronenſi ab Ill. Maffeio pag. LXXIX.

IOVI
APENINO
T. VIVIVS CAR
MOGENES
SVLPICIA EVPHRO
SYNE CONIVX
V. S. D. D.

Cui declarandae Maffejus *Apenninas ſortes* adducit, quarum Vopiſcus in Firmio meminit, item verba Pollionis in Claudio Goth. *quum in Apennino de ſe conſuleret.* Demum *Anconam Latini urbem ſalutarunt, quae in anguſto duorum promontoriorum ex diverſo coeuntium inflexu, cubiti imagine ſedens, ideo a Graiis dicta Ancon.* teſte Pomp. Mela L. II. c. 14. Graeco more ſaepe Poetae; quos ſecutus Vibius. Ita quoque graeciſſans Atticus ad Ciceronem L. VII. ep. 11. *Anconem amiſimus.* cf. Cellarius L. II. c. 9. O.

## Albanus

Eum montem cultus Jovis Latialis nobilitavit, feriaeque Latinae, quotannis ex praeſcripto Tarquinii Superbi in eo celebrari ſolitae. v. Dionyſius Halicarn. L. IV. Nomen ei ab Alba longa inditum, in cujus vicinia & lacus Albanus, hodie *lago di caſtel Gandolfo*, & Albanum praeterea nemus fuit. Quam late patuerit Albae, Albani, Albaniae nomen apud veteres, penes Ortelium uno obtutu videbis. Montem Albanum in Pannonia quoque notat Ptolemaeus L. II. c. 15. O.

## Aventinus

*Praeneſte*) v. Servius ad Virgilii Aen. L. VII. v. 682. *Praeneſte eſt locus haud longe ab urbe, dictus ἀπὸ τῶν πρίνων, id eſt, ab ilicibus, quae illic abundant.* HESSEL. Praeneſte oppidum in monte fuit omnino ſitum, quod vel rudera templi Fortunae, in quibus detectum celebre muſivum, condocent, ſupra urbem hodiernam *Paleſtrinam* reſidua. Is au-

tem mons ſitne Aventinus appellatus olim, diſquirendum. Vocat *altum Praeneſte* Virgilius l. c. Strabo L. V. p. 238. ubi Praeneſte & Tibur comparat, ita: ἐρυμνὴ μὲν οὖν ἑκατέρα, πολὺ δ' ἐρυμνοτέρα Πραίνεστος· ἄκρον γὰρ ἔχει τῆς μὲν πόλεως ὑπερθεν ὄρος ὑψηλὸν, ὄπισθεν δ' ἀπὸ τῆς συνεχούσης ὀρεινῆς ἀυχένι διεζευγμένον, ὑπεραῖρον ᾗ δυσὶ σταδίοις τούτου πρὸς ὀρθίαν ἀνάβασιν. Collis nomen nec ipſe nec alius quiſquam enarrat. Unde ergo Vibius *Aventinum* ſuum depromſit, quem Aventino Romano poſtponit? *Atentinum* a Boccacio vocari, tradit Ortelius. Equidem apud Boccacium *Aventinum* quidem reperio, eum de quo paullo ante, ſed *Atentinum* nuſquam, nequè in Aventino mentio ipſi de Praeneſte. Inquirit in hunc montem montiſque nomen in Praeneſte antiqua Joſ. Mar. Suareſius, edita Romae a. 1655. & in theſ. antiq. Italic. T. VIII. P. IV. translata. Verum nec hic nobis ſatisfacit. Ita ille L. I. c. 4. „ Montem, in quo civitas eſt „ Praeneſte, a Vibio Sequeſtro *Aventinum* vocari putabit, „ qui auctoris illius recenti editioni, a Ph. Mauſſaco ador- „ natae haerebit, uti Paulus Merula, qui quondam *Aventi-* „ *num* nunc *Aretinum* dici e Vibio tradit, & Ortelius; quibus „ accederem, niſi in vetuſto codice, qui a. MCDXXXVIII. „ exaratus fuit, reperiſſem ſcriptum, *Apenninum Italiae uſ-* „ *que Praeneſte*, quamvis etiam in vetuſta editione Romana „ legatur, *Aventinum*, *in quo civitas Praeneſte:* & jam olim „ a Joh. Boccacio ita lectum fuerit, non *Atentinum*, uti ſcri- „ bit Ortelius, niſi apud illum falſae ſint operae. Et Franc. „ Schottus in itinerario olim *Aventinum* (ut Sequeſter ait) „ nunc (ut habent lexica) *Aretinum* dictum aſſerit. „ Dein ex Strabone montem depingit & ſubjicit iſta: „ Hunc mon- „ tem non dubitat Blondus & eum ſecutus Leander Alber- „ tus eſſe eum, in quo eſt munitiſſima arx, dicta *Rocca* „ *Cavarum*, ſed uterque fallitur; cum Strabo prominens il- „ lius jugum, in quo arx Praeneſtes ſita eſt, haud dubie „ intelligat. „ Iſta Suareſii non ſatisfaciunt. Neque enim docent, quale revera montis nomen fuerit olim, aut quale his ſit temporibus. Interim ex codice quodam recentiore

Vibii lectionis quoddam discrimen suggerit, ostenditque; *Apenninum* pro *Aventino* vel *Atentino* scriptum fuisse. De etymo nominis Praenestini deque cultu Fortunae, qui in oppido viguit, consulito Suaresium. O.

## Amanus

Lucanus L. III. v. 243.

- - - - *venere feroces*
*Cappadoces, duri populus nunc cultor Amani.*

ubi Grotius loco *nunc* praecipit legendum *non.* HESSEL.

Ciliciam a Syria sejungebat, unde tibi Ciliciae proconsuli cum montem communem esse testatur eloquentiae Romanae princeps L. II. ep. ad div. 10. cum Bibulo Syriae proconsule, quem & alibi, scilicet L. V. ad Attic. ep. 20. *in eodem Amano Laureolam coepisse in mustaceo quaerere* sat lepide scribit. Verum Cappadociam quoque attingebat Amanus, teste Strabone L. XI. p. 521. Τὸ Ἀμανὸν ἀπ' αὐλεῶν (scil. τοῦ Ταύρου) κ'ζεται . . . τὸ δὲ Ἀμανὸν ὄρος μέχρι τοῦ Εὐφράτου καὶ τῆς Μελιτηνῆς πρόσισι· καθ' ἣν ἡ Κομμαγηνὴ τῇ Καππαδοκίᾳ παράκειται. Rectius tamen Ciliciae mons salutatur ab aliis & Syriae. v. Ptolemaeus L. V. c. 6. Ἀμανικὰς πύλας idem c. 8. tribuit propriae Ciliciae mediterraneae. Hodie *Scanderona* item *Portella* nuncupantur; Amano ipsi nomen est *al Lucan.* Antiquitus *Melantium* dictum, refert Tzetzes, cf. Ortelius. O.

## Aganippe

v. Bochartum Chan. L. I. c. 16. p. 428. HESSEL.

Scilicet ingeniose Aganippes fontis nomen ex אגן אבא & Enippes ex עין אבא deducit, & istum *viroris* id est *viridem craterem*, hunc *fontem* interpretatur. Eodem loco a Vibio Aganippen perperam in montibus recenseri queritur. Inter montes post nostrum retulit & Boccacius; contra veterum nemo, quantum novi. Fontem recte dixerat Vibius supra pag. 21. ad quem locum notavimus, ex Graeca lingua nominis originem deduci ab aliis. O.

## Berecynthus

Cruquianus interpres ad Horatii L. IV. od. 1. v. 22. *Lyraque & Berecynthiae*) *a Berecyntho monte Phrygiae, ubi primum inventa dicitur tibia, vel a matre Deûm Berecynthia, cujus ſacris deputata eſt, ut:*

*- - - - Ite per alta*
*Dindyma, ubi aſſuetis biforem dat tibia cantum.*

Servius ad Virgilii Aen. L. IX. v. 82. *Berecyntia*) *Mater Deum a monte Phrygiae Berecynto, cujus ultima ſyllaba caret adſpiratione; quam addimus, quotienſcumque montem Deli Cynthium dicimus.* Phil. Jac. Mauſſacum videſis ad Plutarchum de fluv. & mont. nom. & de his, quae in illis inven. in Mars. atque Ez. Spanhemium ad Callimachi hymn. in Dianam v. 246. HESSEL. Recte Phrygiae aſſignat Berecynthum Vibius. Ejus regionis urbem hoc nomine & Berecyntiam regionem refert Stephanus & abſque adſpiratione pingit, quod & apud Strabonem ſit L. XIV. p. 681. qui montem quoque Berecyntiae regionis Κάβειρον nominat L. X. p. 472. Heſychius ipſam Phrygiam prius Berecyntiam dictam fuiſſe perhibet. Meminit & tibiae Berecyntiae, & Berecyntiadis venti. Montem nec hic nec Stephanus habet. Neque tamen de eo dubitandum. De cultu Cybeles nota Virgilii verba L. VI. v. 784.

*- - - qualis Berecynthia mater*
*Invehitur curru Phrygias turrita per urbes:*
*Laeta Deum partu, centum complexa nepotes;*
*Omnes coelicolas, omnes ſupera alta tenentes.*

Ceterum extra Phrygiam in Caria Berecynthii tractus mentionem facit Plinius L. V. c. 29. & Berecynthi montis in Creta Diodorus Sic. L. V. c. 64. O.

## Bebius

Bebium montem Vibio dici Veſuvium, probe hariolatus eſt Ortelius, demonſtravit luculenter Cluverius Ital. ant. L. IV.

c. 3. ubi oſtendit ex *Veſuvio* feciſſe Romanos *Veſevum*, Graecos ex hoc Βέσβιον, *Vesbium*, *Vesvium*, *Besbium* & tandem corrupte Βέβιον, *Bebium*. Et hujus quidem nominis documenta repetit ex Procopio, qui Gothic. hiſt. L. II. quater, quarto bis eo utitur; dein ex Anaſtaſio Bibliothec. in vita Benedicti II. ubi *Mons Bebius, qui eſt in Campania, menſe Martio eructavit;* demum ex Monacho Altiſſiodorenſi in Chronico, ubi *Mons Bebius ruptus in vertice.* Itaque, ut ſalva rurſus & hic eſt auctoritas Vibii, ita patet iterum, ipſum nomina, quae ſua fere aetate in uſum trahi vidit, feriei, quam concinnabat, inſeruiſſe, ut ſupra in *Caſilino* & aliis deprehendimus. Neque Boccacio dubium fuiſſe videtur, quem Bebium diceret Sequeſter, ita enim ille: *Bebius Campaniae mons eſt: ignem ad inſtar Aetnae Siculae vaporans.* O.

## Boreas

Ad Dyrrachinam topographiam ſpectat, quae quam fuerit noſtro cordi, ſupra declaratum eſt. v. *Alto. Genuſus. Icanus. Mathis. Ululeus* & notata noſtra ad laudatos articulos. Boream Dyrrachii montem ignorant Geographi, quotquot extant. Scite Ortelius *Boram* huc trahit Livii, quem is ſcilicet ad Septentrionem terminum Macedoniae ponit L. XV. c. 29. ita ut Illyridem reſpiciat. Verum, quandoquidem ſolus eſt, quantum ſciam, Livius, qui ejus Borae meminerit, dubium videri poſſit, ex Livio Vibius an hic ex iſto ſit emendandus. Itaque nomen *Borae* non in Vibium ipſum recepimus, at conjecturae tamen locum dedimus. Quod quis oggerat, remotiorem eſſe a Dyrrachio Boram Livii, id nihil eſt; ſiquidem latius vicinia apud ipſum ſumi ſolet. Sic latiori quoque ſenſu capiendus Boccacius: *Boreas mons eſt Epiri, Dyrrachio proximus.* Promontorium *Boreon* ad Syrtim Africae magnam cum Plinio L. V. c. 4. Ptolemaeus locat; idem & in Hibernia aliud recenſet. Oroſius aliud item in Aſia. Pauſaniae mons eſt *Boreus* in Arcadia. L. VIII. c. 44. O.

## Cithaeron

Cithaeron Thebis majori jure tribuitur, quam mox Boras Dyrrachio. Strabo L. IX. p. 409. radices Cithaeronis haud procul Thebis desinere tradit. ὁ Κιθαιρὼν δὲ οὐκ ἄπωθεν τῶν Θηβῶν τελευτᾷ· παρ' αὐτὸν δὲ ὁ Ἀσωπὸς ῥεῖ, τὴν ὑπώρειαν αὐτοῦ κλύζων, καὶ ποιῶν τοὺς Παρασωπίους εἰς κατοικίας πλείονας διῃρημένους, ἅπαντας δ' ὑπὸ Θηβαίοις ὄντας. Inde *Thebis saltus* dicitur *dari Musis Cithaeron* apud Plinium L. IV. c. 7. Inde *in Boeotia Thebae & Cithaeron, fabulis carminibusque celebratus*, teste Mela L. II. c. 3. Quales hae sint fabulae, ex poetarum locis declarat Cellarius O. A. L. II. c. 13. sect. 10. Quod *ab eo monte dictam Venerem Citheream* tradit Boccacius, in hoc oppido abludit a vero. Cythera insula id nominis Deae dedit; unde Ovidius fast. L. IV. v. 285.

*Tum laeva Creten, dextra Pelopeidas undas*
*Deserit, & Veneri sacra Cythera petit.* O.

## Cynthus

Boccacius hunc articulum auxit. *Cynthius mons est insulae Deli, famosus Apollinis nativitate, cujus tam grandem magnitudinem dicunt, ut umbra sua Aegaei maris ambitum tegat.* Situm montis optime pingit Strabo, qui, quum in Delo urbe Apollinis & Latonae fana spectata esse dixisset, L. X. p. 485. adjicit: ὑπέρκειται δὲ τῆς πόλεως ὄρος ὑψηλὸν ὁ Κύνθος, καὶ τραχύ. Eo monte maxime gavisa Phoebe. Statii locum dedimus pag. 288. in quo Cynthus Aracyntho opponitur, hic Minervae, ille Dianae sacer. Virgilius quoque Aen. L. I. v. 502.

*Qualis in Eurotae ripis, aut per juga Cynthi*
*Exercet Diana choros* - - -

Inde & ipsa *Cynthia* dicta & frater ipsius *Cynthius.* Nota ista Horatii L. I. ode 21. v. 2.

*Intonsum pueri dicite Cynthium.*

& L. III. ode 28. v. 11.

*Tu curva recines lyra*
*Latonam & celeris spicula Cynthiae.*

Ipſam quoque Delon ſalutatam eſſe *Cynthiam*, auctor eſt Plinius L. IV. c. 12. item *Cynthum*, Stephanus Byz. Quae de altitudine Cynthi praedicat Strabo, negat & pernegat Wheelerus Anglus αὐτόπτης in itinere ſuo per Graeciam; arduum eſſe & aſperum fatetur. Audies ipſum L. I. p. 89. verſionis Gallicae: *Nous commençames à monter au haut du rocher, appellé anciennement le mont Cynthus. On ne le peut appeller montagne, qu'en comparaiſon des autres hauteurs de l'isle & non pas à l'égard des isles voiſines, qui ſont à proportion beaucoup plus hautes. Elle eſt fort pierreuſe & eſcarpée, & compoſée de marbre granite.* Quid ergo de traditione ſentiendum, quam repetit Boccacius? O.

## Caucaſus,

Hunc articulum cum duobus praecedentibus ſeriei Vibianae codicum optimorum auctoritate vindicavimus. Neque video, quid obſtet. Cithaeron quippe & Cynthus bene ſeſe habent. Caucaſus rectius poterat definiri; aſt doctrina hujus loci cum ſuperiori in art. Hydaſpis pag. 11. apte conſpirat. Verum Caucaſi, altiſſimi montis Aſiae, jugum ſupra Colchos, Iberos & Albanos protenſum ab Euxino mari procurrit ad Caſpium. Sic Strabo L. XI. p. 497. Hoc ſilentio premit noſter; contra falſo jactatum a Macedonum Alexandro adulantium grege Caucaſum & a Ponto ad Indos translatum cumque Paropamiſo confuſum refert, prorſus ut ſupra in Hydaſpe, quem locum erudite illuſtravit Heſſelius. pag. noſtra 122. Sunt tamen, qui in iſtis plagis Caucaſum a Paropamiſo diſtinguant, huic ſcilicet nomen ſuum ſartum tectumque ſervantes, ejuſque partem modo, quam ſuperavit Rex Macedo, Caucaſi appellatione ornantes. Ita Strabo L. XI. p. 724. οἱ δὲ Βακτριανοὶ τῇ τε Ἀρίᾳ πρὸς ἀριστερὰν παράκεινται καὶ τοῖς Παροπαμισάδαις, ὃν ὑπερβὰς Ἀλέξανδρος ὑπέβαλε τὸν Κάυκασον, ἐλάυνων ἐπὶ τὴν Βάκτριαν. Idem L. XI. p. 511. Τὰ δ' ὄρη Μακεδόνες μὲν ἅπαντα τὰ ἐφεξῆς ἀπὸ Ἀρίων Κάυκασον ἐκάλεσαν· παρὰ δὲ τοῖς βαρβάροις τά τε ἄκρα καὶ τοῦ Παροπαμίσου.

μέτου, τὰ προσβόρεια καὶ τὰ Ἡυδάα, καὶ τὸ Ἰμάονον καὶ ἄλλα τοιαῦτα ὀνόματα ἑκάστοις μέρεσιν ἐπίκειται. Ptolemaeus quoque diſerte Paropaniſum, ut appellat, & Caucaſum diſtinguit L. VI. c. 11. & 12. iſtum Bactrianae, hunc Sogdianae aſſignat. In eo minus adcurate verſatur, quod hos Caucaſios montes proprie dictos tradat, quibus improprie ſatis tributum id nominis vidimus. O.

## Cytorus

v. Catullus carm. IV. v. 13. Virgilius Georg. L. II. v. 437.

*Et juvat undantem buxo ſpectare Cytorum.*

*buxo*) v. Servius ad Virgilii l. c. *Cytorum*) *Montem Macedoniae*, (*Paphlagoniae*, legito) *in quo abundat buxus; quae vento mota aeſtus imitatur undarum.* Operae pretium eſt de la Cerda conſulere ad loc. Virg. De buxi autem pallore, ſicut Heinſius id notavit, pallens Valerio Flacco mons hic eſt L. V. verſ. 106.

*Mox etiam Cromnae juga pallentemque Cytoron,*
*Teque cita penitus condunt, Erythia, carina.*

cf. & Schol. Apollonii Rhod. ad L. II. v. 944.

Κωβιαλοὶ, Κρώμναι τε καὶ ὑλήεσσα Κύτωρος.
ὑλήεσσα δὲ εἶπεν διὰ τὸν πύξον ἐκεῖ πολὺν γίνεσθαι. HESSEL.

Cytorum etiam urbem Graecam in Paphlagonia notant poſt Homerum in catal. navium v. 360. Scylax Caryandenſis & Marcianus Heracleota, itemque Arrianus in ſuo quiſque periplo, meminit & Strabo L. XII. p. 542. aliique. Montem in poëtis Ovidius quoque Metam. L. VI. v. 133. tangit

*Utque Cytoriaco radium de monte tenebat.*

Geographorum autem pauci memorant. Plinius bis L. VI. c. 1. *Mons Cytorus a Tio LXIII. M. P.* & L. XVI. c. 14. *Buxus Pyrenaeis ac Cytoriis montibus plurima & Berecynthio tractu.* Buxi proventus Cytori frequens in proverbium abiit. Sic πύξον εἰς Κύτωρον ἄγαγες, Euſtathius adagii loco refert, & rationem reddit his: Κύτωρος πόλις Παφλαγονίας Μιλησίων ἐμπόριον, περὶ ἣν πλείστη καὶ ἀρίστη πύξος φύεται. Inde

& *Cytoriaco pectine* utitur Ovidius metam. L. IV. v. 311. Buxi copiam atque praeſtantiam primus forſan notarat Theophraſtus Ereſius L. III. hiſt. nat. c. 15. ex quo hauſere reliqui. O.

## Cybelus

Ovidius Faſt. L. IV. v. 361.

*Inter, ait, viridem Cybelen, altaſque Celaenas*
*Amnis it inſana, nomine Gallus, aqua.*

HESSEL.

De eo poſt Stephanum Byz. egit. Hemſterhuſius ad Lucianum T. I. p. 90. SCHNEIDER. Strabo diſerte Cybelen a Cybelis dictam aſſerit L. XII. c. 561. Ἔστι δὲ ἡ ὀρος ὑπερκείμενον τῆς πόλεως, τὸ Δίνδυμον, ἀφ' οὗ ἡ Δινδυμήνη, καθάπερ ἀπὸ τῶν Κυβέλων ἡ Κυβέλη. Eſt ergo is mons Ovidio *Cybele*, Straboni τὰ Κύβελα, *Cybelum* vocat Diodorus Sic. L. III. c. 58. ubi Cybele Dindymae filia nomen ex Cybelo monte ſortita narratur, in quo pardales aliaeque ferae admotis uberibus eam nutriverint. Fons, ex quo ſua hauſit Vibius, apud Virgilium eſt & Servium. Scilicet Aen. L. III. v. 111.

*Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiaque aera.*

ubi Servius: *Mater, proprie: cultrix autem Cybeli, id eſt, montis Phrygiae, in quo colitur, a quo Cybele dicta eſt.* Fuit & *Cybellia* quidam pagus Joniae, de quo Strabo L. XIV. p. 645. Κυβέλεια urbs Joniae Stephano, qui & urbem Phrygiae Κύβελα & Κύβελλον ἱερὸν memorat, unde nomen inditum Cybelae. Sed hic ſatis veroſimiliter Berkelius mavult Κύβελλον ὄρος vel Κύβελλον ὄρος ἱερόν. O.

## Coelius

Livius L. I. c. 30. *Coelius additur urbi mons, &, quo frequentius habitaretur, eam ſedem Tullius regiae capit, ibique deinde habitavit.* Nominis originem dat Varro de L. L. L. IV. *In Suburanae regionis parte princeps eſt Coelius mons, a Coelio Vibennio Tuſco, duce nobili, qui cum ſua manu*

*dicitur Romulo veniſſe auxilio contra Sabinum Regem.* cf. & Feſtus ea voce. Poſtea *vicum Tuſcum* eſſe ſalutatum, falſo refert Ortelius. Non mons ita dictus, ſed vicus, quem Tuſci e monte deducti in planum incoluere, teſte Varrone. Antiquum montis nomen *Querquetulani* fuit, *quod talis ſilvae frequens foecunduſque erat*, ut narrat Tacitus Annal. L. IV. c. 65. qui Tiberii juſſu *Auguſtum* nominatum addit, quod idem & Suetonius refert in Tiberio cap. 48. Hodie eſt *S. Giovanni di Laterano.* v. Brietius in parall. P. II. p. 432. In Vindelicia caeterum *Caelius mons* quoque fuit, oppidum, cujus nominis veſtigia ſervat hodieque *Kelmünz*, Guntiam inter & Ilargum amnes. cf. Cellarius. O.

## Clarius

Iſaacus Tzetzes ad Lycophronem v. 1464. Κλάρῳ δὲ ὄρῳ ἡ πόλις Ἀσίας περὶ Κολοφῶνα, ἀφ' οὗ ἡ Κλάριος ὁ Ἀπόλλων. HESSEL. Eo magis memoratu dignus nobis eſt hic Tzetzae locus, quo altius apud veteres ſilentium de Clario monte. Templi, luci vel nemoris & Oraculi Clarii meminere plures. Reſpice ad pag. 265. Occurrunt & alibi urbes, caſtella, inſulae, fluvii, quibus Clari vel Clarii nomen fuit commune. O.

## Cyllene

Ovidius metam. L. I. v. 216.

*Maenala tranſieram, latebris horrenda ferarum,*
*Et cum Cylleno gelidi pineta Lycei.*

ubi Nic. Heinſius: „ *Cylleno*) Cyllenes, quicquid libri ve„ teres diſſentiunt: Κυλλήνῃ Graecis eſt. „ Heinſium item vide ad Ovidii Faſt. L. II. v. 276. cf. porro Virgilius Aen. L. VIII. v. 138.

*Vobis Mercurius pater eſt, quem candida Maja*
*Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.*

Servius: *Mons eſt Arcadiae, ubi Maja Mercurium eſt enixa.* Adde Scholiaſten Homeri ad L. II. II. v. 603. Κυλλήνη

ὄρος ὑψηλὸν τῆς Ἀρκαδίας ἡ πόλις ἴσα παρ' αὐλῷ ὁμώνυμος. Ἐν ᾧ ὄρει δοκεῖ Ἑρμῆς γεγεννῆσθαι ἐκ Μαίας τῆς Ἀτλαντος θυγατρὸς καὶ Διός· ὅθεν καὶ Κυλλήνιον τὸν θεὸν φασιν. HESSEL.

Altiſſimum hunc Arcadiae montem fuiſſe, docent Strabo L. VIII. p. 388. & Pauſanias L. VIII. c. 17. Et ille quidem praeterea perpendiculum ejus ab aliis ſtadiorum XX, ab aliis ad XV. poni notat; hic in ſummo vertice Mercurii Cyllenii templum eminuiſſe memorat, ſed collapſum. Arbitratur porro tum monti tum Deo a Cyllene Elati filio cognomina eſſe indita. In nomine *Cyllene* iſti ſcriptores omnes conſentiunt, ut recte & Heinſius apud Ovidium *Cylleno* extruſiſſe videatur, & nos Heſſelium ſecutos τὸ *Cyllene* τῷ *Cylleaus*, quod codex Revii & Pariſini libri prae ſe ferunt, praetuliſſe ſentiamus. Habet tamen ſed adjectiva forma *Cyllenius* Mela L. II. c. 3. De caetero Cyllene urbs praeter Arcadicam monti adſtructam, & in Elide fuit, teſtibus Thucydide, Livio, Strabone, aliiſque, & in Aeolide, memorata Xenophonti in Cyropaed. L. VII. Arcadico monti hodieque antiquum reſtare nomen Cyllenes, Brietius refert in parallel. P. II. p. 432. O.

## Catillus

Servius ad Virgilium Aen. L. VII. v. 672.

*Tum gemini fratres Tiburtia moenia linquunt,*
*Fratris Tiburti dictam cognomine gentem*
*Catilluſque, acerque Coras, Argiva juventus.*

*De Graecia tres fratres venerunt ad Italiam, Catillus, Coras, Tibur v. Tiburnus. Hi ſimul unam fecere civitatem & eam de fratris majoris nomine Tibur appellaverunt - - - A Catillo dictus mons Catilli, quem Catelli dicunt per corruptionem, juxta Tibur.* Praeter ceteros Virgilii enarratores cum Vibio faciunt, quod ad hunc locum attinet ac proximum, interpretes Horatii ad L. I. od. 7. v. 13. & ode 18. v. 2. HESSEL.

Horatio dicitur *Catilus*. l. poſt.

*Circa mite ſolum Tiburis & moenia Catili.*

Verum Silius L. VIII. v. 366.

*Hinc Tibur, Catille, tuum.*

Sic & Statius Silv. L. I. carm. 3. v. 100. Sic & alii Mart. Capella & Solinus. Verum iſti omnes de Amphiarai filio, Tiburis conditore, loquuntur; montem nemo tangit praeter Servium, ex quo transſcripſit noſter, ut ex noſtro Boccacius: *Catillus mons eſt prope Tiburim civitatem Romae vicinam a Catillo fratre Tiburti conditoris Tiburis denominatus.* Servius *Catillum* montem *Catellum* quoque dictum ſcribit; Ortelius nunc *Carelli.* O.

## Coras

Deceptus hic mihi videtur Vibius. Quum vidiſſet Catillum & nomen conditoris eſſe Tiburis & montis ibidem, de Cora fratre Catilli idem praedicandum arbitratus eſt. Aſt Servius poſt verba mox citata tantum adjicit: *Coras*) *a cujus nomine eſt civitas in Italia.* Aliunde quoque praeſidium quoddam Sequeſtri fruſtra quaeſiveris. Auxit errorem Boccacius, qui ſic: *Corax mons eſt non longe Tiburi, a Corace fratre Tiburti conditoris Tiburis dictus.* Neque hic mendum ſubeſſe crediderim; ſiquidem *Corax* apud ipſum praecedit, mons Aetoliae. *Cora* urbs Italiae, cujus meminit Servius, proxima fuit Velitris & hodie eodem nomine venit. Ejus meminit Livius L. II. c. 16. *Duae coloniae Latinae, Pometia & Cora, ad Auruncos deficiunt.* Paſſim & Poëtae. Demum *Coras* quoque urbs Cappadociae extitit, teſte Conſtantino Porphyrogenneta. O.

## Cinyrus

Deeſt hic articulus apud Boccacium; in eo tamen ſervando conſpirant codices Vibiani. Interim ſolum hic relictum video noſtrum. Neque, unde hauſerit, nunc ullo modo ſuccurrit. *Cinyrem* regem Cypri habet Homerus Il. L. XI. v. 20. Urbem ejus inſulae *Cinyriam* Plinius L. V. c. 31. eandem Κινύρειαν effert Nonnus in Dionyſ. L. XIII. v. 451. Quid, ſi Cinyrus quoque Cypri mons fuit olim? O.

## Chimaera

Servius ad Virgilium Aen. L. VI. v. 288.

\- - - *Flammiſque armata Chimaera*

*Titonis & Cheldriae filia ore leo, poſtremis partibus draco, media capra ſecundum fabulas fuit. Revera autem mons eſt Lyciae, cujus hodieque ardet cacumen, juxta quod ſunt leones; media autem pars hujus paſcua habet, quae capreis abundant, ima vero montis ſerpentibus plena ſunt. Hunc Bellerophontes habitabilem fecit, unde Chimaeram dicitur occidiſſe.* Ubi pro *Lyciae* Pariſ. ed. 1529. *Siciliae* minus bene praefert edit. Genev. 1620. Commel. 1646. L. B. & Amſt. 1680. cf. & Ovidius metam. L. VI. v. 339. & L. IX. v. 643. HESSEL. Plinius L. II. c. 106. *Flagrat in Phaſelide mons Chimaera & quidem immortali diebus ac noctibus flamma. Ignem ejus accendi aqua, extingui vero terra aut foeno Cteſias tradit* &c. Phaſelidem ponit Stephanus Byzantinus unam in Judaea, alteram in Pamphilia proxima Lyciae. GRONOV.

Eleganter Ovidius L. IX.

*Quoque Chimaera jugo, mediis in partibus ignem,*
*Pectus & ora leae, caudam ſerpentis habebat.*

Exoptatiſſimum fabularum architectis argumentum, quod idem artificum exercitavit induſtriam. Hetruſcum Chimaerae ſignum in antiquitatibus Etruſcis exhibet Gorius; gemmis inſculptam ejus imaginem Lippertius in Dactyliotheca P. I. n. 925 & 926. & P. II. n. 27. Bellerophontis cum ea pugnam gemmae pariter ac Corinthiorum nummi ſiſtunt. Iſtas apud Lippertium P. II. n. 29 & 30. hos apud Spanhemium de V. & P. N. itemque apud Vaillantium in gente Caecilia videbis. Ad montem ipſum ut redeamus, quaeritur, in quanam Lyciae parte iſte fuerit; ſiquidem alii cum Plinio & Scylace ad Phaſelidem locant, alii ad Cragum vel in Crago, ut Strabo L. XIV. p. 665. ὁ Κράγος, ἔχων ἄκρας ὀκτὼ καὶ πόλιν ὁμώνυμον· περὶ ταῦτα μυθεύεται τὰ ὄρη τὰ περὶ τῆς χιμαίρας· ἔστι δ' ἀπωθεν ἡ χίμαιρα φάραξ τις ἀπὸ τοῦ ἀγιαλοῦ ἀνατείνουσα. cf. Cellarius N. O. A. L. III. c. 3. Unde ſimul

vides, cognominem ignivomo monti convallem adfuiſſe. Abſque diphthongo pingitur *Chimera*, *in Epiri ora caſtellum in Acroceraunii*s, cujus mentionem facit Plinius L. IV. c. 1. Id Pauſaniae Χειμέριον dicitur L. VIII. c. 7. & Thucydidi L. I. c. 30. Promontorium id, quod Cragus, octo verticibus inſignis, cum Chimaera efficiebat olim, hodie *les ſept caps*, *ſeptem promontoria* ſalutatum invenio. Chimaeram ipſam in ſerie montium hodieque ignes ejaculantium recenſet Baudrand in Geographia & ex eo Moreri in Lexico opere, & nunc dici perhibet *il monte de Goranie*. O.

## Calpe

Calpen & Abylam veteres in Herculis columnas transformarunt. Hinc Marcianus Heracleota in periplo: ἀπὸ Κάλπης τοῦ ὄρους καὶ πόλεως, ἥτις ἐστὶν ἐν ἀρχῇ τῆς ἐντὸς θαλάσσης - - - Euſtathius ad Dionyſii perieg. v. 64.

Ἐνθά τε καὶ πάλαι περὶ τέρμασιν Ἡρακλῆος,

ita: ὅτι περὶ τὰ Γάδειρα Ἡρακλέους ἱστᾶσι πάλαι πρὸς τοῖς τέρμασι τῆς γῆς, μέγα θαῦμα· φασὶ δὲ αὐλὰς ἢ ἀνδριάντας εἶναι Ἡρακλέους, ἢ πόλεις ἐπωνύμους ἐκείνῳ ἢ καὶ λόφους ἐπονομαζομένους αὐτῷ· ἔστι δὲ αὐτῶν ἡ μὲν Εὐρωπαία Κάλπη καλουμένη βαρβαρικῶς, Ἀλύβη δὲ καθ' Ἕλληνας· ἡ δὲ Λιβυκὴ, κατὰ βαρβάρους μὲν Ἄβιννα καλουμένη, ἑλληνικῶς δὲ Κυνηγετική. Abludit hic a vulgari opinione Euſtathius, quam Mela L. I. c. 5. his exponit: *Deinde eſt mons praealtus, ei, quem ex adverſo Hiſpania attollit, objectus: hunc Abylam, illum Calpen vocant, columnas Herculis utrumque. Addit fama nominis fabulam, Herculem ipſum junctos olim perpetuo jugo diremiſſe colles, atque ita excluſum antea mole montium Oceanum, ad quae nunc inundat, admiſſum.* cf. & Plinius prooem. L. III. De Calpe urbe memorata Straboni L. III. p 140. jam exemtus eſt ſcrupulus eruditis, ex quo nummus innoteſcere coepit inſcriptus C. I. CALPE. cf. Spanhemius de P. & V. N. Apud Nicolaum Damaſcenum in lib. de inſtitutione Auguſti nominatur Καλπία. O.

## Ciminus

De lacu Ciminio actum eſt ſupra p. 250. Silvam & montem deſcribit potiſſimum Livius L. IX. c. 36. in Hetruria ultra Sutrium. *Erat autem ſilva*, ſic ille, *Ciminia magis tum invia atque horrenda, quam nuper fuere Germanici ſaltus; nulli ad eam diem ne mercatorum quidem adita, eam intrare haud fere quiſquam praeter ducem ipſum audebat.* Dux ille fuit Q. Fabius Maximus, qui per iſtum ſaltum uſque ad Camerteis Umbros penetraſſe ſcribitur. Qua de re quoque conſulendus Frontinus Strateg. L. I. c. 2. In hac expeditione, teſte Livio, *poſtero die luce prima juga Cimini montis tenebat. inde contemplatus opulenta Etruriae arva, milites emittit.* Quaeritur, quiſnam ille mons ſit hodie. Nullum ibi montium jugum eſſe, Cluverius Ital. ant. L. II. c. 3. praedicat, niſi quod admodum excelſum ac longe lateque conſpicuum, vulgo nunc a proxima urbe cognominatur *monte di Viterbo*, ultra quod verſus ſeptentriones lati ſternuntur campi. cf. & Brietius in parallel. P. II. p. 576. Ciminiae ſilvae meminit quoque Plinius L. II. c. 98. montem cum lacu jungit Virgilius Aeneid. L. VII. v. 697.

*Et Cimini cum monte lacum lucoſque Capenos.*

Omnis is tractus hodie in patrimonio S. Petri conſpicitur. O.

## Corycos

Philargyrius ad Virgilium Georg. L. IV. v. 127. *Corycium*) *Cilicium, a monte & civitate Ciliciae Coryco.*

*Crocum*) Martialis L. III. ep. 65.

*Quod de Corycio quae venit aura croco.*

HESSEL.

*Corycus*) urbs fuit Ciliciae; mons & promontorium Ciliciae, Joniae, Cretae; Joniae quoque portus & Aethiopiae; tandem littus Lyciae. *Corycium* antrum habuit &, Cilicia & Boeotia. Nobis heic de Coryco Ciliciae ejuſque Corycio antro agendum. De reliquis conſules Ortelium. Strabo L.

XIV. p. 670. Κώρυκος ἄκρα, ὑπὲρ ἧς ἐν εἴκοσι σταδίοις ἐστὶ τὸ Κωρύκιον ἄντρον, ἐν ᾧ ἡ ἀείση κρόκος φύεται· ἔστι δὲ κοιλὰς μεγάλη κυκλοτερὴς, ἔχουσα περικειμένην ὀφρὺν πετρώδη, παντοχόθεν ἱκανῶς ὑψηλὴν, καταβάντι δ' εἰς αὐτὴν ἀνώμαλόν ἐστιν ἔδαφος καὶ τὸ πολὺ πιλῶδες· μεσόν δὲ τῆς σταμνώδους ὕλης ἀειθαλοῦς τε καὶ ἡμέρου, παρίσπαρται δὲ καὶ τὰ ἐδάφη τὰ φέροντα τὸν κρόκον. Habes hic promontorium Ciliciae, ſitum antri Corycii, ejus formam & ſtructuram internam & tandem croci proventum. Ex laudata indole antri nunc intelliges, quid ſibi velit Cebes in tabula, ubi virtute praeditum in tuto eſſe & amoeno loco praedicat, non ſecus ac in Corycio antro. παντοχοῦ γὰρ ἐστιν αὐτῷ ἀσφάλεια, inquit, ὥσπερ τὸ κωρύκιον ἄντρον ἔχουσι. Fuſius ejus antri amoenitatem pingit Mela, quem audiſſe operae pretium fuerit, L. I. cap. 13. *Non longe hinc Corycos oppidum, portu ſaloque incingitur, anguſto tergore continenti annexum. Supra ſpecus eſt, nomine Corycius, ſingulari ingenio ac ſupra quam deſcribi facile ſit eximius. Grandi namque hiatu patens, montem litori appoſitum, & decem ſtadiorum cliuo ſatis arduum ex ſummo ſtatim vertice aperit. Tunc alte demiſſus, & quantum demittitur amplior, viret lucis pendentibus undique, & totum ſe nemoroſo laterum orbe complectitur: adeo mirificus ac pulcher, ut mentes accedentium primo adſpectu conſternat; ubi contemplati duravere, non ſatiet. Unus in eum deſcenſus eſt, anguſtus, aſper, quingentorum & mille paſſuum, per amoenas umbras & opaca ſilvae quiddam agreſte reſonantis, rivis hinc atque illinc fluitantibus. Ubi ad ima perventum eſt, rurſum ſpecus alter aperitur ob alia dicendus. Terret ingredientes ſonitu cymbalorum divinitus & magno fragore crepitantium. Deinde aliquandiu perſpicuus, mox & quo magis ſubitur obſcurior, ducit auſos penitus, alteque quaſi cuniculo admittit. Ibi ingens amnis ingenti fronte ſe extollens, tantummodo ſe oſtendit, & ubi magnum impetum brevi alveo traxit, iterum demerſus abſconditur. Intra ſpatium eſt, magis quam ut progredi quiſpiam auſit horribile, & ideo incognitum. Totus autem auguſtus & vere ſacer, habitarique a Diis & dignus & creditus, nihil*

*non venerabile & quaſi cum aliquo numine ſe oſtentat.* Corycii antri jucunditas aliud longe gratiſſimum in memoriam mihi revocat, quod ſuperiori anno duce cel. Piſtonio Maſſilienſi, viro in indagandis naturae rebus longe verſatiſſimo & ſolertiſſimo, haud procul Maſſilia inviſi. Rolandi antrum loquor, ad quod per LXXVII. hexapodarum ſpatium aſcendendum eſt. Ubi per anguſtum foramen intraveris, CXV. hexapodas longa ſeſe ſpecus aperit, in qua undique diverſiſſimae formae corpora ex decidentibus guttis coagulata relucent. Per C pedum ſpatium quum deſcenderis, duae columnae adſtant, quas ſtalactico opere ſedula natura excitavit. De nemore Corycio praeter laudatos conferri merentur Curtius L. III. c. 4. Solinus c. 38. Nonnus Dionyſiac. L. I. v. 258. Apollodorus in Bibliotheca L. I. c. 6. Urbis & portus appoſiti meminit Plinius L. V. c. 27. *Juxtaque mare Corycos eodem nomine oppidum & portus & ſpecus.* Ad iſtud ſpectant numni ΚΩΡΥΚΙΩΤΩΝ apud Golzium. Item in nummis ſel. in aere maximi moduli e muſeo Franc. de Camps occurrit percuſus ſub Valeriano ΚΟ.ΡΥΚΙΩ.ΤΩΝ ΑΣΥ (λων) ΝΑΥΑΡΧΙC, qui egregie & urbis & portus praeſtantiam declarat, & ad ludos Proſerpinae & cultum Bacchi a vicina forſan Nyſa acceptum reſpicit. Ad eandem pertinet urbem in concilio Conſtantinop. I. Germanus Corycenſis ex provincia Ciliciae. In tab. Theodoſiana legitur *Corioco.* Hodie *Coruch* dici aſſerunt. D'Anvillius habet *Curco.* O.

## Caſtaliae

De Caſtalio fonte actum eſt p. 225. Montem adfuiſſe, ex loco Virgilii videtur intellexiſſe Vibius, Georg. L. III. v. 293. *juvat ire jugis* &c. quem locum ſupra dedimus. Ex Vibio accepit Boccacius: *Caſtalius mons in Delphis, muſis ſacer.* Antiquior Vibio ſcriptor, ſive Romanus ſive Graecus, qui Caſtalium montem diſerte commemoret, nemo ſuccurrit. Lucianus forſan in contemplantibus ſive Charonte, ubi de montibus ſermo, quos ſtruſtra ipſe cum Mer-

curio ad altiorem ſibi ſedem parandam ſede moverit, huc trahi poſſet, judice Ortelio. Ita enim ille: οἶσθα, ὦ Ἑρμῆ, ὡς οὐδὲν ἡμῖν πέπρακται, ἀλλὰ μάτην τὸν Παρνασσὸν αὐτῇ Κασταλίᾳ, καὶ τὴν Ὄιτην καὶ τὰ ἄλλα ὄρη μητεκινήσαμεν. Verum, quum ad radices Parnaſſi fons manaret Caſtalius, potius Lucianus ita interpretandus eſt, ut Parnaſſum una cum Caſtalio fonte translatum dicat. O.

## Dictaeus

Servius ad Virgilii eclog. VI. v. 56.

- - - *claudite, Nymphae*
*Dictaeae, nymphae, nemorum jam claudite ſaltus.*

*Dictaeae*) *Dictis mons in Creta, in quo Paſiphae amaſſe taurum dicitur.* cf. & ad Georg. L. II. v. 536. & ad Aen. L. III. v. 171. Item Scholiaſtes Apollonii Rhodii ad L. I. v. 1130. Δικταῖον) Τὸ Κρητικὸν σπήλαιον. Δίκτη γὰρ ὄρος Κρήτης. Sic & Schol. Callimachi ad hymn. in Jov. v. 4. Caeterum *Dictaeus*, recte: nam Graece Δικταῖον ὄρος. quo ſuper eſt operae Ezech. Spanhemium videre ad Callimachi hymnum in Dian. v. 199. HESSEL. De Dicte monte, ab Ida mille ſtadia diſtante, videndus maxime Strabo, L. X. p. 479. ubi reprehendit Callimachum, quod Britomartyn Minois vim fugientem deſiluiſſe in retia (δίκτυα) piſcatorum ſcribit, indeque Dictynnam appellatam; montem autem Dictaeum. Locus is Callimachi mox eſt ab Heſſelio citatus ex hymno in Dianam.

Μέσφ' ὅτε, μαρπτομένη καὶ δὴ σχεδὸν, ἥλατο τόπον
Πρηόνος ἐξ ὑπάτοιο, καὶ ἔνθορεν εἰς ἁλιήων
Δίκτυα, τά σφ' ἐσάωσεν· ὅθεν μετέπειτα Κυδῶνες
Νύμφαν μὲν Δίκτυνναν, ὄρος δ', ὅθεν ἥλατο Νύμφη,
Δικταῖον καλέουσιν. - - -

Rationem affert Strabo, quod monti Dictaeo neutiquam Cydonia fuerit vicina. Rejicit fabellam eandem Diodorus Sic. L. V. c. 76. & *Dictynnam* inde dictam pronunciat, quod δίκτυα repererit, eandemque a nonnullis cum Diana eſſe

habitam. Neque hujus rei documenta anxie conquirenda ſunt. Pauſanias certe L. III. c. 24. in Laconica ad mare in promontorio aedem Dianae Dictynnae locat, ſimileque in Phocide, L. X. cap. 36. *Dictynaeum* montem in Creta recenſet Plinius L. IV. c. 12. diſtinguendum a *Dictaeo;* hic enim verſus ortum inſulae fuit, iſte ad occaſum, teſte Dicaearcho

Ὄρος τι Δικτύναιον ἐπὶ δυσμὰς φέρον.

Prope id promontorium Dictynna oppidum fuit. v. Mela L. II. c. 7. cujus abſque dubio eſt nummus, quem ſuo more ſtolide prorſus & petulanter ad Plinii l. c. corrumpit Harduinus. In Trajani Caeſ. honorem cuſus inſcriptus eſt ſupra ΔΙΚΤΥΝΝΑ, infra ΚΡΗΤ. ubi legendum praecipit;

Διὶ Καίσαρ Τραιανὸς ὑπέταξε Νομάδας Ἀραβίας

& poſtea Κράτισος Ῥωμαίων Ἡγεμὼν Τραιανός.

Sed a nugis ad ſeria. Ut Dictynnaeus mons Dianae Dictynnae, ſic Dictaeus Jovi ſacer fuit, in ejus antro ab Amalthea Nympha nutrito; quae res ſcite profecto in marmore quodam eximio, quo aedes Juſtinianae ſuperbiunt Romae, anaglypho opere expreſſa cernitur. Eam tabulam admirandis Romanarum antiquitatum veſtigiis inſeruit ſuo jure Bartolus. Declarandae permulta veterum loca itemque alia monumenta inſerviunt. Ovidius faſtor. L. V. v. 115.

*Naïs Amalthea Cretaea nobilis Ida*
*Dicitur in ſilvis occuluiſſe Jovem.*
*Huic fuit haedorum mater formoſa duorum*
*Inter Dictaeos conſpicienda greges;*
*Cornibus aëriis, atque in ſua terga recurvis:*
*Ubere, quod nutrix poſſet habere Jovis.*
*Lac dabat illa Deo; ſed fregit in arbore cornu:*
*Truncaque dimidia parte decoris erat.*
*Suſtulit hoc Nymphe, cinctumque recentibus herbis,*
*Et plenum pomis ad Jovis ora tulit.*

Diceres, in hunc Ovidii locum oculos intendiſſe artificem. Intelligimus, cur adeo frequenter *Dictaeus Rex* audiat Ju-

piter, cui nutriendo apes quoque advocat Virgilius Georg. L. IV. v. 151.

- - - - - *apes*
*Curetum ſonitus crepitantiaque aera ſecutae*
*Dictaeo coeli regem pavere ſub antro.*

Curetes & Corybantes nummus quoque ſiſtit, quem ubi viderim, jam non ſuccurrit. Dicte hodie ab aliis *Labyrinto* ab aliis *Laſthi* item *Sethie* dici perhibetur. v. Ortelius. O.

## Dodona

Ex MS. adſeritur obſervatio Fratris in Exercitat. de Dodone „ Nempe a variis ſcriptoribus ille locus varie appel„ latus eſt, Dodona, Dodon & Dodo, per apocopen. v. Dodone nemus. GRONOV. De Dodonaeo nemore, luco & oraculo ſupra pag. 267. Epiro attribuit Dodonen noſter, recte. De provincia Epiri ſi quaeras, Theſprotiae vindicat Pauſanias in Atticis c. 17. Moloſſidi Plinius L. IV. c. 1. item Stephanus Byz. aliique: ſic & Perrhaebis Homerus L. II. in enum. nav. v. 256. Scilicet teſte Strabone L. VII. p. 227. ἡ Δωδώνη τὸ μὲν παλαιὸν ὑπὸ Θεσπρωτοῖς ἦν . . . ᾗ δὲ Τραγικοὶ καὶ Πίνδαρος Θεσπρωτίδα εἰρήκασι τὴν Δωδώνην· ὕστερον δὲ ὑπὸ Μολοττῶν ἐλέγετο. Chaoniae quum heic noſter dicit Dodonen, aperte Virgilii συνεκδοχὴν recipit, qui Ecloga IX. v. 11.

*Audieras & fama fuit; ſed carmina tantum*
*Noſtra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum*
*Chaonias dicunt, aquila veniente, columbas.*

ubi Servius: *Chaonias dicit Epiroticas; nam in Epiro dicitur nemus fuiſſe, in quo reſponſa dabant columbae: quod ideo fingitur, quia lingua Theſſala Peliades & columbae & vaticinatrices vocantur.* Sed hac de re ſupra quantum ſatis p. c. Chaonia & Theſprotia fuere conterminae, Epiri regiones ambae. Hinc tropus apud Virgilium. O.

## Dindyma

Virgilius Aen. L. IX. v. 617.

*O vere Phrygiae (neque enim Phryges) ite per alta*
*Dindyma, ubi aſſuetis biforem dat tibia cantum.*

Statius Theb. L. XII. v. 224.

*Nocte velut Phrygia cum lamentata reſultant*
*Dindyma, pinigeri rapitur Simoentis ad amnem*
*Dux veſana chori. - - - -*

& ad hunc Lutatius ita: *Sacra matris nocte Phrygibus colebantur in monte Dindymo, in quibus ſe Galli abſcindere conſueverant. Quod genus ſacrificii ſtrictim Virgilius tetigit; Ite per alta Dindyma.* cf. porro ſcholiaſtes Apollon. Rhodii ad L. I. v. 985. Δίνδυμον δὲ ὄρος Κυζίκῳ ἱερὸν τῆς Ῥέας διὰ τὸ διδύμους μαστοὺς ἐν αὐλῷ ἀνήκειν, ὥς φησι Φιλοστέφανος, ὅτε προσαγορευθεῖν· σύμπασα δὲ ἡ Φρυγία ἱερὰ τῇ Θεῷ. HESSEL.

Plinius L. V. c. 32. *Ultra inſula, quam continenti junxit Alexander, in qua oppidum Mileſiorum Cyzicum, antea vocitatum Arconneſos & Dolionis & Dindymis, cujus a vertice mons Dindymus.* Strabo L. XII. p. 567. ἔστι δὲ καὶ ὄρος ὑπερκείμενον τῆς πόλεως τὸ Δίνδυμον, ἀφ' οὗ ἡ Δινδυμηνὴ, καθάπερ ἀπὸ τῶν Κυβέλων ἡ Κυβέλη. GRONOV. Ad diverſos Dindymos montes ſpectant loca ab Heſſelio & Gronovio producta; haec ad Myſicum, iſta ad Phrygicum. Uterque autem magnae Deum matri ſacer erat. De Myſiae Dindymo Strabo L. cit. p. 575. ubi Cyzicum deſcribit, haec adjicit: ὑπέρκειται δ' ἄλλο Δίνδυμον μονοφυὲς, ἱερὸν ἔχον τῆς Δινδυμένης μητρὸς τῶν Θεῶν, ἵδρυμα τῶν Ἀργοναυτῶν. Ubi Caſaubonus notat, μονοφυὲς dici ὄρος five uno cacumine conſtare montem, ut ſic refellat eorum ſententiam, qui Dindymon ita appellatum tradidere, quod in duo cacumina eſſet ſciſſus, ut ſcholiaſtes Apollonii quoque tradit. Vibio de Dindymo Phrygiae hic ſermo. Quaeritur, majori an minori. Cellarius N. O. A. L. III. c. 4. quaevis montana atque colles, quibus Rhea colebatur, quorum per Phrygiam fuerunt plurima, Dindyma fuiſſe in univerſum appellata cenſet; proprie ta-

men non ad majorem Phrygiam ſpectaſſe Dindymum, ſed ad eam Phrygiae partem, quae in Gallo-Graecia poſtmodum cenſa fuit prope Peſſinuntem. Ptolemaeus Δ. ὄρους montis juga longe a Trojanis finibus per Phrygiam in Gallo-Graeciam uſque deducit. L. V. c. 2. & 4. Nominis originem a gemino partu Aurorae dat Nonnus in Dionyſ. L. XLVIII. v. 853.

Διπλόος, αὐτοκίλευστον ἐμαιώθη τόκος Ἠοῦς
Λυομένης ὠδῖνος, ὅθεν διδύμων ἀπὸ παίδων
Δίδυμον ὑψικάρηνον ὄρος κικλήσκετο Ῥείης.

Didymos montes praeterea Ptolemaeus L. VI. c. 7. in Arabia felici recenſet & ex Heſiodo Strabo L. XIV. p. 647. in Theſſalia. Didymos autem eoſdem cum Dindymis eſſe montibus, ex eo patet, quod & in iſtis Theſſalicis Dindymenes matris Deum templum ſtructum eſſe aſſerit idem. Sunt & Didymae urbes & inſulae, priſcis memoratae. cf. Ortelius. O.

## Eryx

Servius ad Virgilii L. V. v. 759. *Eryx mons Siciliae ſupra Drepanum, ubi fuit templum Veneris Erycinae.* HESSEL.

Hodie & urbs & mons *S. Juliano* dicati, cujus & nomen geſtant. Dicitur & *Trapani* ab antiquo Drepano promontorio. Erycem Veneri fuiſſe ſacrum, vel ex iſto Horatii notum L. I. ode 2. v. 33.

*Sive tu mavis, Erycina ridens,*
*Quam jocus circumvolat & Cupido,*

Quem locum reſpexit artifex, cujus gemmam dat Gorlaeus Dactyliothecae P. II. n. 531. Templum ejus Deae & montem, in quo ſtructum fuit, deſcribit Polybius L. I. c. 55. ὁ δὲ Ἔρυξ ἐστὶ μὲν ὄρος πρὸς θαλάτταν τῆς Σικελίας . . . . μεταξὺ Δρεπάνων καὶ Πανόρμου· μᾶλλον δ' ὀχυρὸν καὶ συνάπτον πρὸς τὰ Δρέπανα· μεγέθει δὲ πολὺ διαφέρον τῶν κατὰ τὴν Σικελίαν ὀρῶν, πλὴν τῆς Αἴτνης· Τέτευκε δ' ἐπ' αὐτῆς μὲν τῆς κορυφῆς ἄστυ ἐπιπέδου, κεῖται δὲ τὸ τῆς Ἀφροδίτης τῆς Ἐρυκίνης ἱερὸν,

ὄτιρ ὁμολογυμένως ἐπιφανέστατόν ἐστι τῷ τε πλούτῳ καὶ τῇ λοιπῇ προσασίᾳ τῶν κατὰ τὴν Σικελίαν ἱδρυμένων. Ἡ δὲ πόλις ὑπ' αὐτὴν τὴν κορυφὴν τέτακται. In nummo C. Conſidii Noniani, quem & inter conſulares exhibet Vaillantius T. I. tab. 45. putat Spanhemius, hinc Veneris Erycinae caput, myrto inſignitum ſpectari, inde templum ipſius Siculum, in vertice montis poſitum, quale deſcribit Polybius. Urſinus contra ad id templum ejuſdem Deae, nam cultum ejus adoptarunt Romani, quod prope portam Latinam Romae extitit, referendum perhibet. Secedit ab utroque Vaillantius & aedes ejus in Capitolio poſitas, quaſque Q. Fabius Max. Dictator voverat, ſpectare ſibi videtur in numiſmate. Proſpiciuntur enim monti impoſitae & infra adſunt muri cum porta, qua ad Capitolium aſcendebatur. Ad Siculum Erycinum templum ut redeam, de ejus auctore & fundatore non convenit inter veteres. Aeneam conditorem vulgo faciunt Erycis, uterinum fratrem. Inter alios Virgilius Aen. L. V. v. 759. de Aenea ſic:

*Tum vicina aſtris Erycino in vertice ſedes*
*Fundatur Veneri Idaliae - - -*

plura dabit Cluverius Sic. ant. L. II. c. 1. De hodierno ſtatu montis conſulendus Fazellus, qui Decad. I. L. VII. c. 3. „ Mons hic ſolus ſine alterius cujuſquam montis conſortio „ perſtans, maris fluctibus, qua Italiam ſpectat, adluitur, „ atque altitudine, excepto Aetna & Nebrode, omneis Si„ ciliae monteis ſuperat. - - - In ejus vertice planities eſt; „ ubi olim Veneris templum erat, & paullo infra urbs „ ejuſdem nominis adhuc eſt - - - Steterat autem templum „ olim in ipſo monte; ubi arx eſt hodie vaſta & ingens „ & in rupe mire excelſa & praecipiti - - - - in qua nul„ lum quidem ſacrae aedis veſtigium in ſuperficie adparet; „ ſolum duntaxat arcis excavatum plureis & eos maximos „ ſubter prodit lapides. Quin & foſſores in diverſi colo„ ris lapillulis teſſellatum inciderint pavimentum, quod „ Erycini templi monumentum eſſe non ambigimus. O.

Eryman-

## Erymanthus

Servius ad Virgilium Aen. L. VI. v. 803.

*Fixerit aeripedem cervam licet, aut Erymanthi*
*Placarit nemora & Lernam tremefecerit arcu.*

*Erymanthus mons Arcadiae, ubi aper ferociſſimus fuit.* & Lutatius ad Statii Theb. L. IV. v. 298. *Erymanthus mons eſt & ſilva, eodem ſignata vocabulo, in Arcadiae finibus conſtituta.* cf. & ad L. V. v. 665. vid. & Seneca Herc. fur. v. 228. HESSEL. Ab Erymantho nomen quoque habet Calliſto a Junone in urſam verſa, quod ſcilicet

*Urſa per incultos errabat ſquallida montes.*

ut refert Ovidius faſt. L. II. v. 181. Fuſius fabellam eo ſpectantem enarrat idem metam. L. II. v. 422. ſeq. ubi v. 499. *ſilvas Erymanthidas* commemorat. Eidem Bootes L. I. triſt. eleg. IV. 1. vocatur,

\- - - *cuſtos Erymanthidos urſae.*

Prope montem Erymanthum fuit & urbs eo nomine, teſte Pauſania in Arcadicis c. 24. poſtmodum dicta *Phegia*, itemque *Pſophis* . . . Praeterfluit porro eam Erymanthus fluvius, qui in *Lampea* monte habebat fontes ſuos. At Lampea forſan pars Erymanthi montis erat, ut Pauſanias addit. Notiſſima ſunt ea, quae de Erymanthio apro ab Hercule, Eurýſthei juſſu, confecto narrant antiqui. O.

## Eſquilinus

Varro de LL. L. IV. c. 8. *Secundae regionis Eſquilinae ab Eſquiliis. alii has ſcripſerunt ab excubiis regis dictas; alii ab eo, quod excultae a rege Tullio eſſent. Huic origini magis concinunt luci vicini, quod ibi lucus fagutalis & lucus Mephitis & lucus Junonis Lucinae, quorum anguſti fines . . Eſquiliae duo montes habiti . . .* De Servio Tullio v. Livius L. I. c. 44. Pro Eſquilino colle *collis Eſquiliarum* vel, ut vetuſti libri habent, *Eſquiliarius* dicitur eidem c. 48. Nota & Eſquilina porta, item tribus inter τοπικὰς eo nomine dicta. O.

## Eridanus

Cave, hunc articulum expunxeris. Inter ignota aliis Geographis nomina, quae Dyrrachii viciniam reſpiciunt, jam nonnulla ſat veroſimili ratione a ſuſpicione erroris liberavimus. v. *Icanus*, *Boreas*. Eridanum hunc noſtrum nemo novit uſquam. Habet tamen Ravennas anonymus L. V. c. 14. inter loca *Durachio* propinqua vel Illyricae orae civitatem *Rider*, cui aliqua eſt cum Eridani montis, ad quem fuit forſan appoſita, nominis affinitas. Sed hoc non ſat manifeſtum. Contra hodieque promontorium, quod a Dyrrachio ſecundum eſt verſus Boream, nomen habet *Capo Rodoni*. Hoc certe *Eridano* reſpondere videtur. Eſtque id eo mirum magis, quod ad pedes ejus montis in mare effluit amnis *Icanus* Vibii vel *Iſamnus*, quem eundem eſſe cum hodierno *Hiſmo* conjectavimus ſupra pag. 135. D'Anvillii tabula primum ab Dyrrachio promontorium locat Nymphaeum, nunc *Capo Palo*; tum ſequitur Ululeus fluvius, de quo pag. 214, nunc *Argentea*; porro promontorium, cui in antiqua tabula nullum nomen appictum, at in recentiori id ipſum *Capo Rodoni*, quo *Eridani* nomen ſervatum eſſe confido; modo id apud Vibium recte ſit ſcriptum. Quum enim hic ſolus ſibi ſit relictus, facile error quidam irrepſiſſe putari poteſt. Quid, ſi nomen fuerit olim *Erodanus* vel *Erodonus* vel ſimile quoddam? Poſt id *Capo Rodoni* tandem ſpectatur *Icanus* fluvius, de quo pag. 214. vel *Iſamnus*, hodie *Hiſmo*. O.

## Gargarus

Homerus Il. VIII. v. 47. de Jove

Ἶδην δ' ἵκανεν πολυπίδακα, μητέρα θηρῶν,
Γάργαρον, ἔνθα δέ οἱ τέμενος βωμός τε θυήεις.

cf. & XIV. v. 292. Ovidius epiſt. Heroïd XVI. v. 107.

*Ardua proceris ſpoliantur Gargara ſilvis,*
*Innumeraſque mihi longa dat Ida trabes.*

Seneca Phoen. v. 608.

*Hinc grata Cereri Gargara, & dives ſolum,*
*Quod Xanthus ambit nivibus Idaeis tumens.*

cf. Schol. ad Homeri I. c. Τρία δὲ τὰ πάλαι ἀκρωτήρια τῆς Ἴδης, Ἀσκίδη, Γάργαρον, Φαλάκρη. Lutatius ad Statii Theb. L. I. v. 549. dicit *Gargara dici quaſi capitis caput*; κάρη enim *Graece caput eſt.* cf. Servius ad Virgilii Georg. L. I. v. 103. HESSEL. De tribus Idae cacuminibus accuratiſſime & copioſiſſime egit Hemſterhuſius ad Lucianum T. I. SCHNEIDER. Hodieque *Gargara* nomen obtinet. Tribus iſtis promontoriis quartum addit Iſaac. Tzetzes ad Lycophronem. Oppidum quoque *Gargara* in Myſia ex Philea vetere ſcriptore notat Macrobius, qui ex profeſſo illuſtrandum ſibi ſumſit Virgilium, Georg. L. I. v. 102.

*- - - nullo tantum ſe Myſia cultu*
*Jactat & ipſa ſuos mirantur Gargara meſſes.*

Meminit iſtius urbis quoque Mela L. I. c. 18. item tabula Theodoſiana ſegm. VIII. Alia praeter iſtud oppida eodem nomine gaviſa, docet Stephanus Byz. prope Lampſacum, item in Epiro, demum in Italia. Troadis urbem Παλαιγάργαρον vocatam perhibet. Eam Aeolicam ſalutat Strabo L. XIII. p. 583. Caeterum & Gargarenſes in radicibus Caucaſiorum montium habet idem L. XI. p. 504. & Gargaridas Dionyſius perieg. v. 1144. in India. O.

## Gaurus

Lutatius ad Statii Theb. L. VIII. v. 544.

*Sic ulmus vitiſque duplex jactura coloni*
*Gaurano de monte cadunt - - -*

*Gaurus mons Campaniae ulmis vitibuſque contextus.* HESSEL.

„ Gaurus mons medio itinere inter Puteolos atque Lu-
„ crinum lacum celſo vertice paullum a mari remotus eſt. „ cf. Cluverius Ital. ant. L. IV. cap. 2. qui male ab aliis in Maſſico poſitum diſputat ad Lirim amnem & Sinueſſam oppidum, ejuſque erroris fontem apud Livium, Cicerone

& Florum eſſe perhibet. Verum ſitum ex poetis maxime oſtendit, in quibus Sidonius Apollin. in panegyr. v. 949.

*Et ſe Lucrinas qua vergit Gaurus in undas*

& Lucanus L. II. v. 667.

*- - vel ſi convulſo vertice Gaurus*
*Decidat in fundum penitus ſtagnantis Averni.*

item Plinius L. XIV. c. 6. *certant Maſſica aeque ex monte Gaurano, Puteolos Bajaſque proſpectantia.* Jul. Caeſ. Capaccium in antiquit. Puteolanis ſi audianus, c. 22. tres montes in Campaniae finibus Gauri nomine appellantur, primus prope Maſſicum & Minturnas; hunc a Cicerone de lege agraria intelligi tradit: alterum circa Nuceriam & Surrentum, de quo Silius L. VIII. v. 533.

*Illic Nuceria & Gaurus navalibus aptus.*

tertius vicinus Averno & Lucrino. Verum Cellarius N. O. A. L. II. cap. 9. ſect. 4. disjungere non vult. Credit „ jugo montes longe continuari & ſic maxime circa Aver„ num & Puteolos Gaurum dici, vitiferum in imis, ut vel „ aliis locis, vel ſaltem in ſummitate, pinifer, aptus navali„ bus fuerit. „ In refutanda Capacii ſententia multus eſt Camillus Peregrinus in Campania felice Diſſ. II. c. 17. ubi oſtendit, non alium fuiſſe Gaurum montem, quam qui hodie, forſitan a Saracenorum nomine, *monte Barbaro* ſalutetur, cujus ſitum quoque ipſe in tabula topographica prope Puteolos indicat. Pugnat ſimul acriter contra eos, qui Gaurum transtulerunt in Maſſicum. De fertilitate Gauri dubitarunt nonnulli ex eo, quod Juvenali Sat. IX. v. 57. *Gaurus inanis* appellatur. Quod quidem ita interpretati ſunt, ut omni arbore ſpoliatum dicerent. Obſtant, quae ſupra ex Statio adduximus. Obſtant, quae Plinius ſcribit L. III. c. 5. *Hinc felix illa Campania eſt. Ab hoc ſinu incipiunt vitiferi colles & temulentia nobilis ſucco, per omneis terras inclyto & ſummum Liberi Patris cum Cerere certamen. Hinc Setini & Caecubi obtenduntur agri. His junguntur Falerni, Caleni, dein conſurgunt Maſſici, Gaurani Surrentinique montes.* Et Florus L. I. c. 16. *Heic amicti vitibus montes, Gaurus, Faler-*

*nus, Maſſicus & pulcherrimus omnium Veſuvius.* Itaque *inanem Gaurum* appellatum putat Cam. Peregrinus, quod cavus eſſet. „ Habet enim cavernam unam ſatis patentem „ oculis & grandem, forma ſimillima ac veterum fuiſſe „ amphitheatrorum obſervare eſt. Profunditas ejus altitudinem ipſius montis aequat, ipſaque caverna ſuperne in „ planum aperitur agrum multorumque jugerum, mirabili „ praedium fertilitate, quem loci accolae vulgo appellant „ *Campiglione.* Deſcenſus in eam cavernam non datur, niſi per „ unum ſolummodo aditum, quem multo cum labore fuiſſe „ apertum quondam apparet. „ Denique nominis originem ſi quis quaerat, ex Oriente petendam jubet D'Hancarville in praef ad vaſa Etruſca muſei Hamiltonii T. I. p. 64. ex גבר ſcilicet *montem principem* nuncupatum autumat. O.

## Helicon

Propertius L. III. eleg. V. v. 19.

*Me juvat in prima coluiſſe Helicone juventa,*
*Muſarumque choris implicuiſſe manus.*

cf. & Eleg. III. v. 41.

*Aoniae*) Aonia eſt Boeotia. Servius ad Virgilii ecl. VI. v. 64. *Helicon mons eſt Boeotiae, quae & Aonia dicitur.* Idem ad Georg. L. III. verſ. 11. *Aonio vertice*) *Boeotio. Eliconia* (legito *Aonia*) *ipſa eſt Boeotia, in qua eſt Elicon* (*Helicon* legito) *mons Muſis dicatus.* & Philargyrius; *Aonio*) *Boeotio, quod ibi primi Aones fuerunt. Muſas*) *Helicon mons eſt Muſis dicatus.* Caeterum poterat Vibius ita ſcripſiſſe, quemadmodum ſcripſit Porphyrion ad Horat. L. I. od. 12. verſ. 5. *Helicon autem mons Boeotiae Muſis ſacer.* HESSEL. Scripſiſſe Vibium, *Helicon autem mons Boeotiae Muſis ſacer*, non mihi vero videtur ſimile. Nuſquam enim per omnem libellum ſuum hac particula ad conjungendos articulos utitur; dein, unde ſuum *Aoniae Boeotiaeque* hauſerit, manifeſtum eſt. Solet Servium, Lutatium, alioſque Poëtarum explanatores exſcribere. De Helicone jam aliquoties nobis dictum. Fuit mons & fluvius eodem nomine. Fluvii mentio

apud Pauſaniam in Boeoticis cap. 30. Ῥεῖ δὲ ſcilicet prope Dium Pieriae Macedonum ἡ ποταμὸς Ἑλικὼν ἄχρι σταδίων ἑβδομήκοντα πέντε. προελθόντι δὲ τὸ ῥεῦμα ἀφανίζεται τὸ ἀπὸ τούτου κατὰ τῆς γῆς· διαλείπον δὲ μάλιστα δύο ἢ εἴκοσι στάδια, ἄνεισι τὸ ὕδωρ αὖθις ἡ ὄνομα Βαφύρας ἀντὶ Ἑλικῶνος λαβὼν, κάτεισιν ἐς θάλασσαν ναυσίπορον. Inſignem Boeotiae montem alterum eſſe Heliconem, alterum Cithaeronem, diſerte Dicaearchus refert in ſtatu Graeciae v. 83.

\- - - - κ' ἐστὶ δύο
Ἐπίσημ' ὄρη· τὸ μὲν Ἑλικὼν καλούμενον,
Ἕτερον Κιθαιρών. - - - -

Nomina ſortitos a duobus fratribus in eos montes verſis, Plutarchus tradit de fluviis, in *Iſmeno*. Iſtorum alterum Cithaeronem impietate Furiarum evaſiſſe clarum, quod is ſaevis antea moribus fuiſſet, patriſque caede manus polluiſſet & cum fratrem ex inſidiis daret praecipitem, cum eo ipſe decidiſſet; alterum Heliconem ob humanitatem, qua dum viveret, fuiſſet conſpicuus, Muſarum evaſiſſe ſacrarium atque domicilium. Omnium optime Heliconis memorabilia exponit Pauſanias in Boeot. c. 29. ubi oſtendit, primos in eo Muſis feciſſe ſacra & eum conſecraſſe Ephialten & Otum, qui & Aſcram ad ejus radices condiderint. Porro in Helicone, qua iter eſt ad Muſarum lucum, fontem manaſſe Aganippen docet, de quo ſupra pag. 21 & 218. iſtum montem circumfundi Termeſſo fluvio, vel Permeſſo, ut & ſalutatur noſtro pag. 15. cf. pag. 161. Dein ſtatuas, quibus ornatus fuerit Helicon, recenſet: Euphemes, Lini, Muſarum, Apollinis & Mercurii de lyra inter ſe certantium, Bacchi, Arionis Delphini inſidentis, Heſiodi citharam genibus ſuſtinentis, & ſic porro, c. 31. lucum deſcribit & ſupra lucum fontem Hippocrenen, cujus mentio facta eſt ſupra pag. 21. & p. 231. Aoniam dictam fuiſſe Boeotiae partem & συνεκδοχικῶς omnem Boeotiam, teſtatur eodem libro Pauſanias cap. 5. Ἀονίας Βοιώτια (ἐμοὶ δοκεῖν) γένη, ἡ οὐκ ἐπηλύδων ἀνθρώπων. Strabo quoque, qui & ipſe de Helicone videndus L. IX. pag. 409. Aones tenuiſſe olim

Boeotiam ſcribit L. c. p. 401. & L. VII. p. 321. ſed Barbaros fuiſſe addit, non indigenas. Quicquid ſit, Aonia haud raro pro Boeotia accepta, teſte Stephano Byz. in Βοιωτία. O.

## Hyperborei

*Thraciae*) Simlerus *Scythiae*. In Sarmatia autem vulgari opinione montes ſunt Hyperborei. Boccacius ſic: *Iperborei montes ſunt Scythiae in Aſiatico oceani littore ſub ipſo cardine ſiderum, hyperborei dicti eo, quod ultra eos flat Boreas.* HESSEL. Non eſt, quod hunc locum mendi ſuſpicentur docti; quod jamdudum geographorum principi Cluverio obſervatum. Graecos enim imitatus eſt Vibius, qui Thraciam ſaepe pro Scythia uſurparunt; Steph. Byzant. Σκύθαι, ἔθνος Θρᾴκιον. Moleſtiam ſaepe doctis haec confuſio, non animadverſa, peperit: unde & haeſerunt interpretes in interpretatione Virgiliani loci, ubi *Amazones Threïcias* appellat; quem recte expoſuit doctiſſimus Tanaquillus Faber, cui Stephani adſcripta verba accepta refero. Tu eum vide epiſt. L. I. epiſt. 51. & late Cluverium in Germania antiqua 2. capite. Ita & alibi noſter Gelonos *Thraciae populos* perhibet, quos tamen conſtat eſſe Scythiae: eadem nimirum ratione, qua hic Hyperboreos in Thracia ſtatuit. CLAUDIUS.

## Haemus Imaus

Vulgata lectio ſtare nequit. Illi emendandae Boccacius facem mihi praeferet. Legit enim in Vibio *Emimodimnus Iberiae*. Ego ita cenſeo: quum praecedat *Haemus Thraciae*, illud *Emimodimnus Iberiae* natum ex *Emimō. d. imaus Iberiae*, ut *Emimō.* pertineat ad titulum praecedentem . . . Noſti plura in Vibio ſcripturae compendia inveniri: noſti quoque *Haemimontem* dici & *Haemimontanos* accolas. Nec videtur *Imai* montis clariſſimi mentionem nullam feciſſe Vibius. Nullam autem fecit, niſi hoc loco feciſſe credatur. RELAND.

Relando debes, mi lector, quod puritati ſuae reſtitutus ſit hic turbidus antea locus; mihi, quod quisquilias non de novo appoſuerim. O.

*Haemus*) v. Schol. Theocriti ad Idyll. VII. v. 76. Αἷμος ὄρος Θρᾴκης ἀπὸ τοῦ Αἵμου τοῦ Βορέου καὶ Ὠρειθυίας. Enarrator Cruquianus ad Horatii L. I. od. 12. v. 6. *Haemo*) *monte Thraciae.* HESSEL. Ut refert Pomp. Mela L. II. c. 2. *Haemus in tantum altitudinis abit, ut Euxinum & Adriam ex ſummo vertice oſtendat.* Thraciae adſcribit ipſe & recte quidem. Male contra Servius ad Virgilii Georg. L. I. v. 492. adſcribit Theſſaliae. De mira montis altitudine audiendi & alii. Plinius L. IV. c. 11. & Solinus cap. 15. ſex millibus arduum ſcribunt. Hodie *Emineh dag* ſalutatur, item *cadena del mondo.* Alia nomina dabit Ortelius. Ut *Haemimons* una voce diceretur a Vibio, id eo facilius accidere potuit, quod poſteriori aevo peculiaris provincia ita eſt appellata; unde & *Haemimontani* dicti. v. S. Rufus in breviario cap. 9. qui inter ſex Thraciae provincias *Haemimontum* recenſet. O.

*Imaus*) τοῦ Ταύρου τὸ τελευταῖον vocat Ἴμαιον Strabo L. XI. p. 519. τῇ Ἰνδικῇ ξυνάπτον, cf. & L. XV. p. 689. Ex quo repetiit Plinius L. VI. c. 17. Euſtathius ad Dionyſium perieg. v. 717. τμῆμα τοῦ Ταύρου τὸ Ἴμαιον eſſe perhibet. Marcianum Heracleotam ſi conſulas, India ad ſeptentrionem definitur Imao monte, juxta ſuperjacentes ſibi Sogdianos & Sacos. Scythiae ad Imaum uſque montem ſubjacent Margiana, Sogdiana, Sacia, teſte Agathemero L. II. c. 6. Is ergo Imaus Indicus, qui inde verſus ſeptentriones jugum ſuum per Scythiam protendit longiſſime, quam ea propter Ptolemaeus L. VI. cap. 14 & 15. in Scythiam intra & extra Imaum partitur. Jam hic omnis Imaus ab Iberia Pontica procul diſtat, neque ad Caucaſum ullo modo pertinet. Habet tamen ſimile quid Boccacius, cujus verba haec; *Imabus* (lege *Imaus*) *orientale promontorium eſt ab Emodis montibus in mare oceanum ſe tollens.* Hauſit haec ex Plinii l. c. dein addit: *Sonat quidem Imabus Jarica lingua nivens: extremus quidem Caucaſus eſt.* Haec autem de falſo jactato Caucaſo intelligenda ſunt, de quo ſupra p. 304. *Iberiae Ponticae montem* idem Boccacius ex corruptis noſtris exemplis *Emimodimnum* nuncupat. Quid ergo de Vibii loco ſtatue-

mus? De *Imao* non eſt quod dubitem. Ipſe litterarum, a quibus articuli incipiunt, ordo id ſuadet. In *Iberia Pontica* libri conſentiunt ſcripti. Forſan erroris Vibiani ſcaturigo in loco quodam Poetae vel ſcholiaſtae male intellecto. Hunc qui oſtenderit, erit mihi Oedipus; ego Davus. O.

## Iſmarus

Servius ad Virgilii Georg. L. II. v. 37.

\- - - *juvat Iſmara Bacchо*
*Conſerere atque olea magnum veſtire Taburnum.*

*Iſmara*) *montes Thraciae.* ad Aen. X. 351. *Iſmara*) *civitas Thraciae a monte Iſmaro dicta.* ad v. 139. *Iſmare*) *modo nomen eſt proprium; nam Iſmarius appellativum facit a monte Iſmaro Thraciae.* idem ad ecl. VI, 30.

*Nec tantum Rhodope miratur & Iſmarus Orphea.*

*Rhodope & Iſmarus, montes Thraciae, in quibus Orpheus conſueverat canere.* HESSEL. Jam Homero memoratur oppidum ejuſdem nominis in Ciconibus Odyſſ. I. 39. v. & Stephanus in Ἴσμαρος. *Iſmaris* lacus Herodoto L. VII. v. 109. laudatur, Maroneam inter & Strymam interjectus. De monte an urbe capienda Dionyſii periegetae verba? Is v. 113. ita

Ἰσμαελικοῦ πνοιῇσιν ἐλαυνόμεναι Βορέαο

Euſtathius ad h. l. Boream Iſmaricum dici tradit pro Thracico, ab Iſmaro urbe Thraciae. Crediderim potius a monte noſtro, de quo non cogitabat ſcholiaſtes. Habet & urbem *Ismara* in Armenia minore Ptolemaeus L. V. c. 7. ſed ibi codex Palatinus legit *Simara.* O.

## Ida

*Ida in Troade*) v. Virgilius Aen. L. III. v. 5. L. IX. v. 80. & Georg. L. IV. c. 40.

*Ida in Creta*) v. Virgilius Aen. L. XII. v. 412. porro cf. Scholiaſtes Hom. ad Il. L. II. verſ. 821. Ἴδης) Ὄρος Τροίας. Ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα Ἴδη τῆς Κρήτης. & ad L. IV. verſ. 475. Ἴδη) Ἐκ τῆς Ἴδης. Ἴδη δὲ ὄρος ὑψηλότατον Τροίας. Ἔστι δὲ

ἡ ἑτέρα Ἴδη τῆς Κρήτης ἀπὸ τῆς διατρεψάσης τὸν Δία Νύμφης. Scholiaſtes Theocriti ad edyll. I. verſ. 105. Ἡ δὲ Ἴδη ὄρος Τροίας· δύναται δὲ ἡ πᾶσα τὰ ὄρη τῆς Ἴδης τῇ προσηγορίᾳ καλεῖσθαι ἀπὸ τῆ Ἴδη, ἡ βοτάνη· ἢ ἀπὸ τοῦ ἰδεῖν ἡ θεάσασθαι· ἀφ' ὑψηλῆ γάρ τις ἐφεστάμενος δύναται πόρρω ἰδεῖν· καλεῖται δὲ Ἴδη ἡ ὄρος Κρήτης. Scholiaſtes Apollonii Rhod. ad L. III. verſ. 134. Ἄλσει ἐν Ἰδαίῳ) Ἡ τῷ τῆς Κρήτης, ἢ τῷ τῆς Τροίας. Servius ad Virgilium Aen. L. V. verſ. 449. *Ida in magna*) *Modo non Cretae, ſed Phrygiae propter pinos.* ad L. III. v. 6. *Phrygiae Idae*) *Ad diſcretionem Cretenſis.* ad L. IX. verſ. 80.

\- - *Phrygia formabat in Ida.*

*Id eſt, formare cogitabat: non enim in Ida, ſed apud Antandrum facta ſunt. Et bene, Phrygia in Ida, quia & in Creta eſt alia Ida, ut; Mons Idaeus ubi & gentis cunabula noſtrae.* & ad Georg. L. IV. verſ. 41.

*Et viſco & Phrygiae ſervant pice lentius Idae.*

*Ordo eſt, ſervant gluten, quod eſt lentius & viſco & Phrygiae Idae pice.*

*in Creta*) Scholiaſtes Dionyſii ad orb. deſcript. v. 500. Ἐγγὺς δὲ αὐτῆς ἡ τιμία Κρήτη, τῷ μεγάλῳ Διὸς ἡ τροφὸς, πολλὴ καὶ λιπαρὰ καὶ εὔτροφος· ἐφ' ἧς τινος Κρήτης ὑπεράνωθεν ἡ Ἴδη ὑπὸ ταῖς καλλικόμοις δρυσὶ πάνυ ἐστὶ θάλλουσα. HESSEL.

Ad Idam Troadis ſpectat

*Judicium Paridis ſpretaeque injuria formae,*

quam gemmae, nummi, anaglypha, picturae veterum certatim exprimunt. Ab Ida Idaea mater, cui ſumma montis iſtius juga erant dicata. v. Strabo L. X. p. 473. Inde & Hercules Idaeus, Olympicorum auctor, teſte eodem L. VIII. p. 355. Qua de cauſſa Dactyli Idaei ſive Curetes vocati, docebit idem L. X. p. c. Πολυπίδακον, fontibus multis ſcatentem, dixere veteres; rationem pandit Geographus laudatus L. XIII. v. 602. De tribus quatuorve jugis Idae hujus dictum eſt paullo ante. v. *Gargara.* Quae Idae Troadis tribuit Strabo, ea Pauſanias ex parte adſcribit Cretenſi, inde ipſi Hercules Idaeus, inde Idaei Dactyli, qui & Curetes. cf. & Diodorus Sic. L. V. c. 64. Uterque mons mira altitudine

eſt conſpicuus. Siquidem Ida Troadis caeteros ad Helleſpontum ſitos exſuperat, ut Diodorus tradit L. XVI. c. 7. Ida Cretae omnium ejus inſulae montium eſt altiſſimus, teſte Strabone L. X. p. 475. De judicio Paridis verbum ut addam, in ſpecu, quae in media viſitur Ida, id factum refert Diodorus; monumenta in dorſo ejus ſedentem judicem ſtanteſque coram ipſo Deas exhibent. Quo nomine hodie veniat Ida Troadis, non mihi conſtat, Cretenſem *Pſilorii* vocari tradit Bellonius. In tabulis & hoc & antiquum obtinere nomen video. O.

## Lycaeus

*Liceus*) editio Flor. & Toloſ. Legendum *Lycaeus;* etenim Λύκαιος Graece. v. Barthium ad Claudianum de IV. Conſul. Honorii v. 467. videndus quoque Servius ad Virgilii ecl. X. v. 15. *Maenalus autem & Lycaeus montes Arcadiae ſunt.* ad Georg. L. III. verſ. 314. *ſumma Lycaei*) *Montis Arcadiae.* & ad L. I. verſ. 16. *ſaltuſque Lycaei*) *Montis Arcadiae.* Lutatius ad Statii Theb. L. VII. verſ. 80. *Maenala*) *Maenalus & Lycaeus montes Arcadiae amoeniſſimi.*

*Pan*) Servius ad Georg. L. III. verſ. 2. *ſilvae amneſque Lycaei*) Κατ' ἐξοχὴν *montem Arcadiae poſuit; vel quia pecoroſa, vel quia Pan illic eſt ruſticum numen.* & ad Aen. L. VIII. verſ. 344. *Cui* (Pani) *etiam mons Lycaeus in Arcadia eſt conſecratus.* HESSEL. Strabo L. VIII. p. 388. Τιμῶσαι δὲ - - - καὶ τὸ τοῦ Λυκαίου Διὸς ἱερὸν καὶ τὸ Λύκαιον ὄρος. & paullo poſt: Ὄρη δ' ἐπιφανῆ πρὸς τῇ Κυλλήνῃ Φολόη καὶ Λύκαιον καὶ Μαίναλος καὶ τὸ Παρθένιον καλούμενον. In Lycaeo fontes ſunt fluminis Nedae, teſte eodem L. c. p. 348. Νυνὶ μὲν οὖν τῇ Τεγεατικῇ πρὸς τὴν Μεσσηνίαν ὁρίζει τὸ τῆς Νέδας ῥεῦμα λαβὸν ἐκ τοῦ Λυκαίου καλουμένου Ἀρκαδικοῦ ὄρους, ἐκ πηγῆς, ἣν ἀναχώσασα τεκοῦσαν τὸν Δία μυθεύεται Ῥέαν νίπτεσθαι χάριν. cf. & Pauſanias L. IV. c. 20. Patet hinc ratio, ob quam Lycaeo Jovi id nomen datum, curque in eo monte templum habuerit. De quo addendus etiam Plinius, qui L. IV. c. 6. ſic:

*Montes in Arcadia, Pholoe cum oppido: item Cyllene; Lycaeus, in quo Jovis Lycaei delubrum.* Panſanias quoque ex Arcadum ſententia Jovem non in Creta inſula, ſed in agro quodam Lycaei, dicto *Creteo*, educatum refert. v. L. VIII. c. 38. Lycaeum ἀπὸ τῶν Λύκων, a lupis, quos frequentes ſuis alebat in latebris, eſſe dictum, non eſt dubium. Indolem montis aliquo modo declarat Ovidius, ubi Metam. L. I. v. 217:

*Maenala tranſieram, latebris horrenda ferarum*
*Et cum Cylleno gelidi pineta Lycaei.*

De cultu Panis v. Pauſanias l. c. & audiendus Virgilius Georg. L. I. v. 16.

*Ipſe nemus linquens patrium ſaltuſque Lycaei,*
*Pan ovium cuſtos, tua ſi tibi Maenela curae.*

Lycaeus quoque Faunus dicitur Ovidio faſt. L. II. v. 424.

*Quid vetat Arcadico dictos a monte Lupercos?*
*Faunus in Arcadia templa Lycaeus habet.*

Caeterum Latini quoque *Lyceum* ſcribebant ex Graeco Λύκειον. Hodie *Mitena* dici, refert Brietius in Parallel. P. II. p. 433. Olim diverſa habuit nomina, teſte Pauſania l. c. καλοῦσι δὲ αὐτὸ (τὸ Λύκαιον) ἢ Ὄλυμπον ἢ ἱερόν γε ἕτερον τῶν Ἀρκάδων κορυφήν. Idem totam regionem adjacentem Lycaeatem agrum τὴν Λυκαιάτιν χώραν vocatam eſſe perhibet L. c. cap. 30. Eſt & *Lycaea* urbs Arcadiae Stephano. *Lyceum*, Gymnaſium, doctrina Peripatetici clarum, abſque diphthongo pingi ſolet; vocatur & *Lyceium* Λυκήϊον, teſte Stephano. Is peripatus prope Athenas fuit, nomen a Jove Lyceo ſortitus, uti docet Lucianus de gymnaſiis. O.

## Libethris

v. Virgilius Ecl. VII. v. 21. & ad eum Servius. Dein Plinius L. IV. c. 9. Strabo L. X. p. 471. Mela L. II. c. 3. & Solinus c. 14. GRONOV. De fonte & monte Libethro actum pag. 231 ſeq. Heic reſtat inquirendum in illud, cur *Aetoliae* Libethridem montem adſcribat Vibius, quem ſequitur

quoque Boccacius. Theſſalica vel Thracica Libethra itemque Boeotica oſtendimus ſuo loco; in Aetolia nemo ponit. Forſan librarii error totus eſt, *Boeotiae Aetoliam* ſubſtituentis. Fitque id eo magis veroſimile, quod ſupra *Libethron fontem Boeotiae* recenſeat noſter. O.

## Maenalus

Scholiaſtes Theocriti ad Edyll. I. v. 124. Μαίναλον ὄρος Ἀρκαδίας ἀπὸ Μαινάλου τοῦ Λυκάονος ἢ τοῦ Ἑρμοῦ. Scholiaſtes Pindari ad Olymp. od. 9. verſ. 88. Μάναλον δὲ ὄρος Ἀρκαδίας ἡ πόλις. Scholiaſtes Apollonii Rhod. ad L. I. verſ. 168. Μαίναλον ὄρος Ἀρκαδίας ἡ πόλις, ἀπὸ Μαινάλου τοῦ Ἀρκάδος, ἢ παῖδος Λυκάονος. & ad verſ. 770. Μάναλος δὲ ὄρος Ἀρκαδίας, ἐν ᾧ ἡ Ἀταλάντη διῆγεν. ἀπο Μαινάλου τοῦ Ἀρκάδος, ὡς φησιν Ἑλλάνικος. Servius ad Virgilii Georg. L. I. verſ. 17. *Maenala autem mons Arcadiae dictus ἀπὸ τῶν μήλων, id eſt, ab ovibus, quibus plenus eſt.* ad ecl. VIII. verſ. 21. *Incipe Maenalios*) *Arcadicos, nam Maenalus mons eſt Arcadiae.* Lutatius ad Statii Theb. L. IV. verſ. 285. *Maenala: Parthenium*) *Mons & nemus Arcadiae.* ad L. VI. verſ. 603. *Maenalius*) *Parthenopaeus Arcas, quia Maenalus mons eſt Arcadiae.* & ad L. VII. verſ. 80. *Maenala*) *Maenalus & Lycaeus montes Arcadiae amoeniſſimi.* Ceterum *Maenalius* puto mons. *Menalius* edit. Florent. & Tolos. *Maenalius* ſcriptum eſſe oportet, nam Graece Μαινάλιος. Ipſe autem mons audit *Maenalus*, ut eſt in MS. Rev. minus vero recte *Menalus*, ut eſt in Heinſ. collat. ἀπόγρ. Gud.

*Tegea*) Nimirum regione, uti credibile eſt. Sin autem ἀπὸ τῆς Τεγεατίδος remotior aliquanto fuerit Maenalus, anſam Vibio dediſſe ad errandum videri poteſt Virgilius Georg. L. I. verſ. 16.

*Ipſe nemus linquens patrium ſaltuſque Lycaei*
*Pan ovium cuſtos, tua ſi tibi Maenala curae,*
*Adſis, o Tegeaee, favens.*

*Tegaea* edit. Florent. & Tolos. HESSEL. In conſtituendo hoc articulo humani quid paſſus ſum. Neſcio qui factum,

ut truncatus prodiret. Ita ſe habet & in editis & in ſcriptis: *Maenalus Arcadiae in Tegea.* De Maenalo ipſo irrepſere multa in eum locum, quo de Lycaeo item quo de Cyllene actum; uterque enim Arcadiae fuit. In univerſum haec omnis regio montibus conſita fuit, teſte Strabone L. VIII. p. 388. ubi inter illos recenſet & Maenalum. Cognominem urbem intercidiſſe ante ſua tempora ſcribit. Tegeam contra mediocriter ſubſiſtere. Hujus frequentiſſime meminere Polybius & Livius. Ab ipſo Vibio adſutum id *in Tegea* nullus equidem dubito. Ratio ab Heſſelio detecta rem ſat claram reddit. Nec eſt ovum ovo, quam hic error Vibianus Vibianis erroribus aliis, ſimilius. Ab eo peccato ſibi cavit Boccacius, ſed in aliud ridiculum prorſus cum Servio ruit. Ita ille: *Menalus Arcadiae mons eſt excelſus; ſic dictus ab ovibus, quarum plenus eſt. Nam mela Graece Latine ovis.* Eodem jure cum auctore breviloqui *diabolum* derivares ex *dia*, duo, ut vult, & *bolus.* O.

## Maſſicus

Cruquianus enarrator Horatii ad L. I. oden I. v. 19.

*Eſt qui nec veteris pocula Maſſici*
*Nec partem ſolido demere de die*
*Spernit - - - -*

ita: *Maſſicus mons eſt Campaniae, ubi optima vina naſcuntur.* cf. & Servius ad Virgilii Georg. L. III. verſ. 526. *Atqui non Maſſica Bacchi Munera*) *Vina pretioſa a Maſſico monte Campaniae.* ad Aen. L. VII. verſ. 725. *rapit populos*) *Raptim adducit. Etiam Campaniae loca commemorat. Nam Maſſicus mons eſt vitibus plenus. Maſſica autem dixit, ut Maenala.* & ad Georg. L. II. verſ. 143. *Maſſicus humor*) *Vinum Campanum a Maſſico monte Campaniae.*

·*Falerno*) nempe *agro.* HESSEL. Judice Cam. Peregrino de Campania felice L. II. c. 34. prudenter hic locutus eſt Vibius, dum montem Maſſicum in agro locat Falerno. Minus recte alii, in his Florus, loco quem ſupra retulimus

in *Gauro*, Maſſicum & Falernum duos habent montes diverſos, licet contiguos. Verum tamen eſt, ſequiori tempore promiſcue eundem montem ſalutatum eſſe & Maſſicum & Falernum. Martialis aperte Falernum montem nominat L. XII. ep. 57.

*Nec in Falerno monte major autumnus.*

Philargyrius etiam ad Virgilium Georg. L. II. v. 143.

*- - - Bacchi Maſſicus humor*

ſic: *Vinum a montibus Falernis, qui Maſſici dicuntur.* Ager ille Falernus olim fuerat Auſonum & Auruncorum, poſtea Campaniae attributus, qua de re conferendus Cam. Peregrinus l. c. Ad extremum montis Maſſici verſus mare excurſum Sinueſſa ſita fuit. v. Livius L. XXII. c. 14. cf. Cluverius Ital. ant. L. IV. c. 5. Unde & Martialis L. XIII. ep. 111.

*De Sinueſſanis venerunt Maſſica praelis.*

Intelligitur hinc, quantum abludant a recto tramite, qui non ſatis a Gauro diſtinguunt iſtum, quod quidem accidit Fl. Blondo in Italia illuſtrata, ubi haec: „Mons vero, „ praedicto Liris oſtio in Campaniae initio proximior, varias „ & fama celebres habet nominationes; qui alicubi Gau„ rus, alicubi Maſſicus &c. Atque idem ex ipſo repetiere alii. Gaurum fuiſſe ad Puteolos & Cumas ex iis conſtat, quae ſupra docuimus; Maſſicus a Sinueſſa incipit & dorſum ſuum ad ſeptentriones protendit & ortum ſolis. Ex iſta diſtantia montium intelligimus verba Statii L. IV. ſilv. carm. 3. v. 63. ubi de nova via a Domitiano ſtrata verba facit:

*Atque echo, ſimul hinc & inde fractam,*
*Gauro Maſſicus uvifer remittit.*

Porro Gaurus hodie vocatur *il monte Barbaro*; Maſſicus, *il monte Marſo* vel *Marſico*, & promontorium id, de quo diximus, quod ad Sinueſſam excurrebat in mare, *il monte di Dragone* vel *Rocca di Mondragone.* ſpectanturque, teſte Cluverio, Sinueſſae rudera ſub undis marinis ad ipſum caſtellum montis Draconis. Neque vinum, quod ibi naſcebatur olim, hodie defeciſſe putandum eſt. Ben. Falconius,

citatus Ortelio, id vinum hodie *Maſſacano* dici refert. Nobilem vel nunc ſuo vino Maſſicum montem eſſe, idque ſalutari *Muſcatellam* ab accolis, tradit Harduinus ad Plinium L. III. c. 5. Quid ergo de Brydonii narratione ſentiemus? qui in itinere Siculo ep. 1. Maſſicum montem hodie *Barbaro* dici ſcribit, & barbariei, felicia iſta, quibus Horatius Maſſicum ac Falernum vina praedicabat, tempora inſecutae manifeſtum exhibere documentum tradit. Ubi enim plenis olim tumebat uva racemis, ibi hodie ſteriles ſaltus videri, in quibus hyſtrices venentur accolae. Profecto Brydonius Gaurum accepit pro Maſſico & intempeſtivos gemitus ciet. Interim & ex Plinio videri poſſet Maſſicum vinum ex Gauro monte repetitum. Siquidem L. XIV. c. 6. *Certant Maſſica* (vina) *aeque, ex monte Gauro Puteolos Baiaſque proſpectantia.* Verum recte Harduinus interpretatur iſta ſic: „ vina „ e monte Maſſico in Gauranum translatis vitibus expreſſa. „ Vicum *Maſſicen* ad Euphraten ſitum memorat idem Hiſt. Nat. doctor L. V. c. 26. O.

## Marpeſſos

Servius ad Virgilii Aen. L. VI. v. 471.

*Quam ſi dura ſilex aut ſtet Marpeſia cautes.*

*Parium lapidem dicit; Marpeſos enim mons eſt Pariae inſulae.* Bochartum vide Chan. L. I. c. 14. pag. 413. HESSEL.

Vulgo apud Virgilium & Servium ſimplici elemento ſcribitur nomen; in Vibii codicibus duplici. Sic & Stephanus Byz. Μάρπησσα, ὄρος Πάρου, ἀφ' οὗ αἱ λίθοι ἐξαίρονται· ὁ οἰκήτωρ Μαρπήσσιος. Contra Boccacius: *Marpeſo mons eſt Paros inſulae marmorum candore conſpicuum.* Marmor alias ſimpliciter Parium audiit, de quo Plinius L. XXXVI. c. 5. *Candido marmore uſi ſunt e Paro inſula, quem lapidem coepere lychniten adpellare.* Notum eſt, ex Pario lapide permultas veterum ſtatuas celebrari apud Plinium & Pauſaniam. Poëtae quoque vel ipſam Paron exinde *marmoream*, imo *niveam*, vocant, cf. Cellarius L. III. c. 3. Fuit & Marpeſſus urbs

urbs Troadis, cujus Pauſanias L. X. c. 12. meminit. Inde Sibyllae Erythraeae repetendum cognomen *Marpeſſiae*, quo utitur Tibullus L. II. eleg. V. v. 67.

*Quicquid Amalthea, quicquid Marpeſſia dixit.*

Bochartus Marpeſſum ex מער בצע *maar* (pro *mearat*) *betſa*, quaſi *cavernam exciſionis* dictum exiſtimat. O.

## Monoecus

*Illyriae*) ſcribe *Liguriae*. Lucanus L. I. v. 405.

*Quaque ſub Herculeo ſacratur nomine portus,*
*Urget rupe cava pelagus: non Corus in illum*
*Jus habet aut Zephyrus: ſolus ſua littora turbat*
*Circius & tuta prohibet ſtatione Monoeci.*

*Rupe cava*) id eſt, monte Monoeco. Miror, doctiſſimum Grotium ſupponere auſum pro *Monoeci, morari.* GRONOV.

Innuit montem prope portum Monoeci Herculis, cujus nomen hodie *Monaco*, auctor Pharſaliae; arcem ibidem locat Virgilius L. VI. v. 830.

*Aggeribus ſocer Alpinis atque arce Monoeci*
*Deſcendens - - - -*

ubi Servius: *De Liguria, ubi eſt portus Monoeci Herculis. Dictus autem μόνοικος, vel quod pulſis omnibus illic ſolus habitavit, vel quod in ejus templo nunquam aliquis Deorum ſimul colitur, ſicut in Jovis, Minerva & Juno; in Veneris, Cupido.* Sufficere haec credo, ut intelligamus, *Monoecum* ſuum ex iſtis Poëtis deſumſiſſe Vibium, & in deſcribundo dein ex *Liguriae* ortum *Illyriae*, ex mera oſcitantia. Si cui tamen aliquis mente haereat ſcrupulus, is dubitandi cauſam ex eo deſumere poterit, quod varia, minus trita aliis, fluviorum & montium Illyridis nomina ſervet Sequeſter, quae non prorſus vana eſſe vidimus, in his *Eridani, Boreae.* Tum provocabit ad Boccacium, penes quem ſic legitur: *Monoetes mons eſt Illyriae.* O.

## Maxteria

Articulum iſtum, immedicabili forſan vulnere ſaucium, Simlerus ignorat; in ſcriptis legi libris, ſed diverſitate quadam in prima voce conſpicuum, videbis pag. 30. Boccacius ita: *Maxtoria mons eſt Hiſpaniae juxta oppidum Auronae.* Ne autem intentatum locum praetermittamus, ſtatim in regione dicemus errorem latere poſſe, ſiquidem montis nomen alibi deprehendere liceat. *Maxeras* populum Hyrcaniae narrat Ptolemaeus L. VI. c. 9. cujus terra *Maxera* rigata ſit fluvio. Hujus praeterea meminere & Plinius ex emendatione Harduini L. VI. c. 16. & Ammianus Marcellinus L. XXIII. c. 25. Jam montes in iſtis maxime orbis terrarum plagis videre amnibus cognomines, nihil eſt, quod cuiquam mirum poſſit accidere. Itaque forſan *Maxera* erit mons, quem ullibi repererit Vibius. Tum ergo pro *Hiſpaniae* legeres rectius *Hyrcaniae*, facileque concederes, ſcribas regioni minus ſibi notae notiorem ſubſtituiſſe. Faveret & illud, quod Ptolemaeo ibidem memoretur urbs *Mauſona.* Unde prodiret tandem in Vibiana montium ſerie:

*Maxera juxta oppidum Mauſonae Hyrcaniae.*

Lepide profecto conſpirarent omnia; modo nomen illud montis occurreret uſquam. Verum cogitabis, multa ſcriptorum volumina periiſſe; unde non licet prorſus ex iis quae ſuperſunt de ſimilibus judicare. Interim conjecturae non nimis me inhaerere meae, ſponte profiteor. Forſan probabiliora dabit alius. Si quis in *Hiſpania* morari malit, *Auronae* loco *Auſonam* ponet, quo nomine ſequiori aevo mactatum eſt oppidum Auſetanorum, Ptolemaeo L. II. c. 6. *Auſum*, alias quoque *Auſa*, vocitatum. *Aurona* enim veteribus plane ignota; neque quiſquam hic mons occurrit, plures autem recenſet Ptolemaeus, cujus nomen ad nomen *Maxteriae* ullo modo accedat. O.

## Meſulus

*Campaniae*) *Veſulus autem mons eſt Liguriae juxta Alpes*, teſte Servio ad Virgilii Aen. L. X. v. 708. Hunc vero poëtae interpretem (ſi ipſius iſtud interpretamentum ſit, nam multa Servii & Donati & id genus doctorum ψευδεπίγραφα jam pridem videntur meritiſſimo) vel nonnihil mendoſum eſſe ad Georg. L. II. v. 224. vel ibidem lapſum eſſe per errorem, quem nonnunquam creat nominum haud bene diſtincta ſimilitudo; praeter ceteros adnotavit Pierius ac de la Cerda ad Virg. loc. Erythraeus ind. in Virg. *Veſevo jugo*, Merula coſmograph. Part. II. L. IV. cap. 5. pag. 524. Quid? ſi ſcripſerit ita Servius; *Veſulus* (non *Veſevus*) *mons eſt Liguriae ſub Alpibus poſitus; nam Campaniae Veſuvius dicitur, pro quo multi Veſevum eſſe poſitum volunt.* ut ille videlicet prius, ne quis forte indoctior animi falſus eſſet, Veſulumque & Veſuvium eundem eſſe putaret, ubinam ſit Veſulus terrarum, definiverit; deinde ab eo Veſuvium diſcreverit, ſicut placuit multis, nominatum hic Veſevum: nonne minus vitioſe ſe habeant iſtaec dicta Serviana? Equidem credere poſſum vix talem virum, licet nonnullis viſus ſit interdum vel potius nimium ſaepe dormitaviſſe, tam inſcienter confudiſſe Veſulum cum Veſevo, unumque & alterum neſciviſſe internoſcere ex tanto, ne plura dicam, intervallo locorum atque etiam ex tanta varietate ſonorum. HESSEL. An legendum *Veſvius?* Martialis L. IV. epigr. 43.

*Hic eſt pampineis viridis modo Veſvius umbris.*

GRONOV.

Turpiter habitus eſt hic locus. *Veſulus* & *Veſevus* montes ſunt diverſiſſimi; ille Liguriae; hic Campaniae. *Veſulus mons, ſuperantiſſimus inter juga Alpium, gremio ſuo fundit Padum, in Ligurum finibus*, teſte Solino cap. 8. qui iſta repetit ex Plinio L. III. c 16. *Duo flumina de hoc Veſulo naſci, Rhodanum & Padum*, ſcribit Servius l. c. Aſt falſum hunc eſſe ex verbis Appiani male intellectis, docet Cluve-

rius It. ant. L. I. c. 32. Hodieque prisci nominis adsunt vestigia; dicitur quippe *monte Veso* vel *Viso*. De *Vesevo*, qui & *Vesbius* & *Besbius* & *Bebius*, vulgo *Vesuvius*, dictum est supra pag. 301. Jam, ut haec sunt indubia & certa, ita prorsus videntur fictitia, quae de *Mesulo* & *Maevio* vel *Maeulo* praedicat Vibius. Vera si essent ista nomina, ita legendum putarem apud nostrum:

*Mesulus, qui & Vesulus Liguriae.*
*Maevius, qui & Vesevus, Campaniae.*

Verum per errorem intrusa putaverim; ex Boccacii opere quoque prorsus exulant. O.

## Niphates

v. Barthius ad Claudiani paneg. in IV. Cons. Honorii v. 106. & de Raptu Pros. L. III. v. 263. Porphyrion ad Horatium L. II. od. 9. v. 20. *Niphates Armeniae mons est.* Acron & enarrator Cruquianus: *Plerique putant Armeniae montem.*

*in Perside*) haud sat bene. HESSEL. Niphates ad catenam montium Gordienae pertinuit, ad austrum Armeniae sitorum; cum reliquis istum jungebat mons Masius, qui, ubi cervicem attollit altius, Niphates est dictus, ἔπειτα ἐξαίρεται πλέον καὶ καλεῖται Νιφάτης. tum adhaerebat ad Zagrum, qui Babyloniam separabat a Media. v. Strabo L. XI. p. 527. Perperam proinde pars ejus Niphatis a Vibio in Persia locatur, a qua longissime abest. S. CROIX. Errata ipsius Vibii ab erratis librariorum hominum probe distinguere par est. Illud ego satis certum esse arbitror, apud Sequestrem olim lectum, *Niphates Armeniae.* Unde & Boccacius: *Niphates Armeniae mons est.* Dein, quum quis adlevisset margini, *in Persia*, hoc ipsi articulo postea est adsutum. Caeterum Niphates, quem Νυμφάτην dicit Ptolemaeus L. V. c. 13. is mons est, ex quo Tigris oritur. Strabo L. c. p. 529. ὁ Τίγρις, ἀπὸ τῆς κατὰ τὸν Νιφάτην ὀρεινῆς ὁρμηθεὶς. Niphatis nomen nivis immanem congeriem, qua tectus mons, innuit;

ſimile eſt Caucaſi etymon, teſte Plinio L. VI. c. 17. ſiquidem *Groucaſum* Scytharum lingua nive candidum deſignat. O.

## Neritos

Scholiaſtes Hom. ad Il. L. II. v. 632.

Οἵ τ' Ἰθάκην εἶχον καὶ Νήριτον εἰνοσίφυλλον.

Νήριτος) Ὄρος Ἰθάκης. Servius ad Virgilii Aen. L. III. v. 271.

*Dulichiumque, Sameque & Neritos ardua ſaxis.*

*Neritos*) *mons Ithacae.* HESSEL. De Nerito ruſe ſatis Strabo agit. L. X. p. 454. ubi oſtendit, Ithacae montem Homero dici Neriton diſertis verbis Odyſſ. L. I. v. 21.

Ναιετάω δ' Ἰθάκην εὐδείελον· ἐν δ' ὄρος αὐτῇ,
Νήριτον εἰνοσίφυλλον, ἀριπρεπές.

Addit, male quibuſdam viſum, ſcribendum eſſe *Nericum* pro *Nerito:* illud enim oppidum eſſe in ora Epiri, hunc montem Ithacae. Ab Homero & Strabone, quibuſcum facit Plinius, L. IV. c. 12. ſecedunt alii, Neriton inſulam ſtatuentes. Ita capienda eſſe ipſius Virgilii verba, mox relata, mihi admodum fit veroſimile. Aperte Mela diſtinguit ab Ithaca inſulam Neriton L. II. c. 7. *In Jonio, Prote, Hyria, Cephalenia, Neritos, Same, Zacynthos, Dulichium, & inter non ignobiles, Ulyſſis nomine Ithaca maxime illuſtris.* Hanc Nericiam dicit Dionyſius per v. 495.

Τῇ δ' ἔπι, Νηρικίης Ἰθάκης ἕδος ἐστήρικται.

quem ad locum non video, quo jure Euſtathius Nericiae nomen Ithacae tributum ſcribat a Nerico oppido Epiri, quod alias Leucas ſit dictum. Cur non potius, apud Dionyſium pro Νηρικίης ſcribendum cenſeamus Νηριτίης? Neritum montem, ut ad hunc redeam, *Nerium* quoque Homero ſalutatum ex quorundam ſententia, Strabo commemorat l. c. Demum oppidum quoque Neritum Calabriae in Salentinis notatur Ptolemaeo L. III. c. 1. Id Neretum in Tabula Theodoſii & Ravennati anonymo vocatur, hodie *Nerdo* vel *Nardo.* O.

## Nyſa

v. Propertius L. III. eleg. XV. v. 21. Servius ad Virgilii Aen. L. VI v. 806. *Nyſae de vertice*) *Mons eſt Indiae, de quo loquitur. Ceterum eſt & Nyſa civitas, in qua Liber colitur; unde Nyſaeus dictus eſt.* Euſtathius ad Dionyſ. orb. deſcript. verſ. 1153. Νύσα δὲ κατὰ τὸν γεωγράφον πόλις ἐν Ἰνδίᾳ κτίσμα Διονύσου, ἢ ὄρος αὐτόθι Μηρός. HESSEL. Nyſam Indiae montem fuiſſe, admodum abſimile vero mihi videtur; plerique auctores Meron montem in ea regione, non Nyſam memorant. Plura ea de re attuli in opere, cui titulum feci: *Examen critique des hiſtoriens d'Alexandre le grand.* p. 241. Unum notaſſe hic ſuffecerit, antiquiſſimum ſcriptorum Homerum eſſe, qui Nyſae meminerit, quam in Graecia ponit. Νίσσαν τε ζαθέην. Iliad. II. enum. nav. v. 15. S. CROIX. Iſta Homeri Niſſa ad Boeotiam ſpectat. Nyſas urbes decem recenſet Stephanus Byz. in quibus hic maxime nobis notandae ſunt Arabica atque Indica, Bacchi fabulis potiſſimum illuſtres. Montium Nyſarum numerus iſtum ſuperat, Heſychio teſte in Lexico. Quindecim numerat; in iis quoque Indicum. Ex vulgatiori ſententia Nyſae urbi Indiae, cujus ſitum fruſtra definiri docet doctiſſimus & amiciſſimus S. Croix, adjectus mons *Merus* ſalutabatur. Hujus nomen autem quod apud Graecos ſignificationem *femoris* quoque habebat, inde fabulandi egregia ſubnata occaſio. Pomp. Mela L. III. c. 7. *Urbium . . Nyſa eſt clariſſima & maxima; montium meros, Jovi ſacer. Famam hinc praecipuam habent, quod in illa genitum, in hujus ſpecu Liberum patrem arbitrantur eſſe nutritum; unde Graecis auctoribus, ut femori Jovis inſutum dicerent, aut materia ingeſſit aut error.* Repetit iſta Melae Plinius L. VI. c. 21. Idem tamen L. VIII. c. 39. Nyſae montis quoque meminit. *In Indiae vero Nyſa monte* - - Hunc ipſum nominat & Philoſtratus in vita Apollonii L. II. c. 4. ubi in laudata fabella enarranda verſatur. Quin ex Virgilii verſu cit.

*Liber agens celſo Nyſae de vertice tigres.*

& Servio ad ipſum, ſuum articulum hauſerit Vibius, non eſt dubium; niſi reſpexerit ad Lucanum L. VIII. v. 800 ſeq.

*- - - ſi tota eſt Herculis Oete*
*Et juga tota vacant Bromio Nyſeïa - -*

Merum montem eundem eſſe cum decantato ſcriptoribus Orientalibus monte *Meru*, celeberrimo viſum D'Anvillio, qui exinde inductus eſt, ut ad confluentes Chois & Cophenis locaret *Nyſam*, eandemque putaret cum *Nagara* Ptolemaei & *Nagar* Geographi Turci. Verum adeo fabuloſa ſibique & ſitui huic ipſi repugnantia ſomnia memoratos auctores ex cerebello ſuo profundere, oſtendit Baro de S. Croix p. 241. & p. 312, ut prorſus nihil certi inde colligere liceat. Librarios homines Vibio, quem tranſcribebant, ſaepe de ſuo aliquid adjeciſſe, quod mox ad *Niphaten* notavimus, ex hoc loco rurſus patet. Codex quippe Pariſinus II. ita habet: *Nyſa Indiae, ubi colitur Bacchus.* At id ſyrma a reliquis omnibus exulat. O.

## Nemeus

Loco corruptiſſimo medelam ex Boccacio attulimus, qui ſolus ſanam lectionem ſervarat. *Nemeus Cleonenſium mons eſt.* Vide, quam nulla prorſus opera ex hac voce in ſcriptos impreſſoſque libros irruerint monſtra, quae ſuo loco recenſuimus: *Cleomenſium*, *Eleonenſium*, *Deonenſium*, *Ciconenſium*. Ortelius Lugdunenſe exemplar exhibere *Deinonenſium* teſtatur. Errorum, quibus librarii homines ſunt obnoxii, illuſtre hoc exemplum eſt, qualia maxime Geographica opera ſuppeditare ſolent. Cleonae plures memorantur priſcis, in Atho monte, in Phocide, tum in Peloponneſo duae treſve, in Achaia, in Arcadia, in Argia. cf. Ortelius. De Cleonis ad Athon v. Herodotus L. VII. c. 22. ſunt iſtae Chalcidicae. Cleonas Phocidis ad Hyampolin memorat Plutarchus de virtutibus mulierum, Operum T. II. pag. 244. Achaïcas Homerus recenſet Il. L. II. in catal. navium v. 77. quocum conferendus inter alios Plinius L. IV. c. 5. Hic in Arcadia

quoque locat *Cleonas* & *inter eas ac Clitorium regionem Nemeam*, *Bembinadiam vocitatam*. Verum in hoc ſitu definiendo falli Plinium, arbitratur Cellarius L. II. cap. XIII. ſect. XVII. Cleonaſque iſtas & Nemeam vindicandas Argolidi putat. Sic ſane ſcriptores alii. Strabo L. VIII. p. 377. Κλεωναὶ δ' εἰσὶν πέλισμα ἐπὶ τῇ ὁδῷ κείμενον τῇ ἐξ Ἄργους εἰς Κόρινθον ἐπὶ λόφου περιοικουμένου παντοχόθεν - - - ἐνταῦθα δὲ ἡ Νεμέα μεταξὺ Κλεωνῶν καὶ Φλιοῦντος. Pauſanias L. II. c. 15. Ἐκ Κλεωνῶν δὲ εἰσιν εἰς Ἄργος ὁδοὶ δύο. ἡ μὲν ἀνδράσιν εὐζώνοις καὶ ἔστιν ἐπίτομος· ἡ δὲ ἐπὶ τοῦ καλουμένου Τρητοῦ, στενὴ μὲν καὶ αὐτὴ περιεχόντων ὀρῶν, ἁμάξαις δὲ ἔστιν ἅμως ἐπιτηδειοτέρα. Ἐν τούτοις τοῖς ὄρεσι τὸ σπήλαιον ἔστι δεικνύμενον τοῦ λέοντος, καὶ ἡ Νεμέα τὸ χωρίον ἀπέχει σταδίους πέντε που καὶ δέκα. Satis ex his patet, Nemeam, vicum quem ſalutat Pauſanias, prope Cleonas Argivas, quas hodie *Sanuaſili*, potius *S. Baſili*, dictas vult Mar. Niger, vel ut Vibius habet Cleonenſium fuiſſe. Montanam eſſe regionem, & ſpecum leonis Nemei, qui & Cleonaeus audit, in iſtis extitiſſe montibus, diſertis verbis dicitur. Praeterea Nemeae nomen & parti regionis Argivae, teſte ſcholiaſte Pindari in tertio prologo ad Nemea, & fluvio cuidam inter Sicyoniam decurrenti & Corinthiam, Strabone auctore L. VIII. p. 382. adhaeſit, nihil ut impediat, quo minus & monti fuerit tributum. Sufficerent iſta, ſiquidem credere fas foret, ex iſtis fontibus hauſiſſe Sequeſtrem. Verum aliunde abſque dubio hunc rivulum in ſua prata deduxit. Solet ex poëtarum Latinorum locis & interpretibus ſapere. Expediendum proinde reſtat, quis horum Nemeum montem dixerit. Non is erit profecto Servius, qui ad Virgilium Aen. L. VIII. v. 295.

\- - *& vaſtum Nemeae ſub rupe leonem.*

ita peſſime: *Nemea ſilva eſt vicina Thebis, in qua Hercules interemit leonem.* O.

## Olympus

v. Scholiaſtes Apollonii Rhodii ad L. I. v. 598. Ὄλυμποι δέ εἰσιν ἓξ· Μακεδονίας, Θετταλίας (ἐν ᾧ καὶ Ὀλύμπια φησὶν Ἀπολλόδωρος ἄγεσθαι) Μυσίας, Κιλικίας, Ἤλιδος, Ἀρκαδίας. Servius ad Virgilii Aen. L. IV. verſ. 168. *Claro demittit Olympo*) *Olympus quaſi ololampus dictus eſt: ſive mons ſit Macedoniae, qui dicitur eſſe diverſorium deorum, ſive caelum. Unde addit claro, ut Plemmyrium undoſum.* & ad Georg L. I. verſ. 282. *Olympum*) *Tertium montem Macedoniae; & tertium quaſi majorem involvere ait.* cf. quoque Scholiaſten Homeri ad L. I. Il. v. 420. HESSEL. *ſuper pluvias & nubes excedit*) hoc eſt, attollitur ſuper pluvias & nubes. Excedere pluvias etiam dicitur vitare pluvias, quam elegantiam Pater illuſtrat ad Livium L. XXXIV. c. 28. ſed h. l. melior eſt lectio MS. GRONOV. Tres ejus nominis urbes reperiri, unum promontorium & duodecim, (Heſychius quatuordecim) montes, tradit Ortelius. Urbes, in Lycia, in Pamphilia, in Cilicia. Promontorium in Cypro. Montes, in Cypro duo; in Peloponneſo duo, alterum in Arcadia, alterum in Elide; porro in Cilicia; in Lycia ignivomum; in Lydia; circa Aeolidem; in Lesbo; in Myſia duo, alterum juxta Antandrum ad Idam, alterum Idae quoque conterminum; in Panchaea inſula Oceani juxta Arabiam felicem, qui Ὀλυμπος τριφύλιος ſalutatus eſt & οὐρανοῦ δίφρος; demum in Macedonia, de quo hic ſermo. Eſt autem fratrum, ut ita dicam, facile princeps, poëtarum fabulis clariſſimus, gigantum immanibus auſis inclytus. Horatius L. III. ode 4. v. 49. ſeq.

*Magnum illa terrorem intulerat Jovi*
*Fidens juventus, horrida brachiis,*
*Fratreſque tendentes opaco*
*Pelion impoſuiſſe Olympo.*

Olympum hunc Theſſaliam a ſeptentrione claudere, refert Herodotus L. VII. c. 129. Ad ejus radices Dium, quod Macedoniae Pieriae fuit oppidum, ſitum narrat Thucydides

L. IV. c. 78. Inde Pierius quoque Olympus nuncupatur Theophraſto in hiſtoria plant. L. III. c. 3. & Piericus Aeliano Var. hiſt. L. VIII. c. 11. Clariſſime Pauſanias L. VI. c. 5. τούτου δὲ τοῦ ὄρους (Ὀλύμπου) ἡ μὲν ἐς Μακεδονίαν πλευρὰ, ἡ δὲ ἐπὶ Θετταλοὺς καὶ τὸν ποταμὸν τέτραπται τὸν Πηνειόν. Hodieque priſci nominis honorem ſervat. Sunt tamen, qui & *Lacha* appellari perhibeant. v. Brietius in parallel. P. II. p. 168. Altitudinis eximiae, qua omnia montium juga exſuperet Olympus, ſignum dat Apulejus, de Deo Socratis, quod *ſupra ejus verticem nulla avium ſublimetur.* Solinus plura addit cap. 13. *Olympum ab Homero non per audaciam celebratum docent, quae in eo viſitantur. Primo excellenti vertice tantus attollitur, ut ſumma ejus coelum accolae vocent. Ara eſt in cacumine Jovi dicata, cujus altaribus ſi qua de extis inferuntur, nec diſſlantur ventoſis ſpiritibus nec pluviis diluuntur, ſed volvente altero anno cujuſmodi relicta fuerint, ejuſmodi reperiuntur. Et omnibus tempeſtatibus a corruptelis aurarum vindicatur, quicquid ibi ſemel eſt Deo conſecratum. Litterae in cinere ſcriptae uſque ad alteram caerimoniam permanent.* Scite in hanc rem Claudianus de Manlii Theodori conſulatu v. 205.

> - - - - *ſed ut altus Olympi*
> *Vertex, qui ſpatio ventos hiemeſque relinquit,*
> *Perpetuum nulla temeratus nube ſerenum,*
> *Celſior exſurgit pluviis, auditque ruentes*
> *Sub pedibus nimbos & rauca tonitrua calcat.*

cf. & Apulejus de mundo p. 72. item Servius ad Virgilium Aen. L. IV. v. 270. qui Ὄλυμπον dictum tradit, quaſi ὁλόλαμπον, *totum ſplendentem.* In ejus ſummo Deorum eſſe ſedem fingebant veteres; inde & pro coelo acceptus. Evhemerus apud Lactantium de falſa religione L. I. c. 11. Jovem hominem maximam vitae partem in eo coluiſſe ſcribit. Boccacius iſta Solini atque Servii ſua facit. O.

## Oſſa

Scholiaſtes Apollonii Rhodii ad L. I. v. 598. Ὄσσα ὄρος πρὸς τῷ τέλει τῆς Θεσσαλίας, μετὰ ὁ διαδέχεται ἡ Μακεδονία. Schol. Callimachi ad hymn. in Del. v. 237. Ὄσσης) Ὄρος Θεσσαλίης. Lucanus L. VI. v. 333.

*Theſſaliam, qua parte diem brumalibus horis*
*Attollit Titan, rupes Oſſaea coërcet.*

HESSEL.

Theſſaliam ab ortu claudere Pelion & Oſſam junctis inter ſe radicibus, tum Oſſam ab Olympo anguſta foſſa ſejungi, per quam fluat Peneus, Herodoti teſtimonio conſtat L. VII. c. 129. 128. Scilicet Oſſam cum Olympo connexam fuiſſe olim ſcribunt, abruptam poſtea terraemotu. v. Strabo L. IX. p. 430. Idem L. XI. p. 530. Peneum Araxis inde nomen accepiſſe refert, quod Oſſam ab Olympo abrupiſſet & ſeſe per Tempe proripuiſſet. Ptolemaeus L. III. c. 13. Oſſam Macedoniae adſcribit, quod qui fiat, jam aliquoties dictum. Eos inter refertur montes a Plinio L. XXXI. c. 3. qui *undique veſtiuntur amnibuſque perfunduntur.* Ad fabulas quoque tractus eſt gigantum. Ovidius Metam. L. I. v. 154.

*Tum pater omnipotens miſſo perfregit Olympum*
*Fulmine, & excuſſit ſubjecto Pelio Oſſam.*

Nimirum, ut Seneca canit in Agamemnone v. 337. antea

\- - - *ſtetit impoſita*
*Pelion Oſſa, piniſer ambos*
*Preſſit Olympus.*

Nunc *Olira* quidam, alii *Coſſovo* vocari perhibent. v. Ortelius, item Brietius Praeterea Oſſae nomine & Campaniae mons quidam venit, quod teſtatur Iſacius Tzetzes ad Lycophronem ex Metrodoro; porro & Peloponneſi, cujus meminiſſe Ortelius Strabonem ſcribit & Euſtathium in Dionyſium; recte an ſecus, non vacat inquirere. Dein & urbem Macedoniae in Biſaltide & fluvium Tuſciae eodem nomine commemorat Ptolemaeus L. III. c. 13. & c. 1. O.

## Oeta

Servius ad Virgilii ecl. VIII. v. 30. *Oeta mons Theſſaliae, in quo Hercules exuſtus eſt volens, poſtquam ſe exuere non potuit tunica Neſſi centauri cruore tincta; & poſt in caelum receptus eſt.* Lutatius ad Statii Theb. L. IV. verſ. 158. *Omnia*) *Aut canunt omnia vaſtata monſtris, id eſt, purgata: aut certe omnia audit Hercules in frondoſa Oeta poſitus, quae vaſtata eſt monſtris; in qua eſſet crematus Hercules eo loco, cui Preſtion nomen eſt.*

Loco *Theſſaliae* legit *Thraciae* Jac. Ouzelius ad Minucium Fel. p. 203. unde, neſcio. De Hercule v. Statius Theb. L. XI. v. 234.

> *Qualis, ubi implicitum Tirynthius oſſibus ignem*
> *Senſit & Oeteas membris accedere veſtes,*
> *Vota incepta tamen libataque tura ferebat;*
> *Durus adhuc, patienſque mali, mox grande coactus*
> *Ingemuit, victorque furit per viſcera Neſſus.*

cf. & Silv. III. carm. 1. v. 6. item Lucanus L. VIII. v. 800. (reſpice ad *Nyſam* pag. noſtra 343.) porro idem L. III. v. 177. ubi *Herculeam Oeten* dicit. Demum Propertius Cynth. eleg. XIII. v. 23. Legito praeterea Senecae Herc. Oetei argumentum unum & alterum. Ovidii metam. L. IX. fab. 4. argumentum. Lutatii ad Statii Theb. L. XI. v. 235. χόλιον. Id Nic. Heinſius ad Ovidii epiſt. heroïd. IX. v. 141. τῷ *Evenum* implet bene: in eo quoque *Deianiram* legi debet pro *Deianyram*. HESSEL. Ut Olympus ad boream, ſic Oeta ad auſtrum terminabat Theſſaliam. Notum, hac parte, qua ad orientem ſpectabat ſolem ea regio, fuiſſe Thermopylas, quas ſimul cum Oeta adjacente deſcribit Strabo L. IX. p. 428. Τὸ δ' ὄρος διατείνει ἀπὸ Θερμοπυλῶν ἡ τῆς ἀνατολῆς μέχρι πρὸς τὸν κόλπον τὸν Ἀμβρακικὸν ἡ τὴν ἠπείρον· τρόπον δέ τινα ἡ πρὸς ἑσπέραν τέμνει τὸν ἀπὸ τοῦ Παρνασσοῦ μέχρι Πίνδου, ἡ τῶν ὑπερκειμένων βαρβάρων ὀρεινὴν τὸ ὄρος τοῦτο. Τούτου δὴ τὸ μὲν πρὸς Θερμοπύλας νενευκὸς μέρος Οἴτη καλεῖται, σταδίων διακοσίων τὸ μῆκος, τραχὺ ἡ ὑψηλόν. Itaque ea juga, quae inter

Parnaſſum & Pindum procurrebant maxime verſus Thermopylas, Oetam montem conſtituebant. Pars ejus vocatus Καλλίδρομος, ipſis imminens πύλαις ſive anguſtiis. Iſta Strabonis maximam partem repetiit Livius L. XXXVI. c. 15. qui *ibi unam eſſe militarem viam* addit, *qua exercitus traduci poſſint.* Herculis in eo monte combuſtio apud Hyginum fab 36. ſat fuſe narratur. *Induta ſcilicet veſte tincta centauri Neſſi ſanguine & ſubmiſſa ſibi ab inſcia mali Dejanira, ſtatim flagrare Hercules coepit. Qui cum ſe in flumen conjeciſſet, ut ardorem extingueret, major flamma exibat. Demere autem quum vellet, viſcera ſequebantur, - - - Tunc dicitur Philoctetes Poeantis filius pyram in monte Oetaeo conſtruxiſſe Herculi, eumque accendiſſe mortalitatem.* cf. & Apollodorus L. II. Lugubri argumento uſi e Graecis Sophocles, e Latinis Seneca; iſte in Τραχινίαις, hic in Hercule Oetaeo. Creditum quoque in figuris prominentibus zophori ejus conſpici, quo vulgo dicta Herculis Lucerna Athenis ſuperbit. Vanum id eſſe, Stuartius Anglus in eximio opere monumentorum Athenienſium demonſtratum ivit, oſtenditque, aedificium ipſum Choragicam Lyſicratis aediculam eſſe, in cujus zophoro piratae a Baccho in Delphines converſi ſiſtantur, prorſus eo modo, quo rem narrant Homerus in hymno in Bacchum & Ovidius metam. L. III. v. 577. Oetae, quam ſuo more Macedoniae adſcribit Ptolemaeus, nunc nomen eſſe *Bunina* volunt. v. Ortelius, qui & obſervat, urbem in eo tractu memorari, in cujus rei teſtimonium poterat praeter Antoninum Liberalem cap. 32. Stephanum quoque Byz. excitare, qui ſimul incolas Oetaeos dictos tradit, quod ex hiſtoricis ſcriptoribus ſatis cognitum. Nominantur & Oetaei montes & ſaltus. O.

## Othrys

*Thraciae*) Legendum eſt *Theſſaliae*, ne communem in ſententiam peccetur: namque a ſcholiaſte Apollonii Rhod. ad L. II. v. 517. audit, Ὄθρυς ὄρος Θεσσαλίας ὑψηλὸν, ab aliis

item. HESSEL. Lege *Theſſaliae*. v. Servium ad Virgilii Aen. L. VII. v. 675. ubi *Homolen Othrymque nivalem*) *montes Theſſaliae*. GRONOV. Theſſaliam a meridie terminabat Othrys mons, ut docet Herodotus L. VII. c. 129. quem locum mox recitavimus. Teſte Strabone L. IX. p. 433. imminet Phthiotidi verſus ſeptentrionem. Ἄλλο ὑπὸ τῷ πίρατι κεῖται τῆς Ὄθρυος ὄρους πρὸς ἄρκτον κειμένου τῇ Φθιωτίδι. Ptolemaeo quoque in nominandi caſu Ὄθρυς vocatur L. III. c. 12. non Ὄθρυο-, ut refert Ortelius in voce *Thermopylae*. Lucano, qui ſitum omnem Theſſaliae ex Herodoti L. c. deſumtum in ſuum L. VI. tranſtulit, *nemoroſus* ſalutatur *Othrys*. Euripides in Alceſtide v. 568. ſeq. leonibus infeſtatum deſcribit:

Ἔβα δὲ λιποῦσ' Ὀθρύ-
ος νάπαν λεόντων
ἀ δαφοινὰς ἴλα.

Lapitharum fuiſſe ſedem Plinius teſtatur L. IV. c. 8. Iſtorum cum Centauris bella narrat Diodorus Sic. L. IV. c. 72. & Hyginus Fab. 33. Thraciae quod adſcribat Vibius Othrym, id eo forſan excuſari poſſet, quod in Boeotiam uſque delatum Thracum nomen, teſte Strabone L. X. p. 471. Θρᾷκες οἱ τὴν Βοιωτίαν ἐποικήσαντες. Verum erraſſe heic quendam, cujus manu noſter ſit deſcriptus, facile crediderim. Poëtarum ſcholiaſtae Theſſaliae tribuunt montem; at hos ſequi ſolet noſter. Dein ſic ſatis ſibi conſtare conſuevit; ſupra autem pag. 9. habet ita: *Enipeus e monte Othry Theſſaliae*. cf. & pag. 106. Itaque & in loco hoc noſtro *Theſſaliae* legendum, non *Thraciae*. O.

## Oeniphile

En rurſus Dyrrachii montem, nemini notum. Boccacius exſcripſit noſtrum: *Oeniphile Dyrrachii mons eſt*. Si ſanum nomen montis apud Vibium, crediderim equidem, *Oeniphilen* vel *Oeniphylen*, utroque modo enim pingitur in ſcriptis libris, ad eum ſpectare tractum, in quo Ptolemaeus Οἰνίας

ποτ. ἐμβολὰς locat L. II. c. 17. Eodem forſan pertinet & Oeneates vinum, cujus bonitatem laudat Plinius L. IV. c. 7. Calydonium tamen putat intelligendum Harduinus ad h. l. Nomen Oeniphiles ἀπὸ τοῦ οἶνος *a vino* deducendum videtur omnino. Qui Illyricana ſequioris aevi ſcripta excuſſerit, forſan nodum ſolvet felicius. *Oemphyle*, ut legebatur olim in Vibio, rejiciendum exiſtimo. O.

## Parnaſſus

De orthographia conſulito Erythraei indic. in Virgilium in voc. Caſauboni comm. ad Perſii prol. v. 2. Pierii var. lect. in Virgilii ecl. X. v. 11. & alios. De monte ipſo lege Schol. Pindari ad Nem. od. II. v. 29. Παρνασσὸς ὄρος τῆς Φωκίδος τῆ Πυθοῖ. Probum ad Virgilii Georg. L. II. v. 18. *Parnaſia laurus*) *dicitur, quia ſubjecta eſt Apollinis tutelae; cujus oraculum Delphicum Parnaſo monti Phocidos ſubeſt.* De duobus verticibus ſcholiaſten Euripidis ad Phoen. v. 235. Lutatius ad Statii Theb. L. VII. verſ. 347. *Parnaſſus mons eſt Phocidos, qui in duo juga dividitur, id eſt, in Cyrrham & Nyſam. Cyrrha ergo etiam civitas dicitur circa montem Parnaſſum ſita. Haec habet ſtagnum Apollini conſecratum, de quo ipſe ſuperius; Si ſtagna petii Cyrrhaea bicorni.* adde *Interfuſa jugo.* Ad quae verba L. I. verſ. 62. idem grammaticus; *bicorni*) *Id eſt, bicipiti Parnaſo, ut Perſius; Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſo Memini. Item Lucanus; Unoque jugo, Parnaſe, latebas.* Ex Poetis ipſis conſulatur porro Ovidius metam. L. I. v. 316. Statius Theb. L. VII. v. 346. Lucanus L. III. v. 172. & L. V. v. 71. Seneca Oed. v. 227 & 279. HESSEL.

Parnaſſi ſitum Strabo enarrat L. IX. p. 416. Διττὴ γάρ ἐστι διηρημένη ὑπὸ τοῦ Παρνασσοῦ δίχα. . . . ἐν μέσῳ δὲ ἀμφοῖν τῶν τε ἑσπερίων καὶ τῶν ἑτέρων Παρνασσὸς, παραμήκης εἰς τὸ προσάρκτιον μέρος ἐκτεινόμενος, ἀπὸ τῶν περὶ Δελφοὺς τόπων, μέχρι τῆς συμβολῆς τῶν τε Οἰταίων ὀρῶν καὶ τῶν Ἀσπραλικῶν καὶ τῶν ἀνὰ μέσον Δωρίων. Poſt pauca totum eſſe ſacrum Par-

naſſum commemorat, habereque ſpecus & alia loca religioſe culta, in quibus & Corycium antrum ejuſdem cum Cilicio nominis, de quo nos ſupra pag. 312. cf. & Dicaearchus in ſtatu Graeciae v. 76. Cultus in Parnaſſo vigebat maxime Bacchi & Apollinis, teſte Pauſania L. X. c. 32. unde & Lucanus L. V. v. c.

*- - - Parnaſſus gemino petit aethera colle,*
*Mons Phoebo Bromioque ſacer; cui numine miſto*
*Delphica Thebanae referunt Trieterica Bacchae.*

Ob bina juga *uterque* ſalutatur Statio Parnaſſus, *biceps* Senecae l. c.

*Secat una gratum Phocidos Baccho ſolum,*
*Unde altus ima deſerit, coelum petens*
*Clementer acto colle, Parnaſſos biceps.*

Νιφόεντα Παρνησσὸν vocat Dionyſius perieg. v. 439. *Larnaſſum* prius nominatum tradit Stephanus Byz. διὰ τὸ τὴν Δευκαλίωνα λάρνακα αὐτόθι προσενεχθῆναι; addit ἔνιοι δέ φασιν, ἀπὸ Παρνασσοῦ Παρνασσὸν τὄνομα λαβεῖν, ὃν ἡ μαντεύεσθαι Πυθοῖ πρῶτον. Parnaſſo hodieque priſtinum nomen reſtat. Quae Wheelero Sponioque in luſtrandis Parnaſſo, Caſtaliae & Corycio antro animadverſa ſunt, v. in iſtius itinere T. II. p. 348. ſeq. Fuit & urbs Galatiae Parnaſſi nomine inſignita olim, cujus mentio in Antonini itinerario, itemque in Hieroſolymitano & apud Gregorium Naz. ep. 164. cf. Weſſelingius ad Itin. Ant. p. 144. qui ſcite locum mire corruptum pag. 524. emendat. Legebatur ibi *Inſulae Parnaſſi montis Dryopes*; legit *Incolae Parnaſſi montis Dryopes*, cui conjecturae favent Strabo L. VIII. p. 373. & Pauſanias in Meſſen. c. 35. O.

## Pindus

Scholiaſtes Pindari ad Pyth. od. IX. verſ. 27. Ὃν ποτε Πίνδῳ κλεινᾶις ἐν πλυχαῖς) Τῷ Θετταλικῷ ὄρει. Πίνδος γὰρ ὄρος Περραιβίας. Ἡ δὲ Περραιβία τετράπολις τῆς Θεσσαλίας. Porphyrion ad Horatium L. I. od. 12. verſ. 6. *Pindus Theſſaliae mons.*

*mons. Luc. Pindus agens gemitus.* Enarrator Cruquianus; *Pindo*) *Theſſaliae monte.* Servius ad Virgilii ecl. X. verſ. 11. *Parnaſſus mons Boeotiae, Pindus Theſſaliae, ambo Apollini & Muſis conſecrati.* HESSEL.

Pindus, nunc *Mezzovo*, Theſſaliam a Macedonia & Epiro ſejungebat. Ad occaſum claudebat Theſſaliam, ut Pelion & Oſſa ad auroram, Olympus ad Aquilonem, Othrys ad meridiem. Herodotus L. VII. c. 129. Sed Othryi jungendus & Oeta. v. pag. noſtra 348. Juga Pindi quo ſpectarint, Strabo declarat L. IX. p. 434. Locum leges ſupra pag. noſtra 42. Hinc patet, cur a Ptolemaeo tribuatur Macedoniae L. III. c. 13. *Thrax* & *Threïcius* ſalutatur Senecae in Herc. fur. v. 1285. & in Oedipo v. 434. quod Thraciae limites olim eo uſque protenſi. Diſplicet Ortelii conjectura, a Thrachine oppido derivantis cognomen. Ex Pindo multa exorta ſunt flumina; in his Achelous, v. pag. 2 & 42. Aeas, v. Scylax in periplo, ubi de Illyriis. Evenus, teſte Dicaearcho in ſtatu Graeciae v. 61.

- - ποταμὸς τ' Ἔυηνος ἐκ Πίνδου ῥέων.

Peneus, cf. pag. noſtra 162. Inachus, v. pag. 135. De Pindo oppido fluvioque Dorienſium Strabo L. IX. p. 427. πόλεις δ' ἔχον Ἐρινεὸν, Βόϊον, Πίνδον, Κυτίνιον· ὑπέρκειται δ' ὁ Πίνδος τοῦ Ἐρινεοῦ· παραῤῥεῖ δ' αὐτὴν ὁμώνυμος ποταμὸς, ἐμβάλλων εἰς τὸν Κηφισσὸν οὐ πολὺ τῆς Λιλαίας ἄπωθεν· τινὲς Ἀκύφαντα λέγουσι τὸν Πίνδον. O.

## Parthenius

Servius ad Virgilii ecl. X. v. 57.

- - - *non me ulla vetabunt*
*Frigora Parthenios canibus circumdare ſaltus.*

*Parthenius mons eſt Arcadiae, dictus a virginibus, id eſt,* ἀπὸ τῶν παρθένων, *quae illic venari conſueverant.* Scholiaſtes Callimachi ad hymn. in Delum verſ. 71. Ὄρος Ἀρκαδίας τὸ Παρθένιον, ἔνθα τὴν Αὔγην τὴν Ἀλεοῦ θυγατέρα, ἱέρειαν τῆς Ἀθηνᾶς, ἔφθειρεν Ἡρακλῆς. HESSEL. *Parthenos* Illyricam

gentem; *Partheniam*, *Parthenien*, *Parthenium*, *Parthenicum* urbes Illyridos, Arcadiae, Euboeae, Myſiae, Siciliae, Cherſoneſi Tauricae memorant veteres. Nota & *Parthenope* ſive Neapolis. Occurrit porro *Parthenias* & *Parthenius*, qui Peloponneſum, Samum, Aſiam minorem, Paphlagoniam, Ciliciam rigabat. Eſt & *Parthenium* mare, pars mediterranei. *Parthenius* portus in Bruttio littore. cf. Ortelius. Promontoria *Parthenia* adeoque Parthenii montes frequentiſſime nominantur. In Taurica Cherſoneſo promontorium, cui hodie *Capo Roſafar* nomen, Parthenium a templo virginis cujuſdam, forſan Dianae, ibi ſtructo dictum, refert Strabo L. VII. p. 308. Id templum in urbe eſt Heracleotarum, ἐν ᾗ τὸ τῆς παρθένου ἱερὸν, δαίμονός τινος, ἧς ἐπώνυμος καὶ ἡ ἄκρα ἡ πρὸ τῆς πόλεως ἐστὶν ἐν σταδίοις ἑκατὸν, καλουμένη Παρθένιον, ἔχων νεὼν τῆς Δαίμονος καὶ ξόανον. Meminere iſtius promontorii Mela L. II. c. 1. Plinius L. IV. c. 12. Ptolemaeus L. III. c. 6. Aliud eodem nomine in Lydia ponit Scholiaſtes Nicandri in Theriacis; ad Narthecuſam quandam inſulam Plinius L. II. c. 89. prope Heracleam Stephanus Byz. ex Artemidoro. Arcadiae mons, de quo Vibius, ſupra Tegeam fuit. Ita Herodotus L. VI. c. 105. τῷ δὲ . . . περὶ τὸ Παρθένιον οὔρος, τὸ ὑπὲρ Τεγέης ὁ Πὰν περιπίπτει. Strabonis teſtimonium occupavit pagina noſtra 331. aliud habes apud eundem L. VIII. p. 376. cf. debet & Mela L. II. c. 3. & Livius L. XXXIV. c. 26. Noſter ſua ex Servio hauſit ad Virgilii l. c. O.

## Phanaeus

Ariuſia Chii vina, de quibus ſupra pag. 289. certatim laudibus extollunt veteres; Phanaea, quantum ſciam, ſolus praedicat Virgilius Georg. L. II. v. 97.

*Sunt etiam Ammineae vites, firmiſſima vina:*
*Tmolus & aſſurgit quibus, & rex ipſe Phanaeus,*
*Argitiſque minor: cui non certaverit ulla*
*Aut tantum fluere, aut totidem durare per annos.*

ubi Servius inter alia : *quibus vitibus cedit Tmolus & Phanaeus montes, vitibus conſiti . . . Tmolus eſt Ciliciae ; Phanaeus mons eſt in promontorio Chii, dictus a Phanaeo rege . . Rex ipſe Phanaeus*) *De Lucilio hoc tractum eſt, qui ait., Chios te dynaſta, id eſt* εἰς. Φάναια ἄκρα Ptolemaeo memorata L. V. c. 2. hodie *Capo Maſticho* item *Panale* audit. Antiquum nomen ortum a Phanis portu, cui, ut puto, imminebat. Strabo L. XIV. p. 645. εἶτα Φάναι λιμὴν βαθὺς καὶ νεὼς Ἀπόλλωνος καὶ ἄλσος Φοινίκων. Suſpicatur Caſaubonus, legendum hic Φάναι καὶ λιμήν; verum neceſſe non eſt, firmat Strabonis verba Livius L. XXXVI. c. 43. *Romani, ubi primum aquilones . . . cecidere, ab Delo Phanas, portum Chiorum in Aegaeum mare verſum, petunt.* Stephanus promontorium ipſum Phanas dicit, etymonque indicat. Φάναι, ἀκρωτήριον τῆς Χίου, ἀπὸ τοῦ ἀναφανῆναι τῇ Λητοῖ τὴν Δῆλον. Οἱ οἰκήτορες Φαναῖοι. Caeterum Phanas quoque inſulas circa Joniam ad Epheſum Plinius habet L. V. c. 31. Phanam oppidum Italiae Stephanus l. c. Intelligendum eſſe Fanum Fortunae, arbitratur Ortelius. Apud Ravennatem anonymum locus deſcribitur *Phanas*, a Fano Fortunae diverſus, quod is *Fano* vocat. *Phanas*, ipſi eſt *non longe a civitate Tarſatico provinciae Liburniae.* In Aegypto eidem eſt oppidum *Phanis.* In Arabia quoque urbs Phana recenſetur Euſebio ; item in Aetolia Pauſaniae in Phocicis cap. 18. O.

## Palatinus

Livius L. I. c. 5. *Jam tum in Palatino monte Lupercal hoc fuiſſe ludicrum ferunt, & a Pallanteo urbe Arcadica Palatium, dein Palatinum montem appellatum.* Alias nominis cauſſas cumulat Paullus Diaconus ; quae ſaltem copia, ut in etymologica re fieri conſuevit, eo valet, ut incertam dubiamque originem eſſe ſentiamus. Vix enim aptiora ſunt iſta ſomniis ridiculi capitis, quod collem Palatinum ἀπὸ τοῦ τῶν ὁ πλατῦνας deducere ſatagit. Jacobum Hugonem intelligo, qui in vera, ſi Diis placet, hiſtoria Romana Japhetum

Romam ad Tiberim condidiſſe; ab eo *Patre Lato* dictum eſſe *Latium* praedicat; Latinam linguam ex Hebraea prono fluere alveo; Aeneam D. eſſe Petrum; Ilium Solymam; Iliadem Homeri & fabulas de bello Trojano narrari de Solyma & de actis Apoſtolorum; Aeneide praedici iter Petri in Latium & Romam, & quae ſunt hujus farinae plura, quae in publicam lucem protrudere non erubuit a. 1655. refutata, ſed profecto non erat tanti, ab Eb. Rothio Jenae 1672. O.

## Pelios

*Thraciae*) Simlerus *Theſſaliae.* recte. Martialis L. VIII. epigr. XXXVI. v. 5.

*Septenos pariter credas aſſurgere montes:*
*Theſſalicum brevior Pelion Oſſa tulit.*

ſcholiaſtes Callimachi ad hymn. in Delum verſ. 104. ᾗ αἱ Χειρωνίδες ἄκραι) Τὸ Πήλιον ὄρος τῆς Θεσσαλίας, διὰ τὸ τὸν Χείρωνα ἐκεῖ διατῆσαι. Servius ad Virgilii Georg. L. I. v. 281. *Pelio Oſſam*) *Monti Theſſaliae.* & ad L. III. verſ. 94. *Pelion*) *Montem Theſſaliae, in quo Chiron habitavit.* Lutatius ad Statium Theb. L. III. verſ. 518. *Theſſala autem pinus Argo, quae in Pelio monte Theſſaliae fabricata eſt.* ad L. V. verſ. 336 *pinus Pelias*) *Argo navim dicit, quae in Pelio monte Theſſaliae fabricata eſt.* & ad L. VI. verſ. 375. *Montem Pelion in Theſſalia eſſe, notiſſimum eſt; prope quem Deus Apollo Admeti regis pavit armenta.* HESSEL.

Ad ortum Theſſaliae Pelion fuit, teſte Herodoto L. VII. c. 129. & Plinio L. IV. c. 8. *Thraciae* Sequeſter vix attribuerit; obſtant certe loca gloſſatorum, ab Heſſelio producta, in quibus Theſſalia memoratur, non Thracia. At iſtos ſequi ſolet noſter. Librarios homines ſaepe fluctuaſſe & ex ingenio ſcripſiſſe, ſatis conſtat, adleviſſe item variis margini, quae inde in ſeriem translata ſunt ſcriptorum. Hoc loco exemplum ejus rei manifeſtum adeſt.

In codice Parisino I. legitur: *Pelios Thraciae in Thessalia.* Nomen hodiernum montis *Petras.* cf. Brietius. O.

*Lapithae*) Statius Achill. L. I. v. 38.

*- - - quid enim cunabula parva*
*Pelion & torvi commisimus antra magistri?*
*Illic, ni fallor, Lapitharum praelia ludit*
*Improbus & patria jam se metitur in hasta.*

HESSEL.

Strabo L. IX. p. 439. Λαπίθαι κατέσχον αὐτὰ τὰ χωρία, Ἰξίων καὶ ὁ υἱὸς Πειρίθους, ὃς καὶ τὸ Πήλιον κατεκτήσατο, βιασάμενος τοὺς κατασχόντας Κενταύρους ἄγριόν τι φύλον. Addit p. 440. Perrhaebos quoque, qui habitarant ad Peneum prope Tempe, pulsos & abactos esse a Lapithis. De horum bello cum Centauris plura dabit Diodorus Sic. L. IV. c. 72. & Hyginus fab. 33. O.

## Pangaeus

*Pangaea* & *Pangaeus* Barthius ad Claudianum in Rufinum L. I. vers. 337. edit. Hanov. & vers. 339. edit. Amstelod. Heins. voce *mons* huc addita, sic *Pangaea mons Thraciae in Thessalia*, illuc sic *Pangaeus Thraciae & Macedoniae mons*; ut ἐν τοῖς τοιούτοις videtur aliquando fieri solere. Praeterea *Pangaeum mons est Thraciae. Vibius Seq.* legitur apud eundem Barthium ad Claudian. paneg. in IIII. consul. Honor. vers. 179. edit. Hanov.

*Thraciae & Macedoniae*) *Thraciae in Italia* MS. Rev. *Thraciae in Thessalia* edit. Florent. neutiquam probe. *Thraciae & Macedoniae* edit. Tolos. sic satis probe, Pangaeus enim mons Thraciae est Macedoniaeque Adjectae; lege Cellarium Geogr. antiq. L. II. cap. 13. & cap. 15. Vulgo tribuitur hic mons Thraciae v. Silius L. II. v. 73. Scholiastes Callimachi ad hymn. in Delum vers. 134. Πάγγαιον ὄρος Θρᾴκης. Servius ad Virgilii Georg. L. IV. vers. 461. *Rhodope mons est Thraciae, sicut Pangaea.* Philargyrius ad vers. 462. *Pangaea Thraciae montes.* Lutatius ad Statii Theb. L. VI. vers. 666. *Pangaea mons est Thraciae, unde Lucanus;*

*Video Pangaea nivoſis*
*Cana jugis . . .*

Verum ab eodem tamen Lutatio ad Statii Theb. L. X. verſ. 512. tribuitur hic mons Macedoniae; *Pangaea*) *Mons Macedoniae, vel Maenala.* quae poſtrema duo verba aequaquam ad hanc rem quadrant. Eſt itaque *vel Maedicae*, ni fallor, legendum; vide Cellarium Geogr. antiq. L. II. c. 15. ne ſim longus in excutienda Barthii emendatione conjecturali. *Pangaea* ſcholiaſtes Barthianus interpretatur itidem *promontoria Macedoniae.* Spanhemium, amabo, lege ad Callimachi hymn. in Delum verſ. 134. Huc autem MS. Rev. addit *Pholoë Thraciae, ubi centauri nati.* HESSEL. Hic quoque manifeſta eſt obſcura librariorum hominum diligentia. Scripſit Vibius dubio procul: *Pangaeus Thraciae.* Ad marginem adjecere alii *& Macedoniae*, alii *& in Theſſalia*, unde ortum & illud *in Italia.* Deſcribit Pangaeum Herodotus L. VII. c. 112. τὸ Πάγγαιον οὔρεος, ἐὸν μέγα τε καὶ ὑψηλόν, ἐν τῷ χρύσειά τε καὶ ἀργύρεια ἐστι μέταλλα· τὰ νέμονται Πίερές τε καὶ Ὀδόμαντοι καὶ μάλιστα Σάτραι, ὑπεροικέουσι δὲ τὸ Πάγγαιον πρὸς βορέω ἀνέμου, Παίονες, Δοβηρές τε καὶ Παιόπλαι παρεξιόντι . . . ſcilicet Xerxes. Ex his certo modo ſitus ejus patet. Neſtum amnem adluiſſe eum refert Plinius L. IV. c. 11. *Beſſorumque multa nomina ad Neſtum* (hodie *Meſtro*) *amnem Pangaei montis ima ambientem, inter Elethos, Diobeſſos* &c. Ad Philippos juga protendit, teſte Dione Caſſio L. XLVII. p. 347. πᾶσαν τὴν μέχρι τοῦ Παγγαίου γῆν προκαθεζόμενοι καὶ πρὸς τοῖς Φιλίπποις στρατοπεδευσάμενοι· τὸ δὲ δὴ ὄρος τοῦτο παρά τε τῷ Παγγαίῳ καὶ παρὰ τῷ Συμβόλῳ κεῖται. Seneca Tragicus hujus montis paſſim meminit. Lucani locum L. I. v. 679. dedit Heſſelius. cf. & L. VII. v. 482. Nomen Pangaei, ut ſolet, a nomine Pangaei Martis & Critobules filii, qui conſcientiae furiis exagitatus manus ſibi in iſto intulerit, derivat ψευδο- Plutarchus in Hebro; prius Carmanium ſalutatum narrat. Hodie *Caſtagnatz* dicitur accolis, teſte Bellonio, qui & *Malaca* nuncupari addit; prius id nomen in D'Anvillii tabulis reperio. O.

## Pholoë

*Pholoë Thraciae*) Pholoë mons Arcadiae eſt, ut Plinius teſtificatur nat. hiſt. L. IV. cap. 6. *Montes in Arcadia, Pholoë cum oppido.* item Strabo L. VIII. pag. 357. Καὶ ἡ Φολόη δ' ὑπέρκειται τῆς Ὀλυμπίας ἐγγυτάτω ὄρος Ἀρκαδικὸν, ὥστε τὰς ὑπωρείας τῆς Πισάτιδος εἶναι. aliiſque locis. Ovidium auſculta faſt. L. II. verſ. 271.

*Pana deum pecoris veteres coluiſſe feruntur*
*Arcades. Arcadiis plurimus ille jugis.*
*Teſtis erit Pholoë, teſtes Stymphalides undae;*
*Quique citis Ladon in mare currit aquis.*

vide Car. Neapolis ἀνάπλυξ ad Ovidii faſt. II. num. 93. *Pholoë vero mons Theſſaliae & Arcadiae* eſt, ut ſcholiaſtes Barthianus loquitur ad Statii Achill. L. I. verſ. 168. *Silva eſt Theſſaliae dicta a Pholo centauro, qui eam incolebat;* ut Lutatius loquitur ad Statii Achill. L. I. verſ. 238.

*ubi centauri nati*) Scholiaſtes Barthianus ad Statii Theb. L. III. verſ. 604. *Pholoes*) *Theſſaliae, ubi centauri fuerunt.* Lege Lutatium ad Statii Achill. L. I. verſ. 238. HESSEL.

Mela L. II. c. 3. *In Arcadia montes Pholoë, Cyllenius, Parthenius, Maenalus.* Ita conſtanter Geographi; qui non alium norunt montem hoc nomine dictum. Neque a Poëtis in Theſſalia diſertis verbis locatur Pholoë; quod enim Placido Lutatio, quem citavit Heſſelius, ſuppetias ferre Quintum Calabrum, rectius Smyrnaeum, refert Ortelius, id fruſtra facit. Meminit is quidem Pholoës & Herculis in ejus cacuminibus Centauros caedentis, verum regionem, in qua res geſta fuerit, non nominat. En ejus verba L. VII. v. 107. ſeq.

Ἀλλ' ἔπετ' Ἀργείοισι χολούμενος, εὖτε πάρωθεν
Ὄμβριμος Ἡρακλῆς Φολόης ἀνὰ μακρὰ κάρηνα
Κενταύροις ἐπόρουσεν, ἑῷ μέγα κάρτει θυμῷ·
Τοὺς ἅμα πάντας ἔπεφνε, νῦ ὠκυτάτους περ ἐόντας,
Καὶ κρατεροῦ, ὀλοοῦ τε δαήμονας ἰωχμοῖο.

Interim verum eſt, pugnam Herculis & Centaurorum ad Theſſaliam referri a priſcis. v. quae ad Othrym notavimus pag. 350. Atque haec forſan ratio, ob quam Pholoën in Theſſalia quaeſiverint ſcholiaſtae laudati. Verum opus haud erat. Diodorus Sic. L. IV. cap. 72. ubi bellum omne Lapitharum & Theſei cum Centauris enarrat, victos in Pholoën Arcadiae fugere eſſe compulſos tradit. Thraciae quod Vibius eum adſignet, id ipſi an librariis tribuendum, haereo dubius. Boccacius Pholoën prorſus ignorat. Ex eo monte caeterum Selleis amnis prolabitur, teſte Strabone L. c. pag. 338. Nigrum atque Brietium ſi audiamus, Pholoë nunc *Xiria* nuncupatur. Gemiſti aevo vocabatur *Aſtras*. v. Ortelius. Antiquum nomen *Pholoës* Centauro debebat *Pholo*, Herculis amico, teſte Diodoro Sic. L. IV. cap. 12. Ἴδιον δέ τι συνέβη περὶ τὸν Ἡρακλέους φίλον τὸν ὀνομαζόμενον Φόλον. Οὗτος γὰρ διὰ τὴν συγγένειαν θαπτῶν τοὺς πεπτωκότας κενταύρους, καὶ βέλος ἐκ τινος ἐξαίρων, ὑπὸ τῆς ἀκίδος ἐπλήγη, καὶ τὸ τραῦμα ἔχων ἀνίατον ἐτελεύτησεν. ὃν Ἡρακλῆς μεγαλοπρεπῶς ἔθαψεν ὑπὸ τὸ ὄρος, ὃ σήλης ἐπιδέξου γέγονε κρείττων. Φολόη γὰρ ὀνομαζόμενον, διὰ τῆς ὁμωνυμίας μηνύει τὸν ταφέντα· καὶ οὐ δι' ἐπιγραφῆς. cf. & Apollodorus L. II. c. 5. Ad Pholum hunc reſpicit Quintus Smyrnaeus paralip. L. VI. v. 273. ubi inter praeclara Herculis geſta, in Eurypyli ſcuto exſculpta, haec habet:

Κενταύρων δ' ἐτέτυκτο πολυσθενέων μέγας κάρτος
Ἀμφὶ Φόλοιο μέλαθρον - - - -

Ita ſcilicet ex Laur. Rhodomanni emendatione; prius enim legebatur πόλοιο. Apud Virgilium Aen. L. V. v. 285. *Pholoë* ſervae nomen eſt. O.

## Pyrenaeus

Euſtathius ad Dionyſii orbis deſcript. v. 288. Πυρήνη δὲ ὄρος μέγιστον διαχωρίζον τὴν Ἰβηρίαν καὶ τὴν Κελτικήν. & ad verſ. 338. Ἔχει δὲ ἡ Πυρήνη τὰς ἀρχὰς ἀπὸ τῶν βορείων ὠκεανῶν, καὶ διήκει ἕως εἰς τὴν ἑσπερίαν θάλασσαν, καὶ διορίζει Κελτούς τε καὶ Ἰβηρας. v. porro Silius L. III. v. 417. item ſchol. Dionyſii

ad v. 338. HESSEL Nomen montis *Pyrene*, adjectiva forma *Pyrenaeus*. Utrumque Silius Ital. L. III. v. 415 seq.

*At Pyrenaei frondosa cacumina montis*
*Turbata Poenus terrarum pace petebat.*
*Pyrene celsa nimbosi verticis arce*
*Divisos Celtis late prospectat Hiberos*,
*Atque aeterna tenet magnis divortia terris.*

Porro a Pyrene Bebrycis regis filia, Herculi minus decenter amata & a bestiis dilacerata, dictum montem tradit:

*Nomen Bebrycia duxere a virgine colles*,
*Hospitis Alcidae crimen* &c.

Fabulae huic commentum aliud substituit Bochartus, quod etymon Pyrenae suppeditare jubet. „ Non absurde, in „ Chan. L. I. c. 35. ait, videtur id posse deduci nomen „ ex Phoenicio פארני *purani* pro *ramoso* & *opaco*. Nempe „ Hebraeis פארה *pura* vel *pora* est *ramus* . . . Ramosum „ autem fuisse Pyrenaeum saltem a parte Hispaniae, vete- „ res diserte docent. Strabo L. III. p. 161. τῆς Πυρήνης τὸ „ μὲν Ἰβηρικὸν πλευρὸν εὔδενδρόν ἐστι παντοδαπῆς ὕλης, καὶ τῆς „ αἰειθαλοῦς· τὸ δὲ Κελτικὸν ψιλόν. Simili modo Diodorus „ Sic. L. V. c. 35. & Silius Ital. l. c. „ Forsan propior vero Diodori videbitur non nemini sententia, qui l. c. ex incendio dictam Pyrenen docet, simulque montis indolem describit: Τὰ Πυρηναῖα . . . δὲ καὶ κατὰ τὸ ὕψος καὶ κατὰ τὸ μέγεθος ὑπάρχει διάφορα τῶν ἄλλων. παρήκει γὰρ ἀπὸ τῆς κατὰ τὴν μεσημβρίαν θαλάττης σχεδὸν ἄχρι πρὸς τὸν ὑπὸ τὰς ἄρκτους ὠκεανὸν, διείργοντα τὴν Γαλατίαν καὶ τὴν Ἰβηρίαν, ἔτι δὲ τὴν Κελτιβηρίαν παρεκτείνει σταδίους ὡς τρισχιλίους. πολλῶν δὲ ὄντων ἐν αὐτῇ δρυμῶν καὶ πυκνῶν τοῖς δένδρεσι, φασὶν ἐν τοῖς παλαιοῖς χρόνοις ὑπό τινων νομέων ἀφέντων πῦρ κατακαῆναι παντελῶς ἅπασαν τὴν ὀρεινὴν χώραν. διὸ καὶ συχνὰς ἡμέρας συνεχῶς πυρὸς ἐπιφλέγοντος, καῆναι τὴν ἐπιφάνειαν τῆς γῆς· καὶ τὰ μὲν ὄρη διὰ τὸ συμβεβηκὸς κληθῆναι Πυρηναῖα . . . . Ex simili fere ratione quem apud Germanos vulgo dicunt *Brenner*, solet Latine Pyrenaeus nuncupari. In jugis porro Pyrenaeis depingendis multus est Strabo l. c. Quae Plinius L. IV. c. 20. refert,

*ipſa Pyrenaei juga ab exortu aequinoctiali fuſa in occaſum brumalem, breviores latere ſeptentrionali quam meridiano Hiſpanias facere*, eruditorum, in his Pintiani & Sepulvedae, torſere ingenia. Non ſollicitandum eſſe Plinii locum, ex Melae verbis L. II. c. 6. facile interpretandum, oſtendit Harduinus in notis & emendationibus. Ex Pyrenaeo monte defluere Iſtrum, ſibi perſuaſerat Ariſtoteles v. meteorol. L. I. c. 13. A Celtis atque urbe Pyrrene derivat ejus fontes Herodotus L. II. c. 33. falſus uterque. Rerum in Pyrenaeis provenientium ampliſſimam omnis generis copiam, mira induſtria collectam, ſuperiori anno Toloſae apud virum *Illuſtrem* de Buiſſaizon reperi. Inſtruendo iſti Pyrenes gazophylacio ſolet id Academiae Toloſanae decus quotannis menſem Auguſtum atque Septembrem itineri in montes laudatos inſtituendo dicare. Optandum profecto, ut laborum ſuorum fructus cum naturalis ſcientiae cupidis communicare velit. O.

## Pylartes

Boccacius: *Pilartes Dyrrachii mons eſt.* Qualis ille mons ſit, quibus memoratus ſcriptoribus, qui docuerit, erit mihi magnus Apollo. Nomen diverſimode expreſſum legitur, *Pylartes*, *Pilartes*, *Pylarces*, *Pelartos*. Quodſi in altero nomine quaedam obtineret corruptionis ſuſpicio, liceret forſan de Siciliae monte *Peloro* vel *Pelorio* cogitare. Sed malo rem omnem in medio relinquere, quam operam praeſtare male ſedulam. O.

## Petrae

Lucanus L. VI. v. 15.

*Hoc iter aequoreo praecepit limite Magnus,*
*Quemque vocat collem Taulantius incola Petram*
*Inſedit caſtris, Ephyreaque moenia ſervat.*

cf. & v. 69. HESSEL. Ephyrea moenia ſunt moenia ipſius Dyrrachii. Prope fuit & mons iſte & locus, quem deſcribit Caeſar de bello civili L. III. c. 42. *Pompejus intercluſus*

*Dyrrachio, ubi propoſitum tenere non potuit, ſecundo uſus conſilio, edito loco, qui appellatur Petra, aditumque habet navibus mediocrem, atque eas a quibuſdam protegit ventis, caſtra communit.* Hodie eum locum nomen habere *Lachi*, refert Niger. Petrae nomen permultis oppidis, quae recenſet Ortelius, fuit commune, edito, ut arbitror, loco ſitis. O.

## Quirinus

Varro de L. L. L. IV. c. 8. *Collis Quirinalis, ubi Quirini fanum; qui a Curetibus, qui cum T. Tatio Curibus venerunt Romam, quod ibi habuerunt caſtra.* Feſtus: *Quirinalis collis olim Aegonus appellabatur ante, quam in eum commigrarent Sabini, Curibus venientes poſt foedus inter Romulum & Tatium ictum, a quo hanc appellationem ſortitus eſt; quamvis exiſtiment quidam, quod in eo factum ſit templum Quirino ita dictum.* Urbi eum montem adjecit Servius Tullius. v. Livius L. I. c. 44. Hodie ipſi nomen eſt a duabus equorum ſtatuis, priſci & eximii operis, *il monte Caballo* ſalutatur. Scite depictum dedit nuper Piraneſius in monumentorum Romanorum tabulis. O.

## Rhodope

Scholiaſtes Theocriti ad edyll. VII. v. 76. Αἷμος ὄρος Θράκης ἀπὸ Αἵμου τοῦ Βορέου ἢ Ὠρειθείας. ἢ ἡ Ῥοδόπη ὁμοίως ὄρος τῆς Θράκης, ἢ ὅτι ὁ Ἄθως. Servius ad Virgilii ecl. VI. verſ. 30. *Rhodope & Iſmarus*) *Montes Thraciae, in quibus Orpheus conſueverat canere.* ad ecl. VIII. verſ. 44. *Iſmarus aut Rhodope*) *Montes Thraciae aſperrimi.* & ad Georg. L. III. verſ. 351. *Quaque redit medium Rhodope porrecta ſub axem*) *Qua Rhodope mons Thraciae protentus in orientalem plagam, Gammaides in ſeptentrionalem reflectitur.* v. & Probus ib. & Porphyrion & Acron, item Cruquianus enarrator ad Horatium L. III. od. 25. v. 9. & 12. item Lutatius ad Statii Theb. L. II. v. 81. & ad L. V. v. 188. Porro videndus Seneca in Herc. Oet. v. 1538. & Silius L. II. v. 73. HESSEL.

Rhodope poſt Haemum Thraciae mons altiſſimus. Strabo L. VII. p. 313. ἐφ' ἑκάτερα δ' αὐλῶνες· ἐπὶ μὲν τὰ Θρᾴκια ἡ Ῥοδόπη, ὄμορον ὑψηλὸν ὄρος· μεθ' ὃν τὸν Αἷμον. *Rhodopen & Haemon & Orbelon, ſacris Liberi patris & coetu Maenadum, Orpheo primum initiante, celebratos* docet Mela L. II. c. 2. Fabuloſam nominis originem ſuo more profert Plutarchus in *Strymone*, ubi Rhodopen & Haemum fratres fraterno ſeſe amore complexos eo impietatis proceſſiſſe ſcribit, ut illa Jovem ſuum amaſium, hic Junonem ſororem ſuam jactaret, cujus temeritatis poenas ut darent, in montes cognomines eſſe converſos. Montem Rhodopen, qui, ut Ortelius refert, hodie *Valiza*, item *Czemaniwerti*, *Curiorowicze* & *Vaſigluſe* vocatur, Euſtathius ad Dionyſium perieg. v. 298. ſuo aevo *Clocotinitzam* dictum narrat, ni is urbis cujuſdam Rhodopes in eo tractu nomen intelligat. Verba ejus haec ſunt: ἡ Παιονία ὑψηλὴ πᾶσα, ἧς πρὸς Θρᾴκην μὲν ἡ Ῥοδόπη κεῖται, ὅπου ἡ νῦν ὀνομαζομένη Κλοκοτινίτζα. Habet ſane Rhodopen Thraciae urbem neſcio quis Philoſt. apud Ortelium. Stephanus Byz. eo nomine oppidum in Jonia ponit. Verum pro Ἰωνίας forſan Παιονίας legendum. *Rhodopen* Hiſpaniae, memoratam Straboni L. III. v. 160. in *Rhodam* eſſe mutandam, docet Caſaubonus. O.

## Riphaei

Virgilius Georg. L. I. v. 240. *Riphaeaſque arduus arces.* Servius ad h. l. *Riphaeas autem arces Scythiam dicit, cujus ſunt montes Riphaei.* & ad L. III. verſ. 382. *Riphaeo Euro*) *Scythico vento. Riphaei autem montes Scythiae, ut diximus, a perpetuo ventorum flatu nominati: nam ῥιφὴ Graece impetus & ὁρμὴ dicitur ἀπὸ τοῦ ῥίπτειν.* Lutatius ad Statii Theb. L. I. verſ. 420. *Riphaeae*) *Id eſt, Scythicae. Riphaeus mons Scythiae, in quo ſemper nimiae tempeſtates, ut Virgilius: Riphaeo tunditur Euro.* Scholiaſtes Dionyſii ad orb. deſcript. v. 315. Τὸ δὲ Ῥιπαίοις ἐν ὄρεσι ἀντὶ τοῦ ἐπὶ τὰ Ῥίπαια ὄρη, ἃ τινά εἰσι τῆς Σκυθίας. Euſtathius ad verſ. 311. Ἐκεῖ δὲ ἐν τοῖς Ῥιπαίοις ὄρεσι Σκυθικοῖς φησὶ ὁ Ἀλδηικός, φησὶ, φησὶν ὁ Παντικάπης οἱ σοφοὶ

μορμύσσειν. HESSEL. De Riphaeis montibus dubitare videtur Strabo L. VII. p. 295. quos in Europaea Sarmatia Ptolemaeus collocat. v. L. III. c. 5. Ex Riphaeo monte dejectum Tanaim ſcribit Mela L. I. c. 19. cf. & Plinius L. IV. c. 12. Riphaeos a *Rif'aet*, *Rif'i*, dictos recte judicant, quae voces in Tartarorum lingua *altum*, *elatum*, *excelſum* notant. v. Complement. theſaur. ling. Orient. Meninskii p. 53. Ruſſorum more *Kamennoi* vel *weliki poias*, ſive cingula lapidea vel magna, itemque *poias ſemnoi* ſive cingula terrae ſalutantur. Recta via iſta montium catena a borea ad auſtrum pertinet, inde a gradu 70. latitud. ad 54. v. Strahlenberg deſcr. de l'empire Ruſſe. art. des limites de l'Europe & de l'Aſie. s. CROIX. Graeco more *Rhipaei* montes dicendi forent. Τὰ Ῥιπαῖα ὄρη vocat Ptolemaeus L. III. c. 5. τὰ Ῥιπαῖα Strabo L. VII. p. c. De ſitu diſſentiunt veteres, ut oſtendit Caſaubonus ad Geographum pag. 299. Scilicet alii Alpes dixere; alii partem Caucaſi; Dionyſius perieg. ad Boryſthenem, qui Pontum Euxinum ingreditur, locat; Ptolemaeus in Sarmatia Europaea; Damaſtes ultra Arimaſpos eos ſubmovet. Ptolemaeo, ut pauca addam, adſentiunt Mela L. I. c. 19. & L. II. c. 1. & Plinius L. IV. c. 12. qui *Tanaïm amnem ex Riphaeis montibus defluentem* ſiſtit. Secundum Athenaeum L. VI. c. 4. *Obii* poſtea dicti ſunt, qui Riphaei olim, demum & Alpes. O.

## Rhamnuſius

*Scodrae*) MS. *Scordae*, perperam, opinor. HESSEL. Scodra, urbs Illyridos, quam fluvio Barbana rigari dictum eſt ſupra p. 88. Scordo monti adjacebat, Livio teſte L. XLIII. c. 20. Is *Scordus* apud eundem L. XLIV. c. 31. *Scodrus* audit; ut ſic nomini urbis reſpondeat. Ptolemaeus L. II. c. 17. Σκάρδον nuncupat. In ſcriptis Vibii libris nomen *Scodrae* varie mutatum deprehenditur. Legimus *Scordae*, *Scordie*, Boccacius habet *Scordenſium*. Scodram, quam diximus, intelligendam eſſe, vel ex eo mihi videtur vero-

ſimile, quod Illyricanae potiſſimum orae illuſtrandae intentus eſt noſter; neque alibi *Scorda* aut *Scodra* occurrit uſpiam. De Scordis enim Bactrianae, Ptolemaeo laudatis L. VI. c. 11. non cogitavit Sequeſter. Rhamnuſius mons, Scodrae attributus, nemini notus. Nota Rhamnus, Atticae pagus, item urbs Boeotiae, nec non Cretae. cf. Ortelius. O.

## Saturnius

Editio Florentina habet *Saturnus*. non recte. HESSEL.

Feſtus: *Saturnia Italia & mons, qui nunc eſt Capitolinus, Saturnius appellabatur, quod in tutela Saturni eſſe exiſtimatur. Saturnii quoque dicebantur, qui caſtrum in imo clivo Capitolino incolebant, ubi ara dicata ei Deo ante bellum Trojanum videtur, quia apud eam ſupplicant apertis capitibus.* Ea is hauſit ex Varrone, qui de L. L. L. IV. c. 7. ubi montes urbis recenſet, *Capitolium*, ait, *dictum, quod heic, cum fundamenta foderentur aedis Jovis, caput humanum inventum dicitur. Hic mons ante Tarpeius dictus, a virgine Veſtali Tarpeia, quae ibi ab Sabineis necata armis & ſepulta: ejus nominis monimentum relictum, quod etiam nunc ejus rupes Tarpeium appellatur ſaxum. Hunc antea montem Saturnium appellatum prodiderunt & ab eo late Saturniam terram, ut etiam Ennius appellat. Antiquum oppidum in hoc fuiſſe Saturniam ſcribitur. Ejus veſtigia etiam nunc manent tria, quod Saturni fanum in faucibus; quod Saturnia porta . . quod poſt aedem Saturni* &c. Graece quoque Κρόνιος ſalutatus, teſte Dionyſio Halic. L. I. O.

## Soractes

Porphyrion ad Horatii L. I. od. 9. verſ. 2. *Eſt autem hic mons in Phaliſcis.* Cruquianus enarrator; *Soracte*) *Mons eſt in Faliſcis Flaminiae vicinus, in quo Apollo colebatur. Ut,*

*Summe deûm ſancti cuſtos Soractis Apollo.*

HESSEL.

Strabo L. V. p. 226. ὑπὸ δὶ τῷ Σωράκτῳ ὄρει Φερωνία πόλις ἐστίν. Plinius L. VII c. 2. *Haud procul urbe Roma in Faliſcorum agro familiae ſunt paucae, quae vocantur Hirpi: hae ſacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, ſuper ambuſtam ligni ſtruem ambulantes non aduruntur.* GRONOV.

Quod autem Apollini ſacrificium fieri ſcribit Plinius atque Solinus poſt ipſum in polyh. c. 8. id in honorem Feroniae in luco hujus Dei peragi narrat Strabo. Poſt verba enim, a Gronovio allata addit: Φερωνία πόλις ἐστὶν ὁμώνυμος ἐπιχωρίᾳ τινὶ δαίμονι τιμωμένῃ σφόδρα ὑπὸ τῶν περιοίκων, ἧς τέμενός ἐστιν ἐν τῷ τόπῳ θαυμαστὸν ἱεροκομεῖται ἔχον. Refert dein ritum eundem, quem ex Plinio recitavimus. Facit cum hoc Virgilius, apud quem ita precatur Aruns Aen. L. XI. v. 785.

*Summe Deum ſancti cuſtos Soractis Apollo,*
*Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo*
*Paſcitur & medium freti pietate per ignem*
*Cultores multa premimus veſtigia pruna.*

Adjicit heic Servius: *Iſte quidem hoc dixit, ſed Varro ubique expugnator religionis ait, cum quoddam medicamentum deſcribit; eo uti ſolent Hirpini* (legendum forſan & hic *Hirpi* cf. ſane Harduinus ad cit. Plinii loc.) *ambulaturi per ignem, medicamento plantas ungunt.* cf. porro Silius Ital. L. V. v. 175. Pugnat pro Apolline quoque Cluverius Ital. ant. L. II. c. 3. Veterem ſi audias Scholiaſten Horatii ad L. I. od. 9. *Sorax* olim dictus mons eſt, dein *Soractes*. Apud Horatium neutrali forma effertur, *candidum Soracte*. Nominis originem a Ditis patris cognomine derivant, quo is *Soranus* eſt vocatus. Hirpini quoque Sorani dicti, teſte Servio ad Virgilii l. c. Hodie *il Monte di S. Silveſtro* vocatur. Apud Harduinum l. c. dicitur *il monte di S. Oreſte*, apud Ortelium *il monte di S. Treſto*, forſan per errorem. De fonte ejus, peſtiferum emittente halitum, Plinius L. XXXI. cap. 2. *Varro tradit, ad Soracten eſſe fontem, cujus ſit latitudo quatuor pedum. Sole oriente eum exundare, ferventi ſimilem, aveiſque, quae guſtaverint, juxta mortuas jacere.* O.

## Sarnus

v. *Sarnus Nuceriae* in fluminibus. HESSEL. Apud Boccacium haec: *Sarnus mons eſt medius inter Pompejanum agrum & Salernitanum; ex quo magnus* (potius *magno* legendum) *cum murmure Sarnus erumpit fluvius; apud Sarnum oppidum in montis radicibus conſtitutum.* De Sarno fluvio, urbe, monte fuſe ſatis actum ſupra pag. 190. O.

## Sipylus

Sic eſt legendum. Graece enim Σίπυλος. *Sypilus* edit. Flor. & Toloſ. perperam. HESSEL. Σίπυλος, πόλις Φρυγίας . . . τὸ ἐθνικὸν Σιπυληνὸς ἢ Σιπυληνοί. ita Stephanus Byz. qui ad Hellanicum auctorem provocat. Holſtenio τὸ Σιπυληνοι ſuſpectum eſt; legere mavult Σιπυλεύς. Sipylenae cognomen tribuitur Cybelae, ut notum. Inter alia in foedere Smyrnenſium & Magneſiorum occurrit inter marmora Arundeliana: ΟΜΝΥΩ ΔΙΑ . . . ΚΑΙ ΤΗΝ ΜΗΤΕΡΑ ΤΗΝ ΣΙΠΥΛΗΝΗΝ. In nummo apud Golzium, ubi adſcriptum ΣΟΠΥΛΟΣ, reponendum ΣΙΠΥΛΟΣ ac de laudata urbe intelligendum, Holſtenii quoque opinio fert. Sipylus vel Sipylum, ut Plinio vocatur, oppidum terraemotu ſubverſum fuit; fruſtra enim de monte Sipylo id intelligendum modo cenſet Caſaubonus ad Strabonem L. I. p. 58. ἡ Σίπυλος κατεσράφη κατὰ τὴν Ταντάλου βασιλείαν. clariſſime enim Plinius L. V. c. 29. *Interiere intus Daphnus & Hermeſia & Sipylum, quod ante Tantalis vocabatur, caput Maeoniae, ubi nunc eſt ſtagnum Sale: obiit & Archaeopolis ſubſtituta Sipylo.* cf. idem L. II. c. 91. & Ariſtoteles meteorolog. L. II. c. 8. Sua aetate quoque Magneſiam ad Sipylum terrae tremoribus dejectam, quum duodecim urbes una eademque ſtrages deleret, Strabo commemorat L. XII. p. 578. Cujus quidem rei praeterea meminit Tacitus Annal. L. II. c. 47. Extat & baſis marmorea coloſſi, quem Tiberio Caeſari inſtauratae urbes locarant, quam duodecim geniis muliebribus ſive Junonibus decora-

decoratam exhibet Gronovius Antiq. Graec. T. VII. Reſtitutam Magneſiam deinceps floruiſſe, nummi ejus loquuntur, quorum ſeries a Caligula ad Gallienum uſque procedit; notantur autem ſic: ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΣΙΠΥΛΟΥ adſcripto Praetoris nomine. v. Vaillantii NN. Impp. Augg. & Caeſſ. a populis Graece loquentibus percuſſa. fol. Amſt. 1700. Ad montem ipſum quod attinet Sipylum, male ad Maeandrum locatur ab Ortelio; Hyllo enim fluvio rigabatur Magneſia, quae hodieque priſtini nominis memor vocatur *Magniſa*. Sipylum recte vindicat Lydiae noſter; Phrygiae qui adſcribunt, paullo latius loquuntur. *Ceraunium* prius dictum, & a Sipylo Agenoris & Dioxippae filio, qui in iſto ſibi ipſe fauces fune fregerit, alterum id nomen accepiſſe, Plutarchus in Maeandro docet. *Phlegraeum campum* quoque dictum ab Ariſtotele, refert Ortelius. perperam, ſi quid video. Pars Phrygiae quidem καλλιχαυμένης nomen tulit olim; ſed apud Stagiritam Phlegraei Campaniae campi intelligendi ſunt. En locum: τοῦτον γὰρ τὸν τρόπον, γενομένου σεισμοῦ, τὰ περὶ Σιπύλου ἀνετράπη καὶ τὸ καλούμενον Φλεγραῖον πεδίον, καὶ τὰ περὶ τὴν Λιγυστικὴν χώραν &c. Hodie Sipylus, *Sipuli Dag*. Fuit & Sipylus mons Peloponneſi, ſi audias Ortelium; ſed, inſpecto Pauſania, falſum eſſe clariſſimum virum didici. O.

## Steſiarus

Non equidem montem nomine Steſiarum memini. Quidni ſub hoc lateat *Stympha* mons; de quo conſulendus eſt Cellarius Geogr. ant. L. II. c. 13. HESSEL. Non video, quo Boccacii exemplo uſus ſit Ortelius, qui apud iſtum *Steſianus* legi ſcribit. Equidem in antiquiſſimo, Rhegienſi ſcilicet, a. 1481. excuſo, haec deprehendo: *Steſſiarus mons eſt Moloſſorum*. Quid de conjectura Heſſelii dicam, non ſat ſcio. Apud Boccacium ſequitur verba mox laudata articulus iſte: *Stymphalon mons eſt Arcadiae* - - - ut ſic facile praecedere potuerit: *Stympha mons eſt Moloſſorum*. Verum nec tale quid in ſcriptis libris reperit Boccacius, nec ullo modo, quos no-

vimus, in hoc nomine variant. Stympha, hodieque *Stymphe*, inter alios memoratur Straboni L. VII. p. 325. παραρρεῖ τὴν Ἀμβρακίαν ὁ Ἀραχθος πόταμος - - - ἀρχόμενος ἐκ Στύμφης ὄρους καὶ τῆς παρωρείας. Dividebat Theſſaliam ab Epiro. v. Palmerius ad l. c. O.

## Tarpejus

v. *Saturnius*. In MS. Reuii eſt: *Romae unus ex VII. montibus*. in editione Flor. deeſt *unus*. HESSEL. Loca Varronis & Feſti vide ſupra in *Saturnio*. Ταρφήιον ſcribi a Stephano Byz. refert Ortelius. recte, ſed is de Tarpeio monte ne cogitavit quidem. Τάρφη πόλις Λοκρῶν memoratur ipſi, cujus τὸ ἐθνικὸν, Ταρφαῖος. Virginis Tarpeiae fatum, de quo Livius L. I. c. 11. in nummo Tituriae gentis expreſſum cernitur. v. Vaillant. NN. familiar. Carmine quoque proſecutus eſt Propertius L. IV. eleg. 4.

*Tarpeium nemus & Tarpeiae turpe ſepulchrum*
*Faber & antiqui limina capta Jovis.*

& quae ſequuntur. Uti hic Tarpeium nemus, ſic ſaepe alibi Tarpeia rupes, arx Tarpeia vocatur: Tarpejus quoque Jupiter pro Capitolino nonnunquam dictus, ut in iſto Praeneſtino apud Gruterum pag. LXXII. n. 5.

TU QUI TARPEIO COLERIS VICINA TONANTI
VOTORUM VINDEX SEMPER FORTUNA MEORUM
ACCIPE QUAE PIETAS PONIT TIBI DONA MERENTI.

reliqua vide. O.

## Taenarus

Iſaac. Tzetzes ad Lycophronem v. 1106. Ταίναιον) Ἀκρωτήριον Λακωνικῆς, ἔνθα φησὶ κάθοδον εἶναι ᾅδου. Scholiaſtes Pindari ad Pyth. od. 4. verſ. 310. Καὶ ὁ μὲν Περικλύμενος ἐκ Πύλης, ὁ δὲ Εὐφημος ἐκ Ταινάρου, ὃ ἐστιν ἀκρωτήριον τῆς Λακωνικῆς, παρεγένοντο. Scholiaſtes Apollonii Rhod. ad L. I. verſ. 102. Τέτε δὲ γίνεται Ταίναρος· ἀφ' ἧ Ταίναρον καλεῖται ἡ πό-

λις ἡ ἡ ἄκρα ἡ ὁ λιμήν. Servius ad Virgilii Georg. L. IV. verſ. 467. *Taenarus Laconiae promontorium eſt circa finem Maleae, ubi inferorum dicitur eſſe deſcenſus.* Philargyrius: *In Taenaro enim promontorio Laconiae demonſtratur alta quaedam vorago, per quam emerſiſſe Hercules ab inferis dicitur, quum duceret Cerberum.* Acron ad Horatii L. I. od. 34. verſ. 10. *Taenarus promontorium Laconiae, per quod deſcenſus eſſe ad inferos fertur. Ut Virgilius:*

*Taenarias etiam fauces, alta oſtia Ditis.*

Porphyrion: *Taenari ſedes*) *Inferi intelligendum, quia per Taenarum Laconiae promontorium deſcenſus ad inferos fertur.* Cruquianus interpres: *Taenari*) *Inferi, quia per Taenarum Laconiae promontorium deſcenſus ad inferos eſſe fertur.* Lutatius ad Statii Theb. L. II. verſ. 44. *Taenarus locus Laconiae, in quo aditus dicitur eſſe inferorum. . . . Inde mons exurgit, qui Taenaros dicitur.* HESSEL. Rationem commenti aperit Boccacius. *Taenarus Laconiae promontorium eſt circa finem Mallei* (lege *Maleae*) *montis, in quo quia hiatus eſt, & ex eo agente ſpiritu quidam audiuntur rumores & murmura progredi, inferorum veteres dixere deſcenſum.* Taenarum promontorium, hodie *capo Matapan*, tangit Strabo L. VIII. p. 363. Ἐν δὲ τῷ κόλπῳ τῆς παραλίας τὸ μὲν Ταίναρον ἀκτὴ ἐστὶν ἐκκειμένη· τὸ ἱερὸν ἔχουσα τοῦ Ποσειδῶνος, ἐν ἄλσει ἱδρυμένον· πλησίον δ' ἐστὶν ἄντρον, δι' οὗ τὸν Κέρβερον ἀναχθῆναι μυθεύουσιν ὑφ' Ἡρακλέους ἐξ ᾅδου. Fuſe id deſcribit Pauſanias in Laconicis, qui, quum cap. 14. oſtendiſſet, nomen ipſi a Taenaro, cujus monumentum in eo ſpectabatur, ortum, dein cap. 25. in fabulae de Cerbero originem inquirit. Hecataeus ſcilicet Mileſius immanem in ſpelunca montis ſerpentem delituiſſe retulit, hominibus infeſtum, quem ad Euryſtheum pertraxerit Hercules. Ipſe Pauſanias Graecorum in fingendo audaciam miratur, quod ibi, unde Plutonis canem eductum fabulati ſunt, ne quidem meatus ſubter terram per eam ſpecum ſubeat. Quicquid ſit, graphice iſtam leti viam & ad Plutonia regna aditum pingit Seneca in Herc. Fur. Act. III. v. 662. ſeq.

*Spartana tellus nobile attollit jugum,*
*Densis ubi aequor Taenarus silvis premit;*
*Heic ora solvit Ditis invisi domus,*
*Hiatque rupes alta, & immenso specu*
*Ingens vorago faucibus vastis patet,*
*Latumque pandit omnibus populis iter.*
*Non coeca tenebris incipit primo via:*
*Tenuis relictae lucis a tergo nitor*
*Fulgorque dubius solis afflicti cadit,*
*Et ludit aciem - - - -*

Porro in Taenaro varia monumenta fuisse scribit Pausanias; fontem quoque, qui olim introspicientibus portus & naves spectandas praebuerit. Tandem spatio XL. circiter stadiorum a promontorio Taenarum oppidum fuisse idem adjicit, ipsius aevo salutatum Καινήπολις. cf. & Procopius de B. Vandal. L. I. c. 13. Meminit jam Taenari Homerus hymno in Apollinem v. 411. ubi vocat:

Χῶρον τερψεμβρότου Ἠελίοιο
Ταίναρον, ἐνθά τε μῆλα βαθύτριχα βόσκεται αἰεὶ
Ἠελίοιο ἄνακτος. . . . .

Hodie is locus *porto de Qualeis* vel *porto delle quaglie*, ob coturnicum copiam, vocari solet. In promontorio, ut hoc addam, nigri marmoris proventus est abundans, Taenarii nomine noti. v. Strabo L. VIII. p. 367. & Plinius L. XXXVI. c. 18 & 22.

## Tmolus

Scholiastes ad Il. L. II. v. 866. Τμῶλος ὄρος Λυδίας, ἀφ' οὗ καταφέρεται ὁ Παντωλὸς ποταμός. cf. id. ad L. XX. v. 385. porro Servius ad Virgilii Georg. L. I. v. 56. *Sed Tmolus est mons etiam Lydiae circa oppidum Sardis.* Item Eustathius ad haec verba Dionysii perieg. v. 830.

Μηονίη δ' ἐπὶ τῇσιν ἐπ' ἀντολίην τετάνυσται,
Τμώλῳ ὑπ' ἠνεμόεντι· τόθεν Παντωλὸς ὀδεύων
Χρυσὸν ὁμοῦ δίνῃσιν ἐφελκόμενος κελαρύζει.

Equidem miror, Cellarii diligentiam accuratiſſimam videri fugiſſe locum Stephani Byzantini, ita ſeſe habentem; Τύμωλος, ὄρος ὁ Τμῶλος καὶ ποικίλον σχημάτισμόν. Quo conſiderato ſcribi debet *Tymolus*; non autem *Timolus*, ut apud illum ſcribitur geogr. antiq. L. III. cap. 4. Sic quoque Τύμωλος eſt in epigrammate Graeco, quod ad Stephanum exhibuit Holſtenius. Attamen vide ſis Erythraei indic. in Virg. in voc. *Tmolus*. Euripides in Bacch. v. 461.

Τὸν ἀνθεμώδη Τμῶλον οἰνάδα κλύων,

*vino inſignis*) v. Ovidius met. L. VI. v. 14.

*Deſeruere ſui Nymphae vineta Tymoli.*

cf. & Silius L. VII. v. 209. & Seneca Phoen. v. 602. HESSEL.

Nihil uſquam habere Lydiam, quod memoratu ſit dignum, ſcribit Strabo L. I. c. 92. praeter auri ramenta, quae Tmolus deferre ſoleat. Pſeudargyrum quoque in eo naſci, teſtatur idem L. XIII. p. 610. Praeſtantis vini feracem praedicat L. ſeq. p. 637. De ſitu haec p. 625. Ὑπέρκειται δὲ τῶν Σαρδιέων ὁ Τμῶλος εὔδαιμον ὄρος ἐν τῇ ἀκροπόλει, σκοπὴν ἔχων ἐξέδραν λευκοῦ λίθου Περσῶν ἔργον, ἀφ' οὗ καλοπλεύσαι τὸ κύκλῳ πεδίον ἡ μάλιστα τὸ Καϋστριανόν. Huc facit & Ovidius metam. L. XI. v. 150 ſeq.

*Nam, freta proſpiciens, late riget arduus alto*
*Tmolus in adſcenſu, clivoque extentus utroque,*
*Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypaepis.*

Quae de auro adjicit Strabo, quod ex eo Pactolus derivat, occupavimus pag. 170. Omnigenis feris refertum Tmolum Plutarchus ſcribit in *Pactolo*, eumque, *Carmanorium* prius adpellatum, a Tmolo, Lydiae rege, Martis & Theogones filio, in eo ſepulto nomen adſciviſſe. Eleganti proſopopoeïa utitur Ovidius, quum l. c. Tmolum in certamine Panis & Apollinis judicem ſedere jubet. v. 163.

*Monte ſuo ſenior judex conſedit, & aures*
*Liberat arboribus, quercu coma caerula tantum*
*Cingitur, & pendent circum cava tempora glandes.*

& quae ſequuntur. Tmoli cacumen vocari *Tempſin*, auctor eſt Plinius L. VII. c. 48. Hodiernum nomen montis eſt *Bozdag* ſive *mons laetitiae*. Leunclavio *Tomalitze* ſalutari, refert Ortelius. Tmolum urbem quoque monti adjectam fuiſſe, tum ex Tacito aliiſque ſcriptoribus, tum ex baſi Tiberio locata, cujus mentio facta a nobis pag. 168. in qua inter reſtitutas ab eo urbes nominatur ΤΜΩΛΟΣ, probat Cellarius N. O. A. L. III. c. 4. Adde, nummum quoque extare Sabinae Auguſtae, memoratum Wheelero in itinerario n. 90. & Vaillantio in NN. Imp. Graecis, qui praefert nomen ΤΜΩΛΙΤΩΝ. O.

## Taburnus

Lege Cellarium G. A. L. II. cap. 9. & Vlitium ad Gratii Fal. cyneg. v. 509. ubi

- - - *Caudini ſaxa Taburni.* HESSEL.

„ Gratius l. c. non amoenum & oliviferum deſcribit, ſed „ tanquam horridum & vel furculis Caudinis congruentem. „ Habet tamen & Vibius, quo ſe patrono tueatur. Vir„ gilius Georg. L. II. v. 38.

„ - - - *juvat Iſmara Baccho*
„ *Conſerere, atque olea magnum veſtire Taburnum.*

„ ubi Servius: *ſignificat, etiam montuoſa & aſpera loca ten„ tanda* ad culturam *eſſe*. Quod vero interpretum hic Cam„ paniae, ille Apuliae tribuit Taburnum, errant, qui au„ ctore Gratio Caudinus eſt, prope Caudium exiſtens in „ Samnio. „ Haec Cellarius. Verum Vibius, mea quidem ſententia, male ſe tuebitur Virgilio, qui non olivae feracem ſcribit montem, ſed impatientem; ſi quidem tentandum praecipit. Porro Servius, judice Camillo Peregrino de Campania Fel. Diſſ. II. c. 26. latius locutus eſſe videtur, ſuique aevi Campaniam, quod & fecerit alibi, intellexiſſe. Recte autem Vibium attribuere Samnitibus Taburnum adjicit; quippe qui inter Caudium fuerit & Beneventum. Idem hodie *Taurno* vocari perhibet. Aliis *Tabor* item *Taburo* ſa-

lutatur, teſte Ortelio. At *Liburnum* dici Polybio, quod hic tradit, in eo ipſi haud aſſentio. Liburnus is prope Luceriam fuit, remotior a Caudio. O.

## Taygeta

*Taygetus Laconiae*, Barthius ad Claudianum de Bello Getico v. 193. ed. Hanov. *Taygeta* Virgilio mons iſte dicitur Georg. L. II. v. 487. ex quo fluvium fecit noſter ſupra pag. 19. cf. pag. 208. Servius tamen ad eum locum ſic: *Taygeta*) *mons Laconum Libero & Baccho ſacratus.* Eadem referunt Philargyrius ad L. III. v. 44. & Lutatius ad Statii Theb. L. VIII. v. 437. & ad L. X. v. 497. Scholiaſtes quoque Pindari ad Pyth. Od. I. v. 123. Ταΰγετον ὄρος Λακωνικὸν, ἃ καὶ Ὅμηρος μέμνηται·

Ἦ καλὰ Ταΰγετον περιμήκετον - - -

item ſcholiaſtes Callimachi ad hymn. in Dian. v. 188. Ταΰγετον) ὄρος Λακεδαίμονος. HESSEL. Strabo hunc montem ita deſcribit L. VIII. p. 363. Τούτων (Θυρεάτων) δ' ὑπέρκειται τὸ Ταΰγετον· ἔστι δ' ὄρος μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης ὑψηλὸν καὶ ὄρθιον, συνάπτον καθ' ἑαυτὸ τὰ προσάρκτια μέρη ταῖς Ἀρκαδικαῖς ὑπωρείαις· ὥστε καθολκίτεσθαι ἀγκῶνα, καθ' ὃν ἡ Μεσσηνία συνεχὴς ἐστι τῇ Λακωνικῇ. Ὑποπίπτουσι δὲ τῷ Ταϋγέτῳ ἡ Σπάρτη ἐν μεσογαίᾳ καὶ Ἀμύκλαι - - - Nomen monti unde ſit inditum, non Plutarchus modo in Eurota, ſed Pauſanias quoque aperit L. III. c. 1. Scilicet Taygetam Nympham a Jove vitiatam in cacuminibus Amyclaei montis reſti vitam finiiſſe narrant. Ejus filius Lacedaemon fuiſſe ſcribitur. Aptiſſimum venationi Taygetum idem refert L. c. c. 20. De ſummo ejus vertice ibidem haec: ἄκρα δὲ τοῦ Ταϋγέτου Ταλεῖον ὑπὲρ Βρυσειῶν ἀνέχει· Ταύτην ἡλίου καλοῦσιν ἱεράν, καὶ ἄλλα τε αὐτόθι ἡλίῳ θύουσι καὶ ἵππους. O.

## Tetricus

v. Cellarium geogr. ant. L. II. c. 9. *Tettica* editio Florent. male. HESSEL. Boccacius: *Tetricus mons Sabinorum eſt aſperrimus.* Hauſit ex Servio ad Virgilii locum, quem ad *Himellam* fluvium attulimus ſupra pag 127. ubi ſic: *Tetricus mons in Piceno aſperrimus. Unde triſtes homines tetricos dicimus.* Virgilio quum *Tetrica* dicitur, forſan rupes intelligitur, ut habet Silius L. VIII. v. 418. Hodie *il monte di S. Giovanni, Severo* & *Nero* appellari tradit Leander. cf. Ortelius. Holſtenio eſt horrendum illud adſpectu montis jugum, quod inter montem Sibyllae & Aſculum ſuper reliqua Apennini juga emicat. v. Cellarius. O.

## Tenitrus

Etſi repetat totidem fere verbis Boccacius, nihilo minus nullum uſpiam huic monti praeſidium invenio. Dyrrachii viciniam in ſuperioribus hinc inde illuſtrare ex Vibio licuit, ut in *Genuſo, Icano* vel *Iſamno, Mathi* fluviis; *Aecito*, rectus *Achrido*, lacu; *Borea* vel *Bora* & *Eridano* montibus: contra in aliis aquam nobis haerere, ingenue ſumus profeſſi, quo pertinet e fluviis *Alto* & *Ululeus*; e montibus *Pylartes*, cui heic accedit *Tenitrus.* O.

## Velinus

Recenſitus jam eſt mons Aventinus, Coelius, Exquilinus, Palatinus, Quirinalis, Capitolinus: recenſendus igitur reſtat mons, ſeu potius collis Viminalis; cujus quidem loco Vibio eſt Velinus. Ab homine meo facit aliquantum Feſtus in *Septimontio* ac *Septimontium*, ut & Paulus in *Septimontium.* De Veliis autem adeatur Georg. Fabricii Roma pag. 28. nec non Alex. Donati Rom. vet. ac rec. L. II. cap. 16.

*Unus*) deficit in editione Florentina. HESSEL. Velia, Graece Ἐλέα, ad ſinum Paeſtanum ſita urbs, Zenonis Elea-

tae patria. Haec notiſſima. Minus nota Velia, locus Romae, cujus meminit Dionyſius Halic. L. V. Montem fuiſſe vel collem ſane, patet ex Livio, qui L. II. c. 7. ubi Valerium Publicolam Cs. in ſuſpicionem veniſſe ſcribit, ita: *Regnum eum affectare, fama ferebat: quia nec collegam ſubrogaverat in locum Bruti, & aedificabat in ſumma Velia.* cf. & Plutarchus in Publicola. Rem conficit Varro de L. L. L. IV. c. 8. Ubi enim de Palatio haec narraſſet, quae ſupra ad Palatinum montem adferenda fuerant: *Quartae regionis, Palatium, quod Palantes cum Evandro venerunt, aut quod Palatini, qui & Aborigines, ex agro Reatino, qui appellatur Palatium, ibi conſederunt. Sed hoc alii a Palatia uxore Latini putarunt. Eundem hunc locum a pecore dictum putant quidam; itaque Naevius Balantium appellat.* tum ſubjungit haec: *Huic Germalum & Velias conjunxerunt & in hac regione ſacriportus eſt, & in ea ſic ſcriptum: Germalenſis quinticepſos apud aedem Romuli. Vilienſis ſexticepſos in Velia, apud aedem Deum Penatium . . . Veliae unde eſſent, plures accepi cauſſas, in queis, quod ibi paſtores Palatini ex ovibus ante tonſuram inventam vellere lanam ſint ſoliti.* Itaque Velia ſumma vel Veliae conjunctae Palatino monti Velinum montem arguunt. De hoc ipſo intelligendum monumentum Ancyranum apud Gruterum pag. CCXXXII. & apud Chiſhull in Antiquitatib. Aſiaticis pag. 174. IN. SUMMA. SACRA. VIA. AEDEM. DEUM. PENATIUM. IN. VELIA. AEDEM. JUVENTUTIS. AEDEM. MATRIS. MAGNAE. IN. PALATIO. FECI. Inde quoque Velina dicta tribus apud Livium ep. L. XIX. *Duae tribus adjectae ſunt Velina & Quirina.* Ejus frequentius, quam ſcriptores, meminere marmora. Exemplo ſit apud Gruterum pag. LXVI. 7.

L. CALVISIVS. L. F.
VELINA. SECVN
DVS. &c.

plura index Scaligeri dabit. Illud denique reſtat expediendum, qui Vibio Velinus mons ex VII. unus Romae dicatur,

cujus rei, credo, non facile quiſquam antiquum teſtem produxerit. O.

## Veſulus

*Apuliae*) *Liguriae* ſcribendum eſſe videtur, auctore Servio ad Virgilii Aen. L. X. v. 709. *Veſulus autem mons Liguriae eſt juxta Alpes.* v. Ruaeum quoque ad v. 708. HESSEL.

Duo fuiſſe Veſulos montes arbitratur Ortelius, alterum inter Alpes, Plinio & Solino memoratum, alterum Apuliae, de quo Vibius. Mihi apud hunc noſtrum haerere manifeſtum errorem turpiſſimumque, perſuaſum eſt pro certo. Reſpice ad ea, quae pag. 339. de hoc eodem Veſulo adnotavimus. O.

# AD GENTES

Vibius Sequeſter in libro de populis laudatur a Barthio ad Claudiani panegyr. in III. Conſ. Honorii v. 54. HESSEL.

## Agathyrſi

Servius ad Virgilii Aen. L. IV. v. 146.

\- - - *miſtique altaria circum*
*Creteſque Dryopeſque fremunt pictique Agathyrſi.*

*Agathyrſi populi ſunt Scythiae, colentes Apollinem Hyperboreum, cujus logia, id eſt reſponſa feruntur. Picti autem, non ſtigmata habentes, ſicut gens in Britannia, ſed pulcri, hoc eſt, cyanea coma placentes.* HESSEL. In aſſignanda Agathyrſis regione ſua ſic ſatis convenit priſcis. Neuris & Tauris & Gelonis & Budinis & Sauromatis eos jungit Herodotus L. IV. c. 102. Sarmatiae autem Europaeae adſcribit iſtos & ſecludit a Scythia. Vide, quae cap. 100. dicat: ἤδη ὦν ἀπὸ μὲν Ἴστρου τὰ καθύπερθε ἐς τὴν μεσόγαιαν φέρουσα ἀποκληίεται ἡ Σκυθικὴ ὑπὸ πρώτων Ἀγαθύρσων· μετὰ δὲ, Νευρῶν &c. Mela L. II. c. 1. *Maeotidis flexum Agathyrſos & Sauromatas ambire* docet. Simili modo inter gentes inde ab Iſtro ad oſtium uſque Maeotidis paludis habitantes recenſentur apud Dionyſium perieg. v. 304. ſeq. enarrantur

Γερμανοὶ, Σαρμάταί τε, Γέται θ' ἅμα, Βαστάρναί τε,

porro nominantur Daci & Alani & Tauri, tum

Τῶν δ' ὕπερ ἐκλέλαται πολυίππων φῦλον Ἀλανῶν,
Νευροί θ', Ἱπποπόδές τε, Γελωνοί τ' ἠδ' Ἀγάθυρσοι.

Accinit his Marcianus Heracleota: παροικοῦσι τὸν Χέρσονησον μὲν οἱ Ἀγαθυρσοὶ (recte ſic Hudſonius loco corrupti Ἀγαθοσοὶ) τὸ ἔθνος τῆς ἐν Εὐρώπῃ Σαρματίας ὄντες. Tandem Plinius L. IV. c. 12. quoque poſt Neuros, Gelonos alioſque ponit *caeruleo capillo Agathyrſos.* In hac omni ſcriptorum ſerie proxime Maeotidem paludem eos collocat Mela; reliqui magis ad boream retrahunt. Ptolemaeus L. III. c. 5. eoſ-

dem quoque Sarmatiae Europaeae adſcribit; aſt idem L. VI. c. 14. ipſis ſedem in Scythia intra Imaum attribuit, a priori multum diſtantem. Neque quicquam eſt, quod impediat, quo minus ejus gentis pars aliqua ad ortum magis receſſerit. Interim non tacendum, poſtériori loco interpretes antiquos legere *Alanorſos*, quos forſan in *Agathyrſos* librarii homines transmutarunt. Demum Stephanus Byz. ad Haemum Thraciae allegat iſtos: Ἀγάθυρσοι, ἔθνος ἐνδοτέρω τοῦ Ἄιμου. Unde id deſumſerit, non video. Agathyrſos Gelonoſque a duobus filiis Herculis Agathyrſo & Gelono, quorum mentio apud Herodotum L. IV. c. 11. dictos, tradit Euſtathius ad Dionyſii l. c. addit tamen, forſan ἀπὸ τῶν θύρσων τοῦ Διονύσου appellatos priores. Horum ritus & mores nonnullos eodem libro c. 104. recenſet Herodotus. Alios addit Mela l. c. *Agathyrſi ora ortuſque pingunt, ut quiſque majoribus praeſtat, ita magis vel minus; ceterum iiſdem omnes notis, & ſic, ut ablui nequeant.* Caeterum *Agathyrſum* Siciliae urbem habet Strabo L. VI. p. 266. Alii *Agathyrſam* vocant. v. Stephanus Byz. & ad eum Berckelius. O.

*Scythae*) ſic MS. Med. & ſic ſcribere ſolet Sequeſter. GRONOV.

*partis*) Facit ad ſaepius iteratum illud Sequeſtris Cicero Tuſc diſp. L. I. c. 39. *Apud Hypanim fluvium, qui ab Europae parte in Pontum influit* &c. HESSEL.

## Acarnanii

Nullibi, quod ſciam, legere eſt Acarnaniae ἐθνικὸν *Acarnanus*. Male vulgo apud Vibium *Acarnani*. Recte MS. Rev. *Acarnanii*.

*Epeirotae*) v. Cellarius G. Ant. L. II. c. 13. HESSEL.

Acarnanes ab Epirotis omni aevo fuere diſtincti, licet illis vicini eſſent. v. Strabo L. VIII. p. 334. Ἔφορος μὲν οὖν ἀρχὴν εἶναι τῆς Ἑλλάδος τὴν Ἀκαρνανίαν φησὶν ἀπὸ τῶν ἑσπερίων μερῶν· ταύτην γὰρ συνάπτειν πρώτην τοῖς Ἠπειρωτικοῖς ἔθ-

σιν. Imo diſcrimen, quod inter ipſos interceſſit, magis etiam illuſtrat idem Geographus, quum ſupra Acarnaniam & Aetoliam Theſprotios, Caſſopaeos, Amphilochos & Athamanes ſitos refert Epiroticas gentes, ἠπειρώτικὰ ἔθνη L. VII. p. 321. Ptolemaeus tamen Acarnanes Epirotis accenſet. L. III. c 14. cui ſententiae ut accedit Vibius, ita anſam ſubminiſtraſſe videtur illud, quod Acarnanes *Ephyrorum* uſi ſunt nomine, Heſychio teſte, Ἐφύρους, τοὺς Ἀκαρνᾶνας. Heſychius v. Ἐφύρους. Si quis porro quaerat, qui factum, ut Ephyri ſalutarentur Acarnanes, reponemus, forſan id inde ortum, quod ex Ephyra urbe Theſprotiae (haec autem ad Epirum ſpectabat v. Strabo L. c. p. 324.) emiſſa colonia ad Acarnanes perveniſſet, ſanguinemque cum iis & genus miſcuiſſet. v. Stephanus Byz. v. Ἔφυρα. Sed & alia ſuccurrit ratio, ob quam Epirotis accenſiti Acarnanes. Scilicet Amphoterus & Acarnan Alcmaonis filii in Epirum tranſiſſe ſcribuntur, in qua colonos collegerint, συναθροίζουσιν οἰκήτορας, quorum ope Acarnaniam condiderint. v. Apollodorus. Bibl. L. III. c. 7. p. 186. ed. Gale. S. CROIX.

Vibiani aphoriſmi fontem habes in Servio, qui ad Virgilium Aen. L. V. v. 298. haec: *Acarnan, Epirota: Acarnania enim eſt pars Epiri.* HESSEL. Contra Acarnaniam ab Epiro Mela quoque diſtinguit L. II. c. 3. *Ultra Aetolia, Acarnania, Epiros uſque in Adriam.* Olim *Curetes* dictos Acarnanes, priuſquam ab Acarnane Acheloi ex Callirhoe filia nepote hoc nomen adſciſcerent, refert Pauſanias L. VIII. c. 24. cf. & Scymnus Chius in orb. deſcr. v. 462. Huc facit & Plinius, qui L. IV. c. 1. ſic: *Acarnaniae, quae antea Curetis vocabatur, oppida.* Apud Strabonem tamen L. IX. p. 429. Curetes pars Aetolorum dicuntur fuiſſe. Scholiaſtes Pindari quoque ab Aetolo, quae antea fuerit Curetis, dictam Aetoliam teſtatur. Contra Homero, ubi L. IX. Il. v. 525. Curetas & Aetolos diſcernit a ſe invicem, iſti omnino Acarnanes ſunt.

Κουρῆτες τ' ἐμάχοντο καὶ Αἰτωλοὶ μενεχάρμαι,
Ἀμφὶ πόλιν Καλυδῶνα καὶ ἀλλήλους ἐνάριζον.

Plura de Curetibus dabit Strabo L. X. p. 465. Ubi ſimul a tonſura capitis nomen ſortitos narrat, Acarnanes contra inde appellatos, quod caput non tonderent. Κουρῆτας ἀπὸ τῆς κουρᾶς κληθῆναι . . . Ἀκαρνᾶνας, διὰ τὸ ἀκούρως φυλάττειν τὰς κεφαλάς. Acarnaniae nomen non prorſus evanuit; *Carnia* nunc appellatur. O.

## Apuli

Continebat Apulia duas regiones, Dauniam & Peucetiam. v. Ptolemaeus L. III. c. 1. Ita quoque Strabo L. VI. p. 283. Ἀνάγκη δὲ Πευκετίων τὴν Δαυνίων μηδ' ὅλως λεγομένων, ἀ τὸ τῶν ἐπιχωρίων πλὴν εἰ τὸ παλαιὸν, ἁπάσης δὲ ταύτης τῆς χώρας Ἀπουλίας λεγομένης. Idem tamen pag. 285. Apulos diſtinguit a Peucetiis & Dauniis. οἱ δὲ περιοικοῦντες (τοῦ Γαργάνου κόλπον) ἰδίως Ἀπουλοι προσαγορεύονται· εἰσὶ δὲ ὁμόγλωττοι μὲν τοῖς Δαυνίοις τὴν Πευκετίοις· οὐδὲ τ' ἄλλα δὲ διαφέρουσιν ἐκείνων τοῖς νῦν· τὸ δὲ πάλαι διαφέρειν, εἰκός. Apuliam iſtam bipartitam una cum Meſſapia veteres ſaepe nuncuparunt *Japygiam*. v. Polybius in Hannibal. L. III. c. 88. Virgilius Aen. L. XI. v. 247. Plinius Apulorum genera tria conſtituit L. III. c. 10. Teanos, Lucanos, Daunios. Daunia vetus hodieque Apuliae nomen retinet, dicta *la Puglia*, *la Pouille*; alias & *Capitanata* ſalutatur. Peucetiae nunc reſpondet *terra di Bari*. Nomen Apuliae tum Graeci tum Romani vulgo ſimplici elemento pingunt, rarius duplici, ut Mela L. II. c. 4. & Lucanus paſſim. In Dacia municipium fuit *Apulum Auguſtum*, cujus frequenter meminere lapides, prope Albam Juliam eruti. O.

## Aethiopes

*Indi Aſiae*) Loquitur Sequeſter de gente Aethiopum ad orientem verſus, non autem generatim de Aethiopia. Servius ad Virgilii Aen. L. IV. verſ. 481. *Aethiopum*) *Aethiopiae duae ſunt, una circa ortum ſolis, altera circa oceanum in Mauritania, quam nunc dicit. & dicta Aethiopia a colore populorum, quos ſolis vicinitas torret. Graece enim* αἴθω

*torrere*, ὄψ *adspectus*, *dicitur*. Probus ad Georg. L. II. v. 120. *Aethiopia sita est ab oriente hiberno ad occidentem hibernum sub ipso meridiano*. Lutatius ad Statii Theb. L. X. v. 84.

*Stat super occiduae nebulosa cubilia noctis,*
*Aethiopasque alios*, &c.

*Aethiopasque alios*) *Mauros dicit occidentales*. Eustathius ad Dionysii orb. descript. vers. 179 & 180.

τόθι γαῖα κελαινῶν Ἀιθιοπήων
Τῶν ἑτέρων, τῶν ἄγχι τιταίνεται οὖδας Ἐρεμβῶν.

γαῖα κελαινῶν Ἀιθιοπῆων) Ὅτι περὶ τὴν Ἀραβίαν ἡ γῆ τῶν ἑτέρων κελαινῶν Ἀιθιόπων, ἤγουν τῶν ἀνατολικωτέρων, ἀντιδιαστελλομένων τοῖς ἑσπερίοις Ἀιθίοψι, καὶ γὰρ καὶ καθ' Ὅμηρον, οἱ μὲν δυσσομένου Ὑπερίονός εἰσιν, οἱ δὲ ἀνιόντος· ὡς ἐν τῷ πρώτῳ τῆς Ὀδυσσείας γέγραπται. Ἐρεμβῶν) Ὅτι ἄγχι τῶν ἑῴων Ἀιθιόπων οἱ Ἐρεμβοὶ, καὶ τὰ ἀκόλουθα. adde sis scholiasten. Priscianus perieg. vers. 168.

*Terminat haec fines rubri prope litora ponti*
*Latos; Aethiopum populos quos possidet alter;*
*Quem calidis juxta terris pascuntur Erembi.*

Homerus Odyss. L. I. vers. 22.

Ἀλλ' ὁ μὲν Ἀιθίοπας μετεκίαθε τηλόθ' ἐόντας
(Ἀιθίοπας, τοὶ διχθὰ δεδαίαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν,
Οἱ μὲν δυσομένου Ὑπερίονός εἰσιν, οἱ δ' ἀνιόντος)
Ἀντιόων ταύρωντε καὶ ἀρνειῶν ἑκατόμβης.

HESSEL.

Nihil hic docet Vibius, quod veterum testimoniis haud nitatur. Aethiopes certe locabant in India, eosque Herodotus τοὺς ἐκ τῆς Ἀσίης Ἀιθίοπας salutat, armisque instruit iisdem, quibus & Indos. L. VII. c. 70. Idem scite Aethiopes supra Aegyptum positos, τοὺς μὲν δὴ ὑπὲρ Αἰγύπτου Ἀιθίοπας L. VII. c. 69. sive Aethiopes Libyae τοὺς ἐκ τῆς Λιβύης distinguit ab Aethiopibus ad ortum solis positis, ἀπὸ τῶν ἀπ' ἡλίου Ἀιθιόπων. L. VII. c. 70. aut ab Indis proprie sic vocatis, c. 65. quorum Vibius mentionem p. 35. facit, ubi sic: *Indi pars Asiae*. In universum veteres omnibus ad ae-

quatorem ſitis gentibus Aethiopum nomen indidere. v. Strabo L. I. p. 31. S. CROIX.

## Aegyptii

*Aegyptii*) ſic MS. Revii. Stephanus Byz. in Αἴγυπτος. Τὸ ἐθνικὸν Αἰγύπτιος, ὡς ἔχει τὸ ἰαμβεῖον

Δεινοὶ πλέκειν τοι μηχανὰς Αἰγύπλιοι

- - - τὸ θηλυκὸν Αἰγυπλία, καὶ τὸ Αἰγύπλιον.

HESSEL.

MS. Med. *Aegyptii.* GRONOV.

*partis Aſiae*) Lege Cellarium G. A. L. IV. nec non c. 1. Sequeſter facit cum Mela L. I. c. 9. *Aſiae prima pars Aegyptus inter Catabathmon & Arabas.* HESSEL. Sunt, quibus Aegyptii ad Nilum uſque Aſiae accenſendi videantur. Ita Strabo L. II. p. 126. Ἐκπλέουσι τὸν κατὰ σῆλας πορθμὸν εἰς δεξιᾷ μὲν ἐστι ἡ Λιβύη μέχρι τοῦ Νείλου ῥύσεως. Ita porro Mela L. I. c. 1. *Hoc mari* (mediterraneo) *& duobus inclytis amnibus Tanai & Nilo, in tres partes univerſum dividitur.* & Plinius L. III. c. 1. *Intranti* (in mare mediterraneum) *dextra Africa eſt, laeva Europa: inter has Aſia. Termini amnes, Tanais & Nilus.* Proinde Aegyptus hinc foret Libyca, illinc Aſiatica. Eorum tamen magis probari doctrinam, ipſe Strabo commemorat L. I. p. 35. qui terminum Aſiae Africaeque ſtatuant Arabicum ſinum, quem natura probet ipſa. O.

## Barcaei

v. Servius ad Virgilii Aen. L. IV. v. 42.

*Hinc Getulae urbes, genus inſuperabile bello,*
*Et Numidae infreni cingunt & inhoſpita Syrtis:*
*Hinc deſerta ſibi regio, lateque furentes*
*Barcaei* - - - -

ubi ſic: *Barcaei longe ſunt a Carthagine* Hi ſecundum Titianum in Chorographia Phoenices nava'i quondam vicere certamine. cf. Cellarium N. O. A. L. IV. c. 2. HESSEL.

Non

Non Barcae, Graecorum in Cyrenaïca coloniae, quae poſtmodum Ptolemais, teſte Plinio L. V. c. 5. ſalutata eſt, incolas, ſed Libyae aliquem populum intelligit noſter, quem Ptolemaeus Βαρκίτας vocat L. IV. c. 4. ubi forte legendum. Βαρκαιάλαι, ut apud Stephanum Byzantinum in v. Βάκκη. S. CROIX. Cyrenen Battus condidit Theraeus, quem in regno excepit Arceſilaus filius. Hujus fratres, quos nominare videtur Stephanus Byz. ſtruxere Barcen, teſte Herodoto L. IV. c. 160. & quidem in arido loco, quod vel ex Virgilio patet, cui jungendi ſunt Silius L. III. v. 251. & Claudianus de bello Gildonico v. 159. quibus *arida Barce* dicitur. Hinc nominis originem ſeſe inveniſſe ſibi perſuadet Bochartus in Chanaane L. I. cap. 25. „ בר *bar* enim, „ ſic ait, pro agro vel pro deſerto tam inter Poenos po„ tuit eſſe in uſu, quam inter Syros & Arabes. „ Imo *Marmaricae* etymon in eadem voce latere tradit. Scilicet dictum ab initio *Bar-Barca*, unde permutata littera *Marmarica*. De hac opinione Bocharti liberum cuique judicium eſto. Hodieque regio iſta *deſertum Barca* dicitur. Jam porro Barces incolae *Barcaei* ſalutabantur; regio *Barcaea* & incolae *Barcaeatae*. v. Stephanus Byz. & Herodotus l. c. Ptolemaïs, quae Barcae ſucceſſit, non in eodem loco ſtructa fertur, ſed in mediterraneo tractu. Scylax in periplo: Ἡ δὲ πόλις ἡ Βαρκαίων ἀπὸ θαλάσσης ἀπέχει σταδία ρ'. Ἐκ δὲ λιμένος τοῦ καλ. Βάρκην ἐφ' Ἑσπερίδας σταδία χκ'. Quod quidem non impedit, quo minus vulgo Ptolemaïs & Barce pro eadem haberi potuerint, incolis ſcilicet ex hac in iſtam translatis. Inde Strabo L. XVII. p. 837. εἶθ' ἡ Βάρκη πρότερον, νῦν δὲ Πτολεμαΐς. Apud Ptolemaeum L. IV. cap. 4. utraque recenſetur tanquam tum reſidua, verum, quaſi antiquae urbis incolae, novo recepto nomine, antiquum nomen in recens a colonis ſuis occupatam ſedem tranſtulerint, invertitur oppidorum ſitus. In Pentapoli quippe Ptolemaïdem is locat; inter mediterraneas civitates recenſet Barcen. Qua in re forſan fallitur Geographus. Porro de Barcitis ita: Καθέχουσι δὲ τῆς χώρας τὰ μὲν ὑπὸ τὴν Πενταπολίν

Βαρκῖται, ἀπὸ ἀνατολῶν τοῦ κήπου τῶν Ἑσπερίδων. Verum Hesperides ipse prope Berenicen ponit. Nam paullo ante: Βερενίκη, ἡ καὶ Ἑσπερίδες. Nolim proinde nimium a Pentapoli remotos Ptolemaei Βαρκίτας, commodeque, meo quidem judicio, pro iisdem cum Barcaeis poterunt accipi, nomine populi latius patente, quam oppidi. *Mauris* quum adscribit Sequester Barcaeos, latissimo sensu id facit, quo simul in sequentibus Garamantes & Numidas sub Maurorum nomine complectitur. Unicum illud adjicio, *Barcanos* vel *Barcanios* quoque populos Hyrcanis propinquos occurrere apud Curtium L. III. c. 2. & Stephanum Byz. Oppidum eorum *Barce* vel *Barca*, cujus quoque mentio apud Ravennatem anonymum L. II. c. 9. O.

## Chalybes

Ad Virgilium Georg. L. I. v. 58.

*At Chalybes nudi ferrum* (scil. mittunt)

Probus: *Chalybes natio Pontica.* Porro Dionysius perieg. v. 762. &c. & 768.

Φράζεο δ' ἐκ Κόλχων καὶ Φάσιδος ἐς δύσιν ἤδη,
Εὐξείνου παρὰ χεῖλος, ἐπιλαδὸν ἔθνεα Πόντου,
Ἄχρι Θρηϊκίου στόματος - - -
Τοῖς δ' ἔπι, καὶ Χάλυβες συφελὴν καὶ ἀπηνέα γαῖαν
Ναίουσιν, μογεροῦ δεδαηκότες ἔργα σιδήρου·
Οἱ ῥα βαρυγδούποισιν ἐπ' ἄκμοσιν ἑστηῶτες,
Οὔποτε παύονται καμάτου καὶ οἰζύος αἰνῆς.

Et ad hunc locum Eustathius: Τούτους δὲ Χάλυβας ἄλλοι Χαλβίους ἐκάλεσαν (ἔθνος δέ εἰσι Ποντικὸν, παρὰ τῷ Θερμώδοντι) ἀφ' ὧν σίδηρος, φασὶν, ἐξάγεται - - - ὅθεν καὶ Χαλυβικὸς κνώδων καὶ, πλεονασμῷ τοῦ δ, Χαλυβδικὸς παρὰ τῷ Λυκόφρονι, ὁ ἐξ ἀρίστου σιδήρου &c. In sequentibus docet apud Homerum dici Ἄλυβας. Accedat scholiastes Euripidis in Alcest. v. 950. Χάλυβες ἔθνος τοῦ Πόντου, ἔνθα σιδηρᾶ μέταλλα εἰσί.

*Europae*) *Asiae* scribendum fuisset. Cellarium lege L. I. c. 2. HESSEL.

Non ſemper in Ponto habitarunt Chalybes. Inter populos a Croeſo intra Halym fluvium ſubactos recenſentur apud Herodotum L. I. c. 28. Unde forte Croeſi tempore intra Halym habitabant, poſtea vero mutarunt ſedes & receſſerunt verſus Orientem, judice Palmerio ad Strabonem L. XIV. pag. 678. ubi Geographus cum Ephoro antiquo ſcriptore expoſtulat, quod is intra peninſulam Aſiae in mediterraneis collocaverit Chalybes, procul verſus orientem a Sinope & Amiſo remotos. Idem L. XII. p. 549. qui *Chaldaei* tum dicebantur, dictos olim *Chalybes* diſputat, ab Homero quoque vocari *Halizones* Iliad. L. II. v. 856.

Αὐτὰρ Ἀλιζώνων Ὀδίος καὶ Ἐπίστροφος ἦρχον,
Τηλόθεν ἐξ Ἀλύβης, ὅθεν ἀργύρου ἐστὶ γενέθλη.

Inquirit dein in id, unde factum, ut *Alybes* pro Chalybibus appellaverit. Plinius & hos circa Thermodontem Ponticos Chalybes recenſet L. VI. c. 4. & alios, quos in Troglodytis Aethiopibus locat L. c. c. 19. Demum *Chalybis* fluvii accolas Gallaecos in Hiſpania Chalybes nuncupatos, tradit Juſtinus L. XLIV. c. 3. O.

## Cicones

Virgilius Georg. L. IV. v. 520. ſeq.

*ſpretae Ciconum quo munere matres,*
*Inter ſacra Deûm nocturnaque orgia Bacchi,*
*Diſcerptum latos juvenem ſparſere per agros.*

ad hunc locum Servius ſic: *Cicones autem Thraces mulieres ſunt, quae ab Orpheo ſpretae diſcerpſere eum per Liberi ſacra ſimulata.* & Philargyrius: *Cicones gens Thraciae, a Cicone Apollinis filio dicta.* & Probus: *Cicones natio Thracum, qua oppidum eſt Ismarus.* Scholiaſtes Homeri ad Iliad. L. XVII. v. 73. Κίκονες ἔθνος Θρᾳκῶν. cf. & ad L. II. v. 848. videndus & Silius L. II. v. 73. HESSEL. Cicones Biſtoniae, quae ad Thraciam ſpectabat regio, aſſignantur in Orphei Argonauticis v. 76.

Ὀρφεῦ Καλλιόπης τε καὶ Οἰάγρου φίλε κοῦρε,
Βιστονίῃ Κικόνεσσι πολυῤῥήνοισιν ἀνάσσων,
Χαῖρε. - - -

Circa Hebrum eos locat Mela L. II. c. 2. Circa os Hebri Plinius L. IV. c. 11. cf. & Ovidius Metam. L. XI. v. 3 seq. In Ismari urbis vicinia ponit Stephanus ex mente Homeri & Marcianus Heracleota; cognominem isti urbi montem Ismara v. Ismarum habet Virgilius, loco supra pag. 329. excitato, cui adjicias velim ecl. VIII. v. 44. Imo Ismarida paludem memorat Herodotus L. VII. c. 109. Idem hic Cicones a Bistonibus sejungit, duasque gentes facit ib. c. 110. Dictos a Cicone, Apollinis filio, refert Philargyrius l. c. In India quoque a Plinio L. VI. c. 17. recensentur Cicones, quos Europaeorum colonos fuisse suspicatur Harduinus. O.

## Daci

Getarum, prope Germaniam versus Istri fontes habitantium, pars quaedam *Dacorum* nomine venit, Strabonis judicio, qui prius *Davos* fuisse appellatos adjicit; Δαύους καλεῖσθαι τὸ παλαιόν. L. VII. p. 304. S. CROIX. Heic loci non Δαύους sed Δάους esse legendum, disputat Salmasius in Exercitat. Plinian. Ita enim Graecis, Latinis *Davos* esse dictos. Ejus rei documentum suppeditat scholiastes Aristophanis in Acharnenses, ubi sic: Εἰσὶ δὲ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ οἰκέται Ξανθίας, Τίβιος, Σοσίας, Δᾶος, Γέτας. Plinius L. IV. c. 12. Getas a Dacis nullo modo distinguit. *Ab eo*, inquit, scilicet Danubio, *in plenum quidem omnes Scytharum sunt gentes; variae tamen littori apposita tenuere: alias Getae, Daci Romanis dicti; alias Sarmatae* &c. Nec abludit ab hac sententia Dio Cassius L. LI. c. 22. Οἱ δὲ ἐπέκεινα Δακοὶ κέκληνται, εἴτε δὴ Γέται τινὲς, εἴτε καὶ Θρᾷκες, τοῦ Δακικοῦ γένους τῶν τὴν Ῥοδόπην ποτὲ ἐνοικήσαντες, ὄντες. Daciae situm luculenter describit Agathemerus L. II. Καὶ ἔστιν ὑπὸ μὲν τὰ δυτικώτατα τῆς Σαρματίας ἐπὶ Νότον κατιοῦσα μετὰ τὰς Ἰάζυγας τοὺς Μεταναστὰς ἡ Δακία, ὁριζομένη καὶ αὕτη τῷ Ἴστρῳ . . . . Ὑπόκειται δὲ καὶ τῇ Δακίᾳ μετὰ τὸν Ἴστρον ἡ ἄνω Μυσία . . . . cf. & Marcianus Heracl.

in periplo. Dacicis potiſſimum Trajani expeditionibus ea regio inclaruit, & ab hoc aevo in lapidibus utramque paginam facit. Nota urbs princeps. Colonia Ulpia Trajana Sarmizegethuſa, cujus monumenta in Danubio Pannonico Myſico collegit Comes Marſilius. Dacorum Jaſſiorum memoriam titulus ſtatuae Antonino Pio dicatae, quem exhibet Gruterus pag. CCLIX. n. 8. ſervavit, quorum nomen oppidum *Jaſſy* hodieque retinet. Peculiarem gentis Dacicae morem recenſet Plinius L. XXII. c. 1. *Mares apud Dacos & Sarmatas corpora ſua inſcribunt.* Sequiori aevo Dacia in primam & ſecundam vel in majorem minoremque eſt diſtributa. Prior quoque Gepidia dicta. v. Jornandes de rebus Geticis cap. 12. & Ravennas anonym. L. I. c. 11. & L. IV. c. 14. Diviſa porro in Ripenſem & Mediterraneam. Suidae tempore, ut refert ipſe, Daci *Patzinacitae* ſunt appellati. *Dacos* ſaepenumero media aetate vocitarunt ſcriptores, quos *Danos* dicere debebant, qui Angliam infeſtarunt occuparuntque. Contra *Daniam* dicit pro *Dacia* Ravennas anonymus L. IV. c. 17. O.

## Dryopes

Virgilius Aen. L. IV. v. 146.

\- - *mixtique altaria circum*
*Creteſque Dryopeſque fremunt.*

ubi Servius: *Dryopes populi juxta Parnaſſum.* GRONOV.

Dryopum antiqua gens Graeciae, quam ſubegiſſe fertur Hercules, v. Apollodori Biblioth. L. II. cap. 6 & 7. non ad Phocenſes ſpectabat, quin potius Theſſalia oriunda fuit, in qua praeter quatuordecim pagos duas urbes incolebat, Heracleam ac *Dryopen*, eandem & *Hermionen* dictam, teſte Stephano Byz. voce Δρυόπη. Ejus populi magna pars, novas quaeſitura ſedes, in Peloponneſum migravit, v. Herodotus L. VIII. c. 74. Strabo L. IX. p. 434. & in Euboeam, v. Pauſanias Meſſen. c. 34. Quod gentis in patria remanſerat, Phocenſium, quibus par eſſe haud poterat, dominio ſubjectum eſt ſucceſſu temporis, qui & ipſorum regione

potiti. Ea res, Herodoti testimonio L. VIII. c. 31. firmata, τῆς Φωκίδος χώρης, ἥπερ ἦν τὸ παλαιὸν Δρυοπὶς, forsan Vibio sententiam, quam attulit, suggessit. S. CROIX. Dryopidem definit Dicaearchus, credo, qualis obtinuit prius, quam in Thessaliam, Peloponnesum, Euboeam imo Asiam vel migrarent vel saltem colonias mitterent ejus incolae,

Τῆς δ' Ἑλλάδος ἐστὶν Ἀμβρακία πρώτη πόλις,
Αὕτη δ' ἀποικία λέγεται τῶν Κορινθίων
Εἶναι, Κατὰ τὸν κόλπον δὲ τὸν καλούμενον
Ἀμβρακικὸν ᾤκισται μέση, σταδιοὺς δ' ἔχει
Ἀπὸ τῆς θαλάσσης ὀγδοήκοντ', ἐπιφανὲς
Δ' ἱερὸν Ἀθηνᾶς ἐστ' ἐν αὐτῇ, καὶ λιμὴν
Κλειστός· καλεῖται Δρυοπὶς ἡ χώρα δ' ὅλη.

Conveniunt haec sic satis cum testimonio Plinii, qui L. IV. c. 1. inter Epiri populos recenset Dryopes. Porro autem Carystum Euboeae eos condidisse, auctor est Scymnus Chius v. 576. In Peloponneso Asinen eorum fuisse domicilium, docemur a Strabone L. VIII. p. 373. Penetrasse in Mysiam, tradit idem L. XIII. p. 586. atque ea, quae circa Abydum fuerint, occupasse. Dryopum nomen a rege quodam Thessalico derivandum, apud Plinium legimus L. c. c 7. vel a Dryopa Eurypyli filia, ut docet Stephanus, quod si sit, utique prima gentis sedes in Thessalia fuerit. O.

## Gaetuli

*Gaetuli* &c.) Ita scribendum; nam Graece Γαίτουλοι & Λιβύη. Ceterum potuisset alterutra voce abstinuisse Vibius, quippe Libye est Africa. Doctrinam suam noster iterum Servio debet ad Virgilii Aen. L. V. v. 192. ubi *Gaetulis*) *Africanis; a parte totum, nam Gaetulia mediterranea est.* Eustathius quoque ad Dionys. orb. descr. v. 215.

Ἄγχι δὲ Μαρμάριδαι προνενευκότες Αἰγύπτοιο,
Γαίτουλοί τ' ἐφύπερθε, καὶ ἀγχίγυοι Νίγρητες.

Ὅτι Γαίτουλοι μέγιστον ἔθνος Λιβυκόν. cf. & Cruquianus interpres ad Horatii L. II. od. 20. v. 15. HESSEL.

Non mirum; Gaetulos a Vibio ad Afros referri; etſi enim hi initio anguſto ſpatio, quod inter Hipponenſem ſinum ſinumque Syrtis minoris interjacebat, comprehenſi ſint, tempore Vibii tamen latius id gentis nomen patuit. Interim crediderim equidem, noſtrum nominibus Afrorum, Maurorum, Libyum, ad deſignandos Africae populos promiſcue uti. Strabo ſollicite Mauros diſtinguit a Libybus, quorum nomine Gaetulos intelligit L. XVII. p. 828 & 835. Ptolemaeus Mauris Gaetulos facit conterminos L. IV. c. 6. S. CROIX. Infra Garamantes, Maurusios & Nigritas habitarunt Gaetuli, teſte Strabone L. II. p. 131. & L. XVII. p. 835. Succeſſu temporis pedetentim in maritimam oram progreſſi Mauretaniam utramque & Numidiam infeſtarunt ac occuparunt. Non fixa eis ſedes erat. In quam rem Silius L. III. v. 287 ſeq.

*Vos quoque deſertis in caſtra mapalibus itis*
*Miſceri gregibus, Gaetulia, ſueta ferarum,*
*Indomitiſque loqui & ſedare leonibus iras:*
*Nulla domus, plauſtris habitant, migrare per arva*
*Mos, atque errantes circumvectare Penates.*

cf. & Salluſtius de bello Jugurth. c. 18. item Mela, cui L. I. c. 4. *natio frequens multiplexque Gaetuli* vocantur. Diverſis nominibus pro diverſa, quam incolebant, regione veniebant. Plinius L. V. c. 2. *Gaetulos Baniuras* commemorat, atque *Autololes*. Ptolemaeus *Melano-Gaetulos* L. IV. c. 6. *Gaetulos Daras* Plinius L. V. c. 1. Plura dabit Cellarius N. O. A. L. IV. c. 8. O.

## Germani

Dionyſius perieg. v. 284 ſeq.

\- - - - ἔνθα Βρέλανοὶ,
Λευκά τε φῦλα νέμονται ἀρειμανίων Γερμανῶν,
Ἑρκυνίου δρυμοῖο παραθρώσκοντες ὀρόγκους.

cf. ad h. l. Euſtathius. HESSEL. Scilicet Euſtathius Germanis propinquos eſſe Alamannos tradit, *albaſque* iſtorum

*tribus* dici Dionyſio, ut nigris opponat Aethiopibus. Porro Germanos γνησίους vel ἀληθεῖς reddendos Graece docet, ita vocatos, quod veri ſint Galli vel Celtae, ſive Gallorum fratres, quibuſcum forma, vita, moribus conveniant. Hauſit e Strabone ſcholiaſtes; is enim L. VII. p. 290. eadem habet; Γερμανοὶ . . . μικρὸν ἐξαλλάττοντες τοῦ Κελτικοῦ φύλου, τῷ τε πλειονασμῷ τῆς ἀγελειότητος καὶ τοῦ μεγέθους καὶ τῆς ξανθότητος, τἄλλα τε παραπλήσιοι καὶ μορφαῖς, καὶ ἤθεσι καὶ βίοις ὁποίους εἰρήκαμεν τοὺς Κελτούς. Tum de nominis ratione eadem quae iſte refert. Contrariam vero ſententiam tuetur Tacitus in Germ. c. 2. putatque nationem Tungrorum initio ſic appellatam eſſe, ejuſque nomen dein ad omnem transiſſe gentem. Recentioribus ſcriptoribus nec Taciti nec Strabonis doctrinam facere ſatis, ad hujus l. c, notat Caſaubonus, quam in controverſiam heic nobis deſcendere non licet. Sibi ne deſit Bochartus, opinionem eorum, quibus *Germani* videntur quaſi *bellatores* dicti ex Germanico *Werre*, bellum, unde Itali habent ſuum *Guerra* & Galli *guerre*, iſtam opinionem, inquam, ita ſuam facit, ut radicem vocis in Hebraïco גרה, *miſcuit* & התגרה *contendit*, *bellavit*, latere pronuntiet. *Germanos* ad Sarmates & Getas uſque transfert Dionyſius loco ſupra pag. 379. allato. In Perſicis gentibus *Germanii* recenſentur Herodoto L. I. c. 125. *Germanes*, Indorum Philoſophi, Straboni L. XV. p. 712. O.

## Getae

De Getis v. Silius L. II. v. 75.

- - - *ſpreti Ciconeſque Getaeque,*
*Et Rheſi domus, & lunatis Biſtones armis.*

Euſtathius ad Dionyſii orb. deſcr. v. 304. ὅτι τὰς Γέτας Διονύσιος μὲν πρὸς βορρᾶν τοῦ Ἴστρου οἶδεν, ὡς ἀνωτέρω εἴρηται· καθὰ καὶ τοὺς Σαρμάτας, οἵ ἔθνος ἐισὶ Σκυθικόν, Ἡρόδοτος δέ μέρος ὄντας εἶναι τῶν Θρᾳκῶν τὰς Γέτας &c. Servius ad Virgilii Aen. L. III. v. 35. *Geticis*) *Thraciis. Getae autem populi ſunt Moeſiae* &c. cf. & Porphyrion ad Horatii L. III. od. 24. v. 11. ubi *rigidos Getas* reddit *Thraces*. HESSEL.

*Europae*) Recte sic MS. Mediolan. Thracia enim est in Europa, non in Asia. Praeterea *Getae* habitant trans Istrum. Ister fluvius Europae. Egregie Strabo L. VII. p. 303. Ἔτι γὰρ ἐφ' ἡμῶν γοῦν Ἄιλιος Κάτος μετῴκησεν ἐκ τῆς περαίας τοῦ Ἴστρου πέντε μυριάδας σωμάτων παρὰ τῶν Γετῶν, ὁμογλώττου τοῖς Θρᾳξὶν ἔθνους, εἰς τὴν Θρᾴκην, καὶ νῦν οἰκοῦσιν αὐτόθι Μυσοὶ καλούμενοι. GRONOV. Septem Thraciae populis haud accenset Getas Herodotus, quos L. VII. c. 110. enumerat, & per quos iter factum Xerxi narrat. Inter Scythiae Nomades trans Istrum habitabant, superandum Alexandro, bellum illis illaturo. v. Arrianus de exp. Alex. L. I. c. 3. Vibius vulgo receptam apud Graecos opinionem secutus Getas ad Thraces refert. v. Strabo L. VII. p. 303. sed quae apud hunc Geographum sequuntur, quam vana sit memorata opinio, satis declarant. S. CROIX. Nullum mihi dubium, quin soli Servio supra citato effatum suum debeat Vibius. Successu temporis *Getae* dicti sunt *Gothi* vel *Gotti*. Ita Spartianus in Caracalla c. 10. *Adde si placet* GETICUS MAXIMUS, *quod Getam occiderat fratrem & Gotti Getae dicerentur.* Ravennas anonymus nullos amplius *Getas* habet, at *Gothos*. O. Non est absimile vero, *Massagetas*, ad ortum Caspii maris positos, olim ad *Getas* fuisse relatos, quorum postea colonia exstitere. Atque hoc forsan errandi causam dedit Synesio, Getas Massagetasque trans Istrum copulanti. de Regn. p. 12. typ. reg. S. CROIX.

## Geloni

*Thraciae*) Sarmatiae Europaeae κυρίως. HESSEL. Gelonos esse populos Scythiae, omnes scribunt Geographi; quare suspectum esse hunc locum, aut Vibium falli, observat Turnebus Adv. L. XXIX. c. 26. in fine. male, cum Thraciam more Graecorum pro Scythia usurparit Vibius. CLAUDIUS. Thraciae limites ad Borysthenis ripas videtur proferre Vibius. Ibi enim habitabant Geloni, populus Scythiae, a Graecis eo nomine salutatus. v. Herodotus L. IV.

c. 109. Scylax eos Melanchlaenis vicinos ſtatuit, peripl. p. 30. ed. Voſſ. Geloni pro Sarmatica natione habiti, teſte Stephano Byzant. in voce Γελωνοὶ, nunquam pro Thraciae incolis. s. CROIX. Inter Scythiae Europaeae populos Herodotus l. c. recenſet & *Gelonos*, quos in Budinis habitaſſe urbemque ligneam maximam, quae dicta ſit Gelonos, habuiſſe narrat. Addit porro, olim Gelonos fuiſſe Graecos & lingua tum Graeca tum Scythica uſos. Sarmatiae Europaeae & Scythiae populis adnumerantur & ab aliis, reſpice pag. noſtram 379. Nomen & urbis & gentis a *Gelono* Herculis filio repetunt veteres. v. Stephanus Byz. Eum occupaſſe tractum Gelonos, arbitratur Harduinus ad Plinium L. IV. c. 12. quem nunc *Lithuani*. Thraciae eos aſſignari a Vibio, eo magis mirum, quod Servius ad Virgilii Georg. L. II. v. 115.

*Eoaſque domos Arabum pictoſque Gelonos,*
*Scythiae populos* diſerte dicat. O.

*picti*) v. Virgilius Georg. L. II. v. 115. Claudianus in Rufinum L. I. v. 313.

*Membraque qui ferro gaudet pinxiſſe Gelonus.*

HESSEL.

Servius ad Virgilium *pictos* interpretatur *ſtigmata habentes*: qua in re conſentit cum Claudiano. „ Verum, dura interpretatio, judice Cellario L. II. c. 6. nec quae pingendi verbo facile reſpondeat. Credibilius, quod Salmaſius in Solini c. 15. cenſet, colore faciem aut omne corpus pinxiſſe, quod & aliis barbarorum ſub illo coelo ſolemne fuit. O.

*parte*) Barthius ad Claudian. in Rufin. L. I. verſ. 315. *partem*. Sic in edit. Hanov. 1612. verum in edit. Amſtelod. Heinſ. 1665. verſ. 315. *parte*. In utraque autem edit. verbis Sequeſtris interjectum eſt verbum *populi* & reliqua. Lamp. Alardus ad Valerium Flaccum L. I. verſ. 704. videtur ita quoque vocem *mons* addidiſſe in contextum orationis: *Ida mons*, ajens, *in Troade* &c.

## Garamantes

Defeciſſe debuerat vox *Mauri.* etenim in Mauretaniis non fuere Garamantes. de quibus v. Lucanus L. IX. v. 511.

*Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus unum*
*Inculti Garamantes habent.*

& Silius L. III. v. 312. HESSEL. Si quid video, Garamantes Mauros vocat noſter, quod Nubiae fuere contermini, ex mente Ptolemaei, qui L. IV. c. 6. ſic: Γαράμαντες δὲ ἔχουσιν ἀπὸ τῶν τοῦ Βαγράδα ποταμοῦ πηγῶν μέχρι τῆς Νάβα λίμνης. Sat longo tamen intervallo a Mauritania abfuere, quippe quos decem dierum ſpatio ab Augila ad occaſum locatos refert Herodotus L. IV. c. 183. S. CROIX. Dubio ordine ponuntur a priſcis. v. Cellarius N. O. A. L. IV. c. VIII. De uno quum ſermo, *Garamas* dici ſolebat; ſic Silius L. V. v. 194.

*Erumpunt multuſque Maces, Garamaſque Nomaſque.*

Hominum conſpectum fugere ſolitos, Herodotus narrat L. IV. c. 174. Oppidum gentis primarium *Garama*, ſi fides Ptolemaeo l. c. *Garamas Aſiae mons, ex quo Phaſis oritur*, quemque ex Vibio producit Ortelius, nullus eſt. Reſpice pag. noſtram 165. Fons, ex quo articulum praeſentem hauſit Sequeſter, extat apud Servium, ubi ad Virgilium Aen. L. VI. v. 794. ita: *Garamantas*) *Populi inter Libyam & Africam juxta* Κινναμίνην. O.

## Gangaridae

*Gangaridae*) Servius ad Virgilii Georg. L. III. v. 27.

*In foribus pugnam ex auro, ſolidoque elephanto*
*Gangaridum faciam - - -*

*Gangaridae populi ſunt inter Indos & Aſſyrios habitantes circa Gangem fluvium; unde etiam Gangaridae dicti ſunt. Hos devicit Auguſtus: unde eſt,*

*Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.*

Quid vero ſibi velit hoc loco τὸ *& Aſſyrios*, equidem non

ſcio. Cum Servio conferatur porro Probus ad l. c. qui ſic: *Gangaridae dicuntur ab Indiae flumine Gange*; & Euſtathius ad Dionyſii orb. deſcr. v. 1143.

\- - μετὰ τοὺς δὲ Διονύσου θεράποντες
Γαγγαρίδαι καίουσιν - - - -

Ἰνδοὶ δὲ καὶ οἱ Γαγγαρίδαι, ὃς Διονύσου καλεῖ θεράποντας. HESSEL.

Gentis nomen recte dedit ſcriptum Vibius & ad originem vocis congruenter. Forſan veteres communi Gangaridarum nomine Indicas gentes in univerſum ſunt complexi, quae, ſecundum Megaſthenem apud Arrianum Indic. c. 7. centum & octodecim numero, ad orientem Indi fluminis habitabant, neque peculiaria ſua ſibi nomina habebant, in vulgus ſaltem non nota. Quicquid ejus rei ſit, Gangaridae omnes, non autem Gangaridae Indi Praſiis juncti, ſi Diodorum Sic. L. XVII. n. 93. audias, excitare valebant 20000 equitum, 200000 peditum, 2000 curruum armatorum & 4000 elephantos, aut, ſi Curtio habenda fides, in univerſum in aciem educere poterant 3000 elephantos. v. L. IX. c. 2. S. CROIX. Alii Gangaridas inter fontes Indi & Gangis locant; Ptolemaeus circa oſtia huius fluvii, cui nomen debent, ipſiſque regiam aſſignat *Gangen* L. VII. c. 1. *Noviſſimam* in his partibus *gentem Gangaridum Calingarum* recenſet Plinius L. VI. c. 19. cujus *regia* fuerit *Parthalis*. Sed ea in occidentali Gangis ripa fuit; etſi non prorſus negandum videatur, colonias populi trans fluvium quoque habitaſſe. Quod apud Servium inter Indos & Aſſyrios Gangaridarum ſedem poſitam miratur Heſſelius, id jure ſuo facit. Sequitur tamen iſtum Iſidorus Hiſpalenſis Orig. L. IX. c. 2. Γαγγαρίδαι Dionyſii & Γανδαρίδαι Diodori Siculi librariorum hominum negligentiae originem debere mihi videntur, etſi apud hunc L. II. c. 37. & l. c. frequentius repetitum nomen occurrat. O.

## Hiſpani

Ad Dionyſii perieg. v. 281.

Τῆς ἤτοι πυμάτην μὲν ὑπὸ γλωχῖνα νέμονται,
Ἀγχοῦ σηλάων, μεγαθύμων ἔθνεα Ἰβήρων.

ſcholiaſtes ita: Ἤτοι Εὐρώπης κατὰ τὴν ἰσχάτην γωνίαν, πλησίον τῶν σηλῶν, ἐπὶ τὸ τετραμμένον μέρος, τῶν μεγαλοψύχων Ἰβήρων τὰ ἔθνη κατοικοῦσιν, ὅπερ τῷ βορείῳ ὠκεανῷ ὁ ψυχρὸς ῥοῦς πέχυται. Euſtathius: Ὅτι ὑπὸ τὴν ἰσχάτην γλωχῖνα, ὅ ἐστι γωνίαν, τῆς Εὐρώπης ἀγχοῦ τῶν σηλῶν τῶν περὶ τὰ Γάδειρα οἱ Ἴβηρές εἰσι τεταμένοι ἄχρι καὶ τοῦ βορείου ψυχροῦ ὠκεανοῦ. κ. τ. λ. HESSEL. *Iberiam* conſtanter Graeci dixere, quae Latinis ſalutata Hiſpania. v. Ptolemaeus L. II. c. 4. Eam Phocaenſes, longis navigationibus primi inter Graecos uſi, invenerunt, judice Herodoto L. I. c. 163. Id de maritima ad Internum ora intelligendum, refert Polybius L. III. c. 37. Reliqua diu poſt cognita. Ab ea Iberia periplum ſuum inchoat Scylax. Τῆς Εὐρώπης εἰσὶ πρῶτοι Ἴβηρες, Ἰβηρίας ἔθνος καὶ ποταμὸς Ἴβηρ. Ab Ibero hoc fluvio regioni inditum nomen vulgo putant; alii ab Iberis, qui ex Aſia a Caucaſo monte illuc tranſierant. Bochartus ex Phoenicum lingua petit. „ Nam Caucaſios Iberos in Hiſpaniam veniſſe & re„ gioni dediſſe nomen, merae nugae ſunt. Quid igitur? „ Hebraeis עבר *eber*, Chaldaeis עברא *ebra* vel *ibra* eſt „ *tranſitus* & quicquid eſt *ulterius*. Inde plurali עברין *ebrin* „ vel *ibrin* terminos & *fines* ſignificat. Merito igitur *Iberi* „ dicti, qui ex Phoenicum ſententia terrarum fines ultimos „ occuparunt; Hiſpani nempe, quorum urbem Calpen Tyrii „ putaverunt eſſe τέρμονας τῆς οἰκουμένης, ut in Strabone „ habetur. v. Phaleg. L. III. c. 7. Graeci ſuo & hic indulgentes genio filium crearunt Herculis, a quo Iberorum nomen adſciſcerent. Euſtathius l. c. Κελτὸς γάρ καὶ ὁ Ἴβηρ, παῖδες Ἡρακλέους ἀπὸ βαρβάρου γυναικὸς, ἐξ ὧν τὰ ἔθνη οἱ Κελτοὶ καὶ οἱ Ἴβηρες. Sub Romanis promiſcue *Iberia* & *Hiſpania* dicta, v. Strabo L. III. p. 166. Marcianus Heracleota in periplo pag. 35. Euſtathius l. c. Praevaluit tamen

*Hiſpaniae* nomen, ut vel ex L. III. c. 1. tum Melae tum Plinii intelligitur. cf. & Agathemerus L. I. c. 2. Mox reciſo capite *Spania* quoque dicta. Ita in ep. ad Romanos legitur cap. XV. v. 24 & 28. Nec minus apud ſcriptores profanos. Sic ψευδο-Plutarchus in *Nilo*: νικήσας δὲ τὴν Ἰβηρίαν, Πᾶνα κατέλιπεν ἐπιμεληθὴν τῶν τόπων, ὃς τὴν χώραν ἀπ' αὐλοῦ Πανίαν μετωνόμασεν, ἣν οἱ μεταγενέστεροι παραγωγὴς Σπανίαν προσηγόρευσαν. Atque hujus aſſerti ſui teſtem adducit Softhenem, in L. de rebus Ibericis. Ita porro Σπανίαν dicit Paeanius Eutropii metaphraſtes. Neque ex lapidibus ea nominis forma exulat. Apud Muratorium in theſ. Inſcr. T. II. p. DCCCXIII. 5. ita:

D. M.
L. FADI. CORNVTI
TITI. MÆSSIANI
PRAEF. COH. V. EQ.
SPANORVM. TRIB. MIL.
LEG. V. MACED. H. AED
EX. TESTAMENTO
L. FADI. CORNVTI
PATRIS

in lin. 6. vitium haeret; pro H. AED. legendum cenſeo HAER. ut ſit *haeres ex teſtamento*. porro p. DCCCLXI. 6.

LEG. VII. GEM. SPANIAE

Denique, ut hoc adjiciam, Ravennati anonymo *Spania*, *Spanorum regio*, *Spanicus oceanus*, *Spano-Guaſconia* &c. utramque paginam faciunt. cf. demum & Stephanus Byz. v. Ἰβηρία. Verbum de etymo. Riſum nobis debet lepida Graeculorum gens, quae cum Plutarcho a *Pane* deducere *Spaniae* vocem ſatagit. Bocharto l. c. *Spaniae* nomen verum antiquum & Genti vernaculum, ſed a Phoenicibus acceptum videtur, ex quo dein per πρόθεσιν huic populo aeque ac Gallis conſuetam factum ſit nomen *Hiſpaniae*. Credit autem a *cuniculo*, qui Hebraeis שָׁפָן *ſaphan*, nuncupatam שְׁפַנְיָה *Spanija*. Id enim animalculum Hiſpaniae

quaſi peculiare fuit. v. Varro de R. R. L. III. c. 12. & Plinius L. VIII. c. 29. 55 & 58. Aelianus de H. An. L. XIII. c. 15. &c. Catullum vero auctorem minus tuto adducit; ubi enim is carm. 38. v. 12. *cuniculoſae* meminit *Celtiberiae*, ibi Voſſius *Celtis peroſae* ſubſtituere jubet. O.

## Indi

Scholiaſtes Dionyſii ad orb. deſcr. v. 638. Εἰς τὸ μέσον δὲ ἀπάτης τῆς Ἀσίας ὄρος περιβέβηκεν ἀπὸ τῆς Παμφυλίδος γῆς ἀρξάμενον μέχρι τῆς Ἰνδῶν. Euſtathius: Ὅτι ὁ Ταῦρος τὸ ὄρος ἀρξάμενος ἐκ τῆς Παμφυλίας, ὡς ἴδιος δοξάζει, ἄχρι τῆς Ἰνδῶν παρήκει διὰ πάσης ἤκων Ἀσίας.

*pars Aſiae*) codex Revii & editio Florentina: *Arabes Aſiae*. Sed de Arabia nonnunquam Indiaque a poëtis mentio eſt conjunctim facta, ſatis apertas ob cauſſas quidem; ſic enim Propertius L. II. eleg. 8. verſ. 19.

*India quin, Auguſte, tuo dat colla triumpho;*
*Et domus intactae te tremit Arabiae.*

Horatius L. III. od. 24.

*Intactis opulentior*
*Theſauris Arabum & divitis Indiae.*

Claudianus in Eutrop. L. I. verſ. 225.

*Te grandibus India gemmis,*
*Te foliis Arabes ditent, te vellere Seres.*

alii: verum tamen disjunctae ſunt iſtae regiones Aſiae, ſicut nemo hoc neſcit. HESSEL. Quum in omni hac gentium ſerie nuſquam recurrat id *pars*, quumque vox *Arabes*, ex errore librariorum orta, oſtendat longiorem vocem adfuiſſe, crediderim, Vibium ſcripſiſſe *Indi partis Aſiae*. ut ſupra *Aegyptii partis Aſiae*. Caeterum latiſſime patuit India olim patetque hodie, neque forſan ulla eſt regio, de qua magis abſurda finxerint veteres hiſtoriarum ſcriptores, ut ex Herodoto, Cteſia, Strabone aliiſque patet. O.

Ityraei

*vel Itharaei*) de orthographia conſulito Pierium, Taubmannum & Emmeneſſium ad Virgilii Georg. L. II. v. 448.

- - *Ityraeos taxi torquentur in arcus.*

*Syri*) ſic MS. Rev. optime. Syrius enim eſt τὸ ἐθνικὸν inſulae Syri. HESSEL.

*Syri*) Stephanus: Σύροι, κοινὸν ὄνομα πολλῶν ἐθνῶν, λέγονται καὶ Λευκόσυροι. Στράβων ἑκκαιδεκάτῃ. Δοκεῖ δὲ ἀπὸ Βαβυλωνίας τῶν Σύρων τὸ ὄνομα διαλείπειν μέχρι τοῦ Ἰσσικοῦ κόλπου, ἀπὸ δὲ τούτου μέχρι τοῦ Εὐξείνου κόλπου. GRONOV.

*uſu ſagittae periti*) Lucanus quoque L. VII. v. 230.

- - *Ituraeis curſus fuit inde ſagittis.*

& 514.

*Tunc & Ituraei, Medique, Arabeſque, ſoluto*
*Arcu turba minax, nuſquam rexere ſagittas.*

HESSEL.

Servius ad Virgilium *Ityraeos* interpretatur *Parthicos*; Probus, *Scythiae populos*, manifeſto errore: legendum enim *Syriae*, uti notavit Scaliger ad Varronem. Forſan apud Probum legerat *Syriae* Vibius Sequeſter. Ituraea Lucae c. III. v. 1. cum Trachonitide ad Tetrarchiam Philippi ſpectabat. Auranitidem eandem eſſe Joſephi Antiq. L. XV. c. 13. & alibi, arbitratur Cellarius L. III. c. 13. Strabo L. XVI. p. 755. poſt Laodiceam, quae ad Libanum eſt, Ituraeos recenſet: τὰ μὲν ὀρεινὰ ἔχουσι πάντα Ἰτουραῖοί τε καὶ Ἄραβες, κακοῦργοι πάντες. pag. ſeq. addit, in iſtorum regione ſpeluncas deprehendi ampliſſimas, quarum una vel quatuor hominum millia poſſit recipere. Quae quidem res latrocinantibus Ityraeis addidiſſe animos videtur. Inter Cyrrheſticae populos recenſet eos Plinius L. V. c. 23. cujus rei cauſſa forſan in eo quaerenda, quod vicinorum Arabum inſtar ſedem nonnunquam mutarent. Innatam genti ferociam incuſat Cicero Philipp. II. c. 8. & 44. cf. Cellarius. Ad Syros recte Ituraeos refert Vibius, Probum ſecutus; Strabo enim loco, quem laudat Stephanus,

L. XVI.

L. XVI. ſcilicet pag. 749. hanc omnem regionem Syriae finibus includit. Μέρη δὲ (τῆς Συρίας) τίθεμεν, ἀπὸ τῆς Κιλικίας ἀρξάμενοι καὶ τοῦ Ἀμάνου, τήν τε Κομμαγηνὴν, καὶ τὴν Σελευκίδα καλουμένην τῆς Συρίας· ἔπειθ' τὴν κοίλην Συρίαν· τελευτάιαν δ' ἐν μὲν τῇ παραλίᾳ τὴν Φοινίκην, ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ, τὴν Ἰουδαίαν. Unde ſint apud Vibium *Itharaei*, non video, ni ſit error, legendumque, ut notavimus, *vel Ituraei*. Vix enim credere fas eſt, ad oppidum *Ithar*, quod Ptolemaeus in Arabia felice locat, reſpexiſſe vel Vibium vel librarium non neminem. O.

## Kares

*Cares*) editio Flor. recte. Graeci quidem Κᾶρες vocantur. HESSEL. Simus in his faciles. Litterarum, quem Vibius ſequitur, ordo oſtendit, *Kares* heic ſcripſiſſe. Limites Cariae a variis varie definiti ſunt. v. Cellarius N. O. A. L. III c. 3. ſect. 5. Strabo L. XIII. p. 623. Τὰ δ' ἑξῆς ἐπὶ τὰ νότια μέρη τοῖς τόποις τούτοις, ἐμπλοκὴν ἔχει μέχρι πρὸς τὸν Ταῦρον, ὡς τὰ μὲν τὰ Φρύγια καὶ τὰ Λύδια καὶ τὰ Καρικὰ καὶ ἔτι τὰ τῶν Μυσῶν, δυσδιάκριτα εἶναι παντάπασιν εἰς ἄλληλα. Olim inſulas habitaſſe & Minoi paruiſſe appellatoſque *Leleges*, ſed ſucceſſu temporis tranſiiſſe in continentem & partem occupaſſe Joniae, Herodotus narrat L. I. c. 171. quocum conferendus Strabo L. XIV. p. 632. & 661. & Servius ad Virgilii Aen. L. VIII. v. 725. quem hic non ſequitur Vibius. Ipſos Caras tamen huic traditioni non aſſentiri, addit Herodotus, ſed ſeſe aborigines putare & indigenas. Auctor gentis *Car* memoratur fuiſſe, *Myſi* frater *Lydi*que, tripliciſque gentis commune delubrum extitiſſe *Jovis Carii*. Ibidem loci tria Caribus inventa tribuuntur; quod galeis criſtas adligarint primi, clypeis ſigna adjunxerint itemque lora. cf. Strabo L. XIV. p. 661. In Aegyptum quum Cares Joneſque, piraticam exercentes, veniſſent ſub Pſammitticho rege, ab eo benigne excepti & ad delendos reges adhibiti, infra Bubaſtin ad oſtium Nili Peluſiacum locati ſunt, ubi

loca incoluere, *Caſtra* quae dicebantur. Eos Amaſis poſtea in Memphin transtulit, corporiſque cuſtodes fecit & peculiarem locum, qui *Caricum* dicebatur, iis habitandum aſſignavit. v. Herodotus L. II. c. 152 & 154. & Stephanus Byz. Similiter Hanno Caribus uſus *Caricum murum*, urbem, condidit in ora Libyae. v. ej. peripl. ed. Hudſ. p. 2. Ex quibus omnibus patet, ingenii & induſtriae laudem iſti genti jure meritoque ab Herodoto tribui. Fuit praeterea *Carica*, oppidum Cariae ipſius v. Plinius L. V. c. 29. *Caris*, urbs Phrygiae, teſte Stephano. *Caria*, arx Megarenſium, memorata Pauſaniae L. I. c. 40. *Thracia Caria* regio, cujus oppidum Ceramus, eidem L. VI. c. 13. & Suidae in Hipponacho. Oppidum Lydiae *Carya*, & populus Colchici ſinus *Carei*, de quibus Ptolemaeus L. V. c. 3. & L. VII. c. 1. ad Cares nihil attinent. Coronidis loco illud. A corrupto linguae Graecae uſu, ut τὸ Βαρβαρίζειν, ut τὸ Σολοικίζειν, ſic & τὸ Καρίζειν in proverbium abierat. v. Strabo L. XIV. p. 663. O.

## Lydi

MS. Rev. & ed. Flor. *Lydi partis Aſiae in Aegypto.* Τὸ *in Aegypto* hic praeter rem dicitur. HESSEL. Lydorum gentis auctorem *Lydum* mox ex Herodoto attulimus. Atyis filium fuiſſe, idem tradit L. I. c. 7. Aliis *Lud* fuiſſe videtur Semi filius, cujus mentio Geneſ. c. X. Bocharto Lydiae nomen a *Lud* derivare placet, in Phalege L. II. c. 12. idque ex ea ratione, quod Hebraeo לוּד *declinare*, *obliquare*, *torquere*, Maeandri ambages & ſinuoſi flexus egregie exprimerentur. Abundet ſuo ſenſu. Prius *Maeonii* dicti fuerant, qui poſtea Lydi. Ita Herodotus l. c. Ἀπὸ τοῦ Λυδοῦ τοῦ Ἄτυος, ὁ δῆμος Λυδὸς ἐκλήθη ὁ πᾶς ἔτος, πρότερον Μήων καλεόμενος. Inde Lydia ipſa prius *Maeonia*, idque, ut volunt, ab antiquo rege Maeone, patre Cybeles. v. Diodorus Sic. L. III. c. 58. Inde Homerus porro, Lydia oriundus, apud Horatium *Maeonius* audit L. IV. ode 9. apud Martialem *Maeonides* L. V. ep. 10.

*Et ſua riſerunt ſaecula Maeonidem.*

Ludorum inventores habiti Lydi, teſte Herodoto L. I. c. 94. Unde proverbii loco: a Lydis ludi. cf. Bochartus l. c. Deductam ab iis coloniam in Tuſcos, idem auctor eſt. Eodem & mores ſuos ſecum tulere. Saltem Etruſcos Romanis ludorum extitiſſe magiſtros, certum eſt; in monumentis quoque ejus gentis ludorum omnia plena ſunt. Quid quod & *Maeonii* dicantur Hetruſci, audaciori tropo. Ita ſane Silius L. VI. v. 607. Hetruriam *Maeonidum tellurem* & L. VIII. v. 484. incolas *Maeoniam gentem* appellat. O.

## Lapithae

Lucanus L. VI. v. 396.

*Primus ab aequorea percuſſis cuſpide ſaxis*
*Theſſalicus ſonipes, bellis feralibus omen,*
*Exſiluit; primus chalybem, frenoſque momordit,*
*Spumavitque novis Lapithae domitoris habenis.*

Porro Lutatius ad Statii Theb. L. II. v. 563. *Lapithae*) *gentes Theſſaliae* &c. & Philargyrius ad Virgilii Georg. L. III. v. 115.

*Frena Pelethronii Lapithae, gyroſque dedere*
*Impoſiti dorſo, atque equitem docuere ſub armis*
*Inſultare ſolo & greſſus glomerare ſuperbos.*

ita: *Pelethronios Lapithas ideo appellavit, quia ſunt Theſſali. Pelethronium antrum eſt, ubi Achillem Chiron erudivit. Alii Pelethronium regem Lapitharum volunt.* HESSEL. Lapithas Ixionem ac filium Perithoum pulſis Centauris occupaſſe & Pelion cum vicinia, itemque Perrhaebiam, auctor eſt Strabo L. IX. p. 439 & 440. cf. p. noſtra 357. Theſſaliae hi incolae primi frenaſſe domuiſſeque equos feruntur & bello fuiſſe ſtrenui. Iſtius laudis Virgilium teſtem adduximus, hujus adducemus Homerum Il. XII. v. 128.

Τίας ὑπερθύμους Λαπιθάων αἰχμητάων.

De bellis, quibus pugnarunt cum Centauris, mentio facta

ſupra l. c. *Lapithen* urbem Theſſaliae notat Stephanus Byz. *Lapithaeum* montem quoque in Laconia, memoratum & Pauſaniae L. III. c. 20. Eidem porro *Lapithas* Arcadiae mons eſt L. V. c. 5. Cyprus *Lapithon* urbem & flumen habuit, teſte Ptolemaeo L. V. c. 14. Λάπηθις v. Λάπηθος Scylaci ſalutatur aliiſque. O.

## Leleges

v. Virgilius Aen. L. VIII. v. 724. Ovidius met. IX. v. 643.

*Caras & armiferos Lelegas - - -*

Scholiaſtes Homeri ad Il. L. X. v. 429. Λε) Ἔθνος Καρικὸν, λέγει δὲ τοὺς ἐν Πεγασῳ πόλει Καρίας οἰκοῦντας. Servius ad Virgilii Aen. L. VIII. v. 725. *Lelegas*) *Theſſalos. Lucanus de Theſſalia;*

*Mox Lelegum dextra preſſum deſcendit aratrum.*

Qui Servii locus facit, ut τὸ *Europae* MS. Revii & ed. Flor. ne videri poſſit eſſe de nihilo, attamen v. Taubmannum ad Virgilium. HESSEL. Ed. Flor. *Lelegas Cariae Europae.* Atqui Caria eſt in Aſia. Cedro digna lectio MS. *Leleges Carii Europae.* Leleges habitabant Cariam in Aſia; ſed venerant ex Acarnania Graeciae, quae eſt in Europa. Strabo L. VII. p. 321. ὅτι δὲ (Λέλεγες) πλανῆτες ἢ μετ' ἐκείνων (Καρῶν) ἢ χωρὶς, ἢ ἐκ παλαιοῦ, ἢ αἱ Ἀριστοτέλους πολιτεῖαι δηλοῦσιν. Ἐν μὲν γὰρ τῇ Ἀκαρνάνων φησὶ, τὸ μὲν ἔχειν αὐλῆς Κούρητας, τὸ δὲ προσεσπέριον Λέλεγας, εἶτα Τηλεβόας. Ἐν δὲ τῇ τῶν Αἰτωλῶν, τοὺς νῦν Λοκροὺς, Λέλεγας καλεῖ· καλαχεῖν δὲ ἢ τὴν Βοιωτίαν αὐλοὺς φησίν· Ὁμοίως δὲ ἢ ἐν τῇ Ὁπουντίων ἢ Μεγαρέων. Ἐν δὲ τῇ Λευκαδίων ἢ αὐλόχθονα τινὰ Λέλεγα ὀνομάζει, τούτου δὲ θυγατριδοῦν Τηλεβόαν, τοῦ δὲ παῖδας δύο ἢ εἴκοσι Τηλεβόας· ὧν τινὰς οἰκῆσαι τὴν Λευκάδα· μάλιστα δ' ἄν τις Ἡσιόδῳ πιστεύσειεν, ὅτως περὶ αὐλῶν εἰπόντι·

Ἦτοι γὰρ Λοκρὸς Λελέγων ἡγήσατο λαῶν,
Τὸν ῥά ποτε Κρονίδης Ζεὺς ἄφθιτα μηδέα εἰδὼς
Λεκτοὺς ἐκ γαίης ἀλέους πόρε Δευκαλίωνι.

Τῇ γὰρ ἐτυμολογίᾳ τὸ Λεκτοὺς γεγονέναι τινὰς ἐκ παλαιᾶ ἢ μι-

γάδας, αἰνίττεσθαί μοι δοκεῖ· καὶ διὰ τὸ ἐκλελοιπέναι τὸ γένος. Ergo *Leleges Carii Europae*, hoc est, Leleges in Caria sunt Europaei. GRONOV. Lelegem, duodecim post Carem Phoronaei filium aetatibus, ex Aegypto in regionem adventasse Megarensium, eoque regnante indigenas Leleges appellatos, ex Megarensium ore refert Pausanias L. I. c. 39. Strabonem si audias L. VII. paullo ante verba a Gronovio recitata, universa Jonia olim a Lelegibus Caribusque habitata fuit, priusquam pellerentur a Jonibus. In cujus rei testimonium ad domicilia Lelegum in Milesiorum territorio residua & frequentes in Cariae locis inanes tumulos & sepulcra Lelegum, quae *Lelegia* dicantur, provocat. Idem Leleges ab aliis eosdem haberi cum Caribus, ab aliis eorum modo inquilinos & commilitones, perhibet. Respice ad ea, quae mox de *Caribus* dicta sunt. Postrema haec Strabonis verba ad interpretandum facient Vibium, qui hic Servium, quem alias sequitur, reliquit. Ostenditque Gronovius acute satis, etsi non forsan sat vere, qui potuerint *Leleges Carii Europae* dici. Forsan tamen scripserat noster: *Leleges Cares Europae*. Quod autem hic *Cares* vel *Carii* de sede, *Europae* de origine sit accipiendum, id vereor, ut satis ipsi probare possit Vibio Gronovius. Nusquam in tota hac serie gentium ejus rei exemplum est. Ubicunque duplici declaratione utitur, statim nationem indicat, ad quam ista gens spectet, dein addit, in quanam orbis parte natio sita sit. Sic: *Lapithae Thessali Europae*. sic: *Numidae Mauri Libyae* &c. Vereor proinde, ne locus hic noster corruptus sit, ac pro *Europae* legendum sit *Asiae*. O.

## Lucani

Ab Sabinis descendere Lucanos per Samnites tradit Strabo L. V. p. 228. Ἔστι δὲ καὶ παλαιότατον γένος, οἱ Σαβῖνοι καὶ αὐτόχθονες· τούτων δ' ἄποικοι Πικεντῖνοι τε καὶ Σαμνῖται· τούτων δὲ Λευκανοὶ, τούτων δὲ Βρέττιοι. Idem L. VI. p. 254. Οἱ δὲ Λευκανοὶ τὸ μὲν γένος εἰσὶ Σαννῖται. Ποσειδωνιατῶν δὲ καὶ τῶν συμμάχων κρατήσαντες πολέμῳ, κατέσχον τὰς πόλεις αὐτῶν.

Quibus limitibus finita ſit Lucania, tradit ib. p. 255. & Plinius L. III. c. 5. Oppida Lucaniae recenſet Ptolemaeus L. III. c. 1. Reliquis ampliorem facit Lucaniam Mela L. II. c. 4. Horum errores itemque Scylacis in periplo indicat Cluverius Ital. ant. L. IV. c. 14. Magnae Graeciae olim accenſita fuit. cf. Alex. Symm. Mazochii diatriba de Magna Graecia, praemiſſa ejuſdem commentariis in tabulas aeneas Heracleenſes. Ex Leandri ſententia hodie dici *Baſilicata*, quae fuerit Lucania, tradit Ortelius. At regio regioni haud recte reſpondet; diverſiſſimi ſunt limites. Reliquis ſcriptoribus Graece Λευκανοὶ dicuntur; Ptolemaeo Λυκανοί. O.

## Lycii

Euſtathius ad Dionyſii orbis deſcr. v. 847.

Πρὸς δ' ἄλλα κεκλιμένην Λύκιοι χθόνα ναιετάασι,
Ξάνθου ἐπὶ προχοῇσιν, ἐϋῤῥείτου ποταμοῖο.
Ἔνθα βαθυκρήμνοιο φαείνεται ὄρεα Ταύρου,
Παμφύλων τ' μέγεα· Κράγον δὲ ἑ φημίζουσι.

Ὅτι Λύκιοι τὸ ἔθνος καλά τινας καλεῖται ἀπὸ Λύκου τοῦ Παρδίονος διαβάντος εἰς τὴν Ἀσίαν. HESSEL. Iſta ex Herodoto ſua facit Euſtathius. Scilicet is Clius c. 173. olim regionem *Milyadem*, incolas *Milyas* vocatos tradit itemque *Solymos*. Pulſum dein a Minoe fratre Sarpedonem coloniam e Creta deduxiſſe in Milyadem, gentemque tum dictam *Termilas*. Acceſſiſſe ad Sarpedonem paullo poſt Lycum, Pandionis filium, & ipſum a fratre Aegaeo pulſum Athenis, atque ab eo progreſſu temporis *Lycios* eſſe vocitatos. Addit Lycios partim Caricis, partim Creticis legibus uti. cf. Strabo L. XII. p. 573. Stephanus Byz. Lyciam a Lyco dictam ab ea, cui Sarpedon praefuit, diverſam fuiſſe exiſtimat. Euſtathius quoque ad Iliad. L. V. v. 173. Lyciam in minorem majoremque diſtinguit. Unam fuiſſe eandemque Lyciam, ſed quae Ciliciae fuerit contermina, diſputat Iſ. Voſſius ad Melae L. I. c. 15. Ut ad antiqua Lyciae gentis nomina redeam, *Solymos* apud Homerum dictos notat Strabo, Iliad. L. VI. v. 184. ubi Bellerophontes in Lycia

Σολύμοισι μαχίσσατο κυδαλίμοισι.

*Lucii* in antiqui marmoris fragmento apud Gruterum pag. MIX. n. 5. Latine ſalutantur, qui ibidem Λύκιοι Graece.

BENIVOLENTIAE. BENIFICIQ. CAVSSA
ERGA. LVCIOS. AB. COMMVN

paullo inferius

ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ ΕΥΝΟΙΑΣ ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ
ΤΗΣ ΕΙΣ ΤΟ ΚΟΙΝΟΝ ΤΩΝ ΛΥΚΙΩΝ

Tandem Lycia quoque intelligenda, ubi Ravennas anonymus L. II. c. 16. habet *Luſia Joniae Cariae.* O.

## Maſſyli

Servius ad Virgilii Aen. L. VI. v. 60. *Maſſyli ſunt Mauri. Unde ſpeciem pro genere poſuit. Nam Aeneas ad Africam venit; cujus partem conſtat eſſe Maſſyliam: mediterranea enim pars eſt Mauretaniae. Unde a parte totum accipere debemus.* Lutatius ad Statii Theb. L. VIII. v. 124. *Maſſylia gens Africae mediterranea leonibus plena.* cf. & Lucanus L. IV. v. 682.

*Et gens, quae nudo reſidens Maſſylia dorſo*
*Ora levi flectit, frenorum neſcia, virga.*

HESSEL.

Videſis quae Cellarius de hoc populo nomade habet G. A. T. II. L. IV. c. 5. Equidem iſtum non differre putarim ab iis, quos *Maxyes* ſalutatos Herodotus ad occaſum Tritonidis lacus collocat. Maxyes iſti, quorum nomen ſtatim Graeco dein & Latino more terminatum eſt, regionem habitabant, beſtiis feriſque abundantem, erant caeterum agricolae v. Herodotus L. IV. c. 191. S. CROIX. Maſſyli & Maſſaeſyli duae gentes Numidiae. Hi ad occaſum, iſti ad ortum morabantur; utrique νομάδων vitam vivebant. Dionyſius perieg. v. 186.

Τοῖς δ' ἔπι δὴ, Νομάδων παραπίπτουσι ἄσπετα φῦλα,
Ἔνθα Μασαισύλιοί τε καὶ ἀγρονόμοι Μασυλῆες
Βόσκονται σὺν παισὶν ἀν' ἤπειρόν τε καὶ ὕλην.
Μαιόμενοι βιότοιο κακὴν καὶ ἀεικέα δίαιταν.

cf. & Livius L. XXVIII. c. 17. Maſſaeſylorum regio a fluvio Molochath incipiebat, teſte Strabone L. XVII. p. 829. & ad Tritum (ſic ſupplet Caſaubonus) uſque, continium ipſorum & Maſſaelibyum, quos Strabo pro Maſſylis ponere videtur, abit. Maſſaeſylorum gens Plinii aevo exſtincta fuit. v. L. V. c. 2. Maſſylos ibidem c. 4. recenſet. De Polybii loco citato a Stephano v. Berkelius ad hunc & Cellarius l. c. O.

## Mauri

Ad Dionyſium perieg. v. 184.

Ἀλλ' ἤτοι πυμάτην μὲν ἐπὶ γλωχῖνα νέμονται
Ἀγχοῦ σηλάων, Μαυρουσίδος ἐθνεα γαίης.

Scholiaſtes: Ἀλλὰ ἐπὶ μὲν τὴν ἐσχάτην γωνίαν τοῦ τετραπλεύρου ἐκείνε χαλεπῆς τῆς Λιβύης γῆς ἐγγὺς τῶν σηλῶν οἱ Μαυρούσιοι κατοικοῦσιν. & Euſtathius ad verſ. 185. Ὅτι περὶ τὴν ἄκραν γλωχῖνα, ὅ ἐστι γωνίαν, τῷ ῥηθέντος Λιβυκῷ τραπεζείᾳ σχήματος ἀγχοῦ τῶν σηλῶν οἰκοῦσιν οἱ Μαυρούσιοι, ἃς καὶ Μαύρους οἱ Ῥωμαῖοι ἔλεγον. HESSEL. A Maſſaeſyliis Numidis Mauros diſtinguit fluvius Molochath, ſecundum Strabonem L. XVII. p. 827. Regio Mauretania vel Μαυρούσια; incolae Mauri, Graecis Μαυρούσιοι. Diviſionem Mauretaniae in Caeſarienſem & Tingitanam jam non moror. Vibio Maurorum nomen latius patet, quam vulgo ſolet; videtur enim omnem maritimam Africae partem iis adſcribere; ut ſupra notavimus. Hinc Barcaeos, & Numidas Mauris accenſet. imo Garamantes quoque, interioris Lybiae populos, refert eodem. Mores Maurorum ad elegantiam totos compoſitos proſequitur Strabo l. c. p. 828. In his: Καλλωπίζονται δ' ὁμῶς κόμης ἐμπλοκῇ καὶ πώγωνι, καὶ χρυσοφορείᾳ, σμήχει τε ὀδόντων καὶ ὀνυχισμῷ &c. Cui narrationi ex monumentis non mediocre robur accedit. Probe cincinnatos calamiſtratoſque principes ex ea gente viros gemmae ſiſtunt. Exemplo ſit Juba apud Lippertium Mill. II. n. 291. cf. & Spanhemium de V. & P. N. O.

## Magempuri

Solus ſibi hic relictus eſt Vibius, neque quicquam occurrit uſpiam, quod ad declarandam ejus doctrinam facere poſſit. O.

## Marſi

Iſaac. Tzetzes ad Lycophronem verſ. 1275. Φόρκη δὲ λίμνη παλίνς φ' ἀπέχουσα τῆς Ῥώμης. Μαρσοὶ δὲ ἔθνος Ἰταλίας παρὰ ταύτην τὴν λίμνην οἰκοῦσιν. Cruquianus enarrator Horatii ad epod. L. od. 5. verſ. 76. *Marſi autem Italiae populi ita venenorum fuere periti, ut & ſaliva ſoliti ſint etiam morſus curare ſerpentum.* & ad od. 16. verſ. 3. *Marſi*) *Populi Italiae bellicoſi Romanis diu fuere infeſti, quibus primi moverunt bella ſocialia.* HESSEL. Φόρκη λίμνη apud Lycophronem eſt Fucinus lacus in Marſis. v. pag. noſtra 168 & 252. Locus Horatii prior

*- - nec vocata mens tua*
*Marſis redibit vocibus.*

alludit ad vim ei genti tributam, qua carminibus *incentionibuſque & herbarum ſuccis facere noverant medelarum miracula*, auctore A. Gellio N. A. L. XVI. c. 11. Porro autem: *Gentem Marſorum ſerpentibus illaeſam eſſe, nihil mirum: a Circes filio genus ducunt, & de avita potentia deberi ſibi ſentiunt ſervitium venenorum, ideoque venena contemnunt*, quae verba ſunt Solini cap. 8. quibus quae ſuccedunt, leges pag. noſtra 264, ubi de *Angitiae nemore.* Conferenda cum iſtis egregia loca, Virgilii L. VII. c. 750. & Silii L. VIII. v. 497. Alias Marſorum gentis conditorem perhibent Marſyam. v. Plinius L. III. c. 12. Plura dabit Cellarius Ital. ant. L. II. c. 15. Virtutem bellicam, laudatam in Marſis ab Horatio Ep. od. 16.

*Suis & ipſa Roma viribus ruit,*
*Quam neque finitimi valuerunt perdere Marſi.* &c.

Marſicum, ad quod alludit, bellum comprobavit. Cae-

terum Marſos cum Veſtinis, Marrucinis, Pelignis, Aequis & Hernicis ejuſdem fuiſſe generis, Cluverius demonſtrare ſatagit. O.

## Medi

*Parthiae*) MS. *Thraciae* non bene. cf. Lucanus L. VIII. v. 298. HESSEL. Ita quum judicares, non cogitabas, mi Heſſeli, de Maedis Thraciae populis ſermonem Vibio eſſe poſſe. Ut enim non eam inficias, plana eſſe omnia & extricata, ſi legas: *Medi Parthiae proximi*, ita tamen communis ſcriptorum librorum conſenſus efficit, ut rejectam ab Heſſelio lectionem non prorſus ſpernendam exiſtimem, quippe quae egregium ſenſum queat admittere. Scilicet infra Pangaeum Thraciae montem, de quo ſupra pag. 32 & 357. regio fuit *Maedica*. cf. Livius L. XXV. c. 25. & L. XL. c. 22. & Ptolemaeus L III. c. 11. Incolae dicti *Maedi*. Polybius exc. L. X. c. 38. τοὺς προσορεῖτας τῇ Μακεδονίᾳ Θρᾷκας μᾶλλον τοὺς Μαίδους ἐπιβολὰς ἔχειν ὡς ἐμβαλοῦντας ἐπὶ Μακεδονίαν. cf. & Plinius L. IV. c. 11. & Stephanus Byz. Itaque verſus Macedoniam ſita fuit *Maedica*, ut ergo facile *Maedi Thraciae proximi* dici potuerint Vibio. Si quis reponat, *Maedos* diphthongo, *Medos* Vibii ſimplici elemento exprimi, reſpondebimus ſtatim, apud Ariſtotelem de mirab. aud. & apud Strabonem quoque L. VII. p. 316. eandem ſcribendi formam, erroneam forſitan, deprehendi. Dein cogitandum eſt, libros noſtros Vibii ſcriptos ex eo fere eſſe aevo, quo diphthongorum uſus exulabat, reductus demum, ceu novimus, diphthongandi arte Guarini Veronenſis. O.

## Morini

Ad Virgilium Aen. L. VIII. v. 727.

*Extremique hominum Morini, Rhenuſque bicornis.*

Servius: *Morini*) *Populi in Galliae finibus, qui Britanniam ſpectant, proximi Oceano.* HESSEL. Effatum Vibii nomen ipſum declarat. *Morini*, prorſus ut *Armorici*, a Celtico *mor*

vel *moer* dicti, quod *mare* designat, a situ ad mare sic salutati sunt. Qua parte fuerint Galliae Belgicae, docet Strabo L. IV. p. 194. ubi hinc ad mare sitos refert, illinc ad Arduennam silvam pertingere. De Iccio Morinorum portu nota est controversia. Oppida non habuisse gentem Caesaris tempore, sed in tuguriis habitasse, ex Dione Cassio constat L. XXXIX. c. 44. postea struxisse urbes, Ptolemaeus ostendit & itineraria. cf. Cellarius N. O. A. L. II. c. 3. sect. 15. O.

## Numidae

Lucanus L. IV. v. 676.

*- - populi tot castra sequuntur,*
*Autololes, Numidaeque vagi, semperque paratus*
*Inculto Gaetulus equo - -* HESSEL.

Indigena sit Numidarum adpellatio, an a Graeco Νομάδων derivanda, disputant. Plinius L. V. c. 3. vulgarem & apud veteres receptam opinionem sequitur: *Ab Ampsaga Numidia est, Masiniſſae clara nomine, Metagonitis terra a Graecis adpellata: Numidae vero Nomades a permutandis pabulis, mapalia sua, hoc est domus, plaustris circumferentes.* Negat haec If. Vossius ad Melam. L. I. c. 6 & 7. ostenditque Metagonitin nunquam dictam esse Numidiam, deinde Νομάδων Λιβυκῶν nomen apud veteres multo latius patere quam Numidarum. Tandem jocularem esse errorem interpretis Strabonis, qui ubique, etiam in Scythia, ubi νομάδων est mentio, Numidas substituit. Cellarius L. IV. cap. 5. barbarae regioni barbarum nomen fuisse, non dubitat, cui Graeci scilicet istud similis fere soni nomen Nomadum substituerint. Quam diversa sit diversorum auctorum Numidia, apud eundem scite explicitum habes. Cur *Mauros* vocet Numidas noster, paullo ante diximus. Vere scilicet ex Tertulliani testimonio, contra Judaeos c. 7. fuere *Gaetulorum varietates & Maurorum multi fines.* O.

## Oſci

Virgilius L. VII. Aen. v. 730.

*Oſcorumque manus - - -*

ad quem locum Servius: *Capuenſes dicit, qui ante Oſci appellati ſunt, quod illic plurimi abundavere ſerpentes.* Reſpicit ad nominis originem, de qua Stephanus Byz. Ὀπικοὶ, ἔθνος Ἰταλίας - - - οἱ μὲν, ὅτι γλώσσας συνέμιξαν, ἀπὸ τοῦ ὀπὸς, ut ſupplet Berkelius, οἱ δὲ, ὅτι Ὀφικοὶ, ἀπὸ τῶν ὄφεων. Feſtus *Opicos*, *Oſcos* & *Obſcos* dictos refert, & *oſcum* pro *ſacro* acceptum eſſe; *Opſcum* occurrere apud Ennium:

*De muris res gerit Opſcus.*

ab Obſco quoque derivari *obſcoenum*, quod iſti genti uſus fuerit frequentiſſimus ſpurcarum libidinum. Haec Grammaticorum hominum commenta. Audiamus hiſtoricos. In Campania habitaſſe ſcribit Plinius L. III. c. 5. Strabo L. V. p. 242. ſupra Campaniam Samnitum Oſcorumque montes jacere narrat. Qui montes quales ſint, diſputat Cluverius It. ant. L. III. c. 9. Ita ſaltem Samnitibus proximi fuere Oſci, etſi Vibius forſan minus recte Oſcos ad Samnites ipſos referat. Cognationem tamen quandam ac neceſſitudinem inter utramque gentem interceſſiſſe, vel inde patet, quod Oſce locutos Samnites conſtat. Cujus rei exempla ſunt in vocibus *Mediaſtuticus* vel *Medixtuticus* & *Mamers.* cf. Livius L. XXIV. c. 19. & L. XXVI. c. 6. item Feſtus in voce *Mamertini. Oſci* iidem ne fuerint olim, qui *Opici* & *Auſones*, quaeſitum eſſe narrat Strabo l. c. Cluverius omnino *Opicorum* antiquum nomen, Graecis frequentatum, ſucceſſu temporis a Romanis in nomen *Obſcorum*, *Opſcorum*, *Oſcorum* eſſe correptum oſtendit. Strabonis aetate Oſcorum gens defecerat, neque quicquam ejus erat ſuperſtes, praeter Sidicinos, v. L. c. p. 233 & 237. Reſtabat tamen Oſcorum lingua apud Romanos. Ἴδιον δέ τι τοῖς Ὀσκοις καὶ τῷ τῶν Ἀυσονιῶν ἔθνει συμβέβηκε· τῶν μὲν γὰρ Ὀσκων ἐκλελοιπότων, ἡ διάλεκτος μένει παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις· ὥστε καὶ ποιήμασι σκηνοβατεῖσθαι καλά τινα ἀγῶνα πάτριον καὶ μιμολογεῖσθαι. τῶν δὲ Ἀυ-

τοιῶν &c. Taciti quoque aevo *Oſci ludi* Romae agebantur. v. Annal. L IV. c. 14. Quales fuerint, videbis apud Livium L. VII. c. 2. Lingua ipſa, quae ruſtica prorſus eſt habita, v. A. Gellium L. XVII. c. 17. deinceps in deſuetudinem abiit, cujus fragmina ex Comicis aliiſque corraſa, ingenii tentandi cauſſa eruditorum nonnulli ad concinnandum perpetuum ſermonem tranſtulerunt. Extat Mariangeli Accurſii dialogus, Oſcus & Volſcus; Jul. Caeſ. Scaligeri liber Teretiſmatum in poëmatibus; Jac. Balde Drama Oſcum; Philoxeni Gonaei vel potius Caſp. Barthii carmen Oſcum; de quibus v. Morhofii polyhiſtor. T, I. L. IV. cap. 9. Serio magis rem egit nuper Vir in republica litteraria clariſſimi nominis J. B. Paſſerius, rurſus in lucem edito ſingulari ſpecimine linguae Oſcae, quod ſupereſt Nolae in marmore muſei Seminarii, fol. Romae 1774. Lapis iſte, qui inter rudera veteris civitatis Abellae in Campania haud longe ab urbe Nola diu jacuit, protractus tandem & ibi, ubi dictum eſt, conlocatus, ad regundos fines inter Abellanos Nolanoſque pertinet, prodierat ſtatim cura Gorii in ſymbolis ejus litterariis; dein a Paſſerio expoſitus, Viro perquam Reverendo, Stephano Borgiae, S. Congregationi de propaganda fide a Secretis, dicatus eſt, cujus munificentia laudata ejus interpretatio ſuperiori anno in meam librariam ſupellectilem convolavit. De Oſcis praeterea, eorum origine, ſede, lingua, moribus praeclare differit Camillus Peregrinus in Campania felice Diſſ. IV. cap. 5. O.

## Parrhaſii

Ita Graece Παρράσιοι quamplurimum. v. Scholiaſtes Pindari ad Olymp. od. 9. verſ. 143.

Τὰ δὲ Παρράσιῳ στρατῷ
Θαυμαστὸς ἐὼν φάνη
Ζηνὸς ἀμφὶ πανήγυριν Λυκαίου.

Τελίσιν ἐν τῷ δήμῳ τῆς Ἀρκαδίας. Παρράσια γὰρ μέρος τῆς Ἀρκαδίας. Servius ad Virgilii Aen. L. XI. verſ. 31.

*Qui Parrhaſio Evandro armiger ante fuit - -*
*Arcadio, a civitate Arcadiae, quam Donatus vult a parrha avi dictam; quod procedit, ſi parrha nomen eſt Graecum: ſi autem Latinum eſt, ſtulte ſenſit. Nam Graecum nomen etymologiam Latinam non recipit. Alii Jovis filium Parrhaſium dicunt, qui habuit Arcadem filium, ex quo primo Parrhaſii, poſt Arcades dicti ſunt. Sane Arcadum genera fuerunt quatuor, Parrhaſiorum, Maenaliorum, Azanorum, Cynethorum. Alii non Exanas & Cythenos, ſed Axanes & Cyneros dicunt.* HESSEL. Semper per geminatam litteram *r* ſcribitur. GRONOV. Teſte Strabone L. VIII. p. 488. inter antiquiſſimas Arcadiae gentes fuere Parrhaſii, a monte Parrhaſio ſic dicti, cujus meminit Heſychius: Παῤῥάσιον, ὄρος Ἀρκαδίας. *Nemus Parrhaſium* laudatur Silio L. VII. v. 163. Urbs *Parrhaſia* Homero L. II. in catal. nav. v. 115. Plinio L. IV. c. 6. & Nonno in Dionyſ. L. XIII. v. 291. Regio *Parrhaſia* eſt montibus obſita, in qua Jovem enixa Rhea, ſecundum Callimachum in hymno in Jovem v. 9.

Ἐν δέ σε Παῤῥασίῃ Ῥείη τέκεν, ἦχι μάλιστα
Ἔσχεν ὄρος θάμνοισι πελασκιόεν· ἔνθεν ὁ χῶρος
Ἱερὸς - - - - - -

Nominis originem a *Parrhaſio*, filio Lycaonis deducunt, v. Stephanus Byz. h. v. Pan Lycaeus apud Parrhaſios potiſſimum cultus. v. Virgilius L. VIII. v. 344. Jovis item Lycaei panegyris ibi haberi ſolita, teſte Pindaro loco cit. *Parrhaſis arctos* Ovidio L. I. Triſt. eleg. III. v. 47. ex eadem dicta ratione, ex qua Erymanthis. v. ſupra pag. 321. Inde porro *Parrhaſia virgo*, *Parrhaſides ſtellae*, & ſic porro. O.

## Pannonii

Ovidius triſt. L. II. verſ. 22.

*Nunc tibi Pannonia eſt, nunc Illyris ora domanda.*

Finitimae videlicet nationes fuerunt & propinquae Pannoniorum & Illyriorum. Poſterioribus demum temporibus habuit Illyricum, ut in breviario Sexti Rufi ſive Rufi Feſti

de victor. & provinc. pop. Rom. cap. 8. eſt, *ſeptem & decem provincias: Noricorum duas*, *Pannoniarum duas*, cetera. *Illyrici provinciae*, ut in libell. provinc. Rom. pag. 79. edit. Hal. Magdeburg. 1698. eſt, XIX fuerunt: *Dalmatia ſupra mare*, *Pannonia prima*, (*Pannonia ſecunda*,) *in qua eſt Sirmium*, cetera. *Regiones* XI, ut in eod. libell. pag. 73 eſt, *imperii Romani* fuerunt: *Italia*, *Gallia*, *Africa*, *Hiſpania*, *Illyricum*, cetera. Editorem vide Cellarium: ejus autem geographiam medii aevi, quam appellat, ſi edita eſt, ſuum lumen noſtris quoque Vibianis foenerare poſſe certo ſcio. Ita nolo ad vetuſtiores regionum deſcriptiones exigas omnia, quae Vibius noſter ex multis poëtis non unius ſaeculi κατα ἀλφάδιτον ordinavit, quippe homo aetatis incertae HESSEL.

De Illyricis gentibus v. Palmerius Graec. ant. C. 14. In illis non occurrunt Pannonii, quorum vaſta regio, Illyrico vicina, ut videre eſt apud Ptolemaeum L. II. c. 15. 16. in errorem induxit Vibium. Ceterum Pannoniis multi populi debent originem. v. Strabo L. VII. p. 217. S. CROIX.

Acu rem tetigit Heſſelius. Juſſu Valentis breviarium ſuum concinnavit Sextus Rufus; proinde prior tempore eſt Vibio, qui ipſius diſtributionem ſecutus videtur. Simile exemplum jam adfuit ſupra in *Haemimonte* pag. 328. Pannoniae fines egregie ſignat Jornandes de reb. Get. c. 50. *Pannonia in longa porrecta planicie habet ab oriente Moeſiam ſuperiorem*, *a meridie Dalmatiam*, *ab occaſu Noricum*, *a ſeptentrione Danubium*. Graeci Παννονίαν itemque Παιονίαν dixere, incolas Παννονίους & Παιονίους, qua de re v. Cellarius L. II. c. 8. O.

## Philyridae

Philyres, quorum mentionem fecit Dionyſius orb. deſcript. verſ. 766, ſcholiaſtes Dionyſii, Priſcianus perieg. verſ. 740, Stephanus Byzantinus v. Φίλυρες & alii; vide ſis Luc. Holſtenium ad Stephanum Byzant. ac Lamp. Alardum ad Valerium Flaccum L. V. verſ. 152. Philyres, inquam, ſunt haud paullo notiores hominibus litteratis, quam iſti

noſtri Phylliridae. Quod autem modo laudatus dicit Holſtenius *Philyram Oceani filiam, Saturni conjugem, Chironis matrem* a ſcholiaſte Apollonii Rhodii ad L. II. verſ. 1235. eſſe dictam: eſt quidem ibi ad ſenſum verborum, ut dicit; ſed ipſa Graeca verba, quae convertit in Latinum, ſunt σχολία ad L. II. verſ. 395. Quapropter in Holſtenian. not. & caſtigation. poſtum. hic mihi videtur turbatum neſcio quid.

*in Venetia*) Forte *in Theſſalia.* Simlerus. HESSEL.

*Phillyrides* vel *Philyrides* dicitur Chiron Ovidio de arte am. L. I. v. 11.

*Phillyrides puerum cithara perfecit Achillem.*

verum non a loco ſed a matre, quippe Saturni ex Philyra filius fertur. *Philyra* Nympha Callimacho in hymno in Jovem v. 36. forſan & fluvius in Arcadia fuit. Juxta Pontum quos habet *Philyres* Stephanus, a Philyra priori nominatos, vix dubito, quin noſtri ſint *Philyridae.* Audi verba: Φίλυρες ἔθνος πρὸς τῷ Πόντῳ, ἀπὸ Φιλύρας τῆς μητρὸς Κρόνου. Τὸ θηλυκὸν Φιλυρὶς, ἢ Φιλυρῆις, πλεοναστικῶς τοῦ η. Δύναται ἢ ἀπὸ τοῦ Φιλύρη Φιλυρήτης εἶναι. En ergo *Philyres* & in foeminino *Philyrides*, item *Philyretes.* Quis non videt, *Philyridas* noſtri parum differre? At Vibius, inquies, *in Venetia;* Stephanus *prope Pontum* ponit. *Venetos* muta in *Henetos*, & res erit confecta. Hi prope Pontum & in Paphlagonia morabantur, teſte Strabone L. XII. p. 543. ipſorumque poſtea coloni, Antenorem ſecuti, in intimum maris Adriatici ſinum perveniſſe & genti Venetorum dediſſe originem feruntur. cf. cum Strabone Livium L. I. c. 1. Meo nunc periculo apud Vibium lege ſic:

*Philyridae Aſiae in Henetis.*

Inſcitiae librariorum debemus, quod Henetis Venetiam, Aſiae Europam ſubſtituerint. *Theſſaliam* ut inducere pararet Simlerus, ei rei quoque, puto, Stephanus anſam ſubminiſtravit. Illi eſt Φυλλοῦς πόλις ἐν Θεσσαλίᾳ - - - οἱ οἰκοῦντες Φυλλεῖς. Sed difficile tamen foret negotium. Unum illud reſtat, ut ad meam qualemcunque ſtabiliendam conjecturam

locus

locus quis poëtae aut ſcholiaſtae producatur, quo Philyridae tribuantur Henetis. Interim aliquid omnino praeſtant praeſidii Dionyſius perieg & Valerius Flaccus Heſſelio citati; contra Apollonio Rhodio memoratur *Philyreis inſula*, quae huc non facit. O.

## Rutuli

Silius Ital. L. VIII. v. 358.

*Faunigenae ſocio bella invaſere Sicano,*
*Sacra manus Rutuli, ſervant qui Daunia regna*
*Laurentique domo gaudent & fonte Numici.*

*iidem Daunii*) Servius ad Virgilii Aen. L. VIII. v. 151.

*Gens eadem, quae te crudeli, Daunia, bello*
*Inſequitur.* - - - -

*Daunia*) *Rutula, a Dauno.* HESSEL. Mela L. II. c. 4. *Tum Italici populi, Picentes, Frentani, Dauni, Appuli, Calabri, Salentini.* GRONOV. In notanda lectionis varietate excidit mihi iſtud, quod heic adjectum velim, ab Heſſelio monitum

*iidem Dauni*) MS. Revii. *id eſt Dauni.*

Daunus iſte Turni, cujus bella cum Aenea ex Virgilio nota, pater fuit. v. Aen. L. XII. v. 22. unde Turnus *Daunius heros* audit. L. XII. v. 723. natio Rutulorum *gens Daunia* l. c. Juturna, Turni ſoror, Dauni filia, *Dea Daunia*, L. VIII. v. 146. Rutuli exiguum de caetero angulum incolebant inter Lanuvinos, Laurentes, Antiates & Coriolanos Volſcos. cf. Cluverius Ital. ant. L. III. cap. 5. O.

## Seres

Horatius L. I. od. 12. v. 55.

*Sive ſubjectos Orientis orae Seras & Indos.*

HESSEL.

Si unquam, hic certe excuſari meretur Vibius, quod vage & dubitanter loquatur de Seribus. Solus eſt Ptolemaeus, qui paullo fuſius eam regionem deſcripſerit. v. L. VI. c. 16.

Situs ejus hodieque Geographis crucem figit. v. tamen Cel. D'Anvillii diſſertationem *ſur la Sérique des anciens.* Mém. de l'Acad. des Inſcr. T. XXXII. s. CROIX. *Catayae* nunc reſpondere creditur. Oroſius L. III. c. 24. adſcribit Indiae. Heliodorus alios quoque Seras habet in Aethiopia L. IX. p. 434. ubi Oroondates dicitur adverſus Hydaſpen, ducem Perſici exercitus, τὸ Βλεμμύων καὶ Σηρῶν ὁπλιτικὸν προλάξας. Eum ſequitur Lucanus, a Joſ. Scaligero ad Manilii L. I. v. 19. intempeſtive reprehenſus L. X. v. 292. ubi de Nili curſu:

*Teque vident primi, quaerunt tamen hi quoque, Seres*
*Aethiopumque feris alieno gurgite campos.* O.

## Sabaei

v. Dionyſius perieg. v. 958. ad quem locum ſcholiaſtes: Ὑπὸ δὲ τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης τὸ πλευρὸν καλοικοῦσιν οἵ τε Μιγάϊοι καὶ οἱ Σάβαι καὶ ἀγχίγυοι, ὅ ἐστιν γείτονες, Κλεοβηνοί. Τοσοῦτον μὲν περὶ τὴν Ἀραβίαν ἐξουσία καὶ πεφυκὸς καλοικοῦσιν ἔθνη. porro Virgilius Aen. L. I. v. 416. de Veneris templo Paphio.

\- - - *ubi templum illi centumque Sabaeo*
*Thure calent arae ſertiſque recentibus halant.*

ubi Servius: *Sabaeo*) *Arabico. Arabiae autem tres ſunt, inferior, petrodes, eudaemon, in qua ſunt populi Sabaei.* cf. & Virgilius Aen. L. VIII. v. 705. Horatius L. I. od. 29. v. 3. Demum Valerius Flaccus, qui L. VI. v. 138. vocat

\- - - *turiferos, felicia regna, Sabaeos.*

HESSEL.

Audiiſſe ſuffecerit Strabonem L. XVI. pag. 778. Συνάπτει δ' ἡ τῶν Σαβαίων εὐδαιμονεστάτη μεγίστου ἔθνους, παρ' οἷς καὶ σμύρνα, καὶ λίβανος, καὶ κινναμωμον· ἐν δὲ τῇ παραλίᾳ καὶ βάλσαμον &c. Oppidum princeps *Saba*, de quo Ptolemaeus L. VI. c. 15. Diodorus Sic. L. III. c. 47. &c. cujus mentio quoque 1 Reg. X. v. 1. & Jerem. VI. v. 20. Apud Ravennatem anon. vocatur *Sabea.* Sunt porro & alii *Sabaei* in Perſide, memorati Ptolemaeo L. VI. c. 4. apud

quem tamen in vulgatis eorum loco leguntur *Stabaei*. Sed *Sabaeos* esse omnino, vel ex Dionysio perieg. patet, cui memorantur v. 1069. Ravennati quoque anonymo in his partibus est regio vel, ut dicere solet, *patria, quae dicitur Parthia, quae habet infra se provincias, id est Chorasimon, Socdianon, Sabeon* &c. L. II. c. 4. Porro in Media apud Ptolemaeum sunt Σαβῶοι βωμοί. L. VI. c. 2. Dein penes Indos, inter Cophen & Hydaspen fluvios, Dionysius v. 1141. *Sabaeos* collocat. *In Colfo Arabico - - qui mare rubrum dicitur, sunt insulae, Sabeone major, Sabeon mediana, Sabeon minor*, ut narrat Ravennas anon. L. V. c. 18. cf. Plinius L. VI. c. 28. Demum & in Thracia extitisse *Sabaeos*, unde *Baccho Sabazio* nomen ortum, testatur Eustathius ad Dionysium perieg. v. 1069. & in Libya *Sabae* oppidum occurrit apud Ptolemaeum L. IV. c. 6. O.

## Sauromatae

*Europae*) atque Asiae; versantur enim ad utramque ripam Tanaidos, qui separat Asiam ab Europa, Sauromatae sive Sarmatae. Dionysius orb. descript. vers. 14.

Εὐρώπην δ' Ἀσίης Τάναϊς διὰ μέσσον ἐρύζει
(Ὃς ῥά θ' ἱλισσόμενος γαίης διὰ Σαυροματάων,
Σύριλαι ἐς Σκυθίηνδε καὶ ἐς Μαιώτιδα λίμνην)
Πρὸς βορέην. - - - -

Scholiastes: τὴν δὲ Εὐρώπην καὶ Ἀσίαν ὁ Τάναϊς ποταμὸς μέσον διαχωρίζει (ὅστις δὲ συστρέφομενος ἐπὶ τῶν Σαυροματῶν τὴν γῆν σύριλαι δὲ πρὸς Σκυθίαν καὶ ἐπὶ τὴν Μαιώτιδα λίμνην) πρὸς βορρᾶν. Eustathium addito & Priscianum, nec non Dionysium vers. 652 & seq. scholiasten, Eustathium ac Priscianum v. 644 seq. HESSEL. Sarmatiam Europaeam trahit ad Scythiam Herodotus L. IV. c. 99. Diodorus quoque Sic. Scythiae partem haberi, refert L. II. c. 127. A Vistula ad Pontum Euxinum & Tanaim abit; Asiatica Sarmatia, cujus meminisse oportebat quoque Vibium sic: *Sauromatae Europae & Asiae*, inter Tanaim & Rha interjacebat. Utramque curate describit Ptolemaeus, istam L. III. c. 5. hanc L. V. c. 5. O.

## Teutones

De Germanis dictum ſupra pag. 35. & 391. *Teutones* vel *Teutoni*, diverſo quippe modo ſcribunt, cum Cimbris ad ſinum Codanum habitarunt olim & in Scandinavia. v. Mela L. III. c. 3. & 6. cf. Plinius L. IV. c. 14. Ptolemaeus L. II. c. 11. nec niſi pedetentim iſtorum nomen ad reliquos Germanos tranſiit. *Gallos* videtur dixiſſe Vibius, ſic enim in libris ſcriptis; quod ſi ſit, forſan excuſandus videtur eorum auctorum teſtimonio, qui Germanos Celticam gentem habuere, quos inter Dio Caſſius L. LIII. c. 12. Κελτῶν γάρ τινες, οὓς δὴ Γερμανοὺς καλοῦμεν, πᾶσαν τὴν πρὸς Ῥήνῳ Κελτικὴν καθῳκίσθησαν, Γερμανίαν ἐνομάζεσθαι ἐποίησαν. cf. & Suidas v. Κελτοί. Quid, quod Κιμβροὶ γένος Κελτῶν diſerte ſalutantur Appiano bell. civ. L. I. p. 367. & bell. Illyr. p. 858. occurrit apud eundem Κελτοῖς τοῖς Κίμβροις λεγομένοις. Nomen *Teutonum* a voce *tit*, *tud*, *teut*, quae teſte Pezronio in Celticis *terram* ſive *regionem* deſignat, derivandum putat Wachterus in Gloſſario. Verum oppido heic falli Pezronium, perhibet Dom Louis le Pelletier in Dictionn. de la langue Bretonne voce *Tir*, judicatque hanc ipſam vocem *tir* vel *ter* in Celtica lingua ſignificaſſe *terram*, & Pezronii fallaces oculos *tir* & *tit* confudiſſe. Quicquid ſit, *theoda* apud Anglo Saxones *terra* fuit, unde Matth. IV. 16. *theoda-folc* eſt *gens terrae indigena*, hodie fere *Landvolk*; & *peregrini*, qui ex alia terra ſunt, ſalutantur Matth. XXVII. 7. *eltheotiſce men.* porro regnum, a *thiuda* terra, vocatur *thiudinaſſus*, Matth. VI. 10. Conditor Teutonicae gentis apud Tacitum de morib. Germ. c. 2. vocatur *Tutiſco*, *Deus*, *terra editus*, quem male *Tuiſconem* Conringius dicendum putat, Wachtero judice. Sed de hac re alibi forſan erit dicendi occaſio amplior. O.

## Tuſci

De orthographia conſule Erythraei indic. in Virgilium, item Cellarium orthogr. Lat. in voc. hac & Geograph. Ant. L. II. c. 9. HESSEL. Scilicet in lapidibus & in ſcriptis codicibus ubivis fere *Tuſcia* ſimplici T ſcripta legitur, teſte Manutio quoque de orthographia. Contrarium tamen habes apud Gruterum in marmore Romano pag. CCCCLXXIV. 3. ubi

CONSVLARI. THVSCIAE. ET. VMBR.

& paullo poſt THVSCI. ET. VMBRI. Atque ſic omnino pingenda vox foret, ſi verum eſſet, quod refert Dionyſius Hal. qui L. I. c. 30. ſic: ἡ ἀπὸ ἐμπειρίας τῶν περὶ τὰ θεῖα σεβάσματα λειτουργιῶν . . . θυοσκόους ἐκάλουν. Quo facit & Plinius L. III. c. 5. ubi ſimul viciſſitudines, quas Tuſcia eſt experta, paucis complectitur. *Adnectitur ſeptima* (regio) *in qua Etruria eſt, ab amne Macra, ipſa mutatis ſaepe nominibus. Umbros inde exegere antiquitus Pelasgi: hos Lydi, a quorum rege Tyrrheni; mox a ſacrifico ritu, lingua Graecorum, Tuſci ſunt cognominati.* Unde Tyrrheni dicti, his aperit Strabo L. V. p. 219. Οἱ Τυρρηνοὶ τοίνυν παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις Ἐτρῦσκοι ἢ Τῦσκοι προσαγορεύονται· οἱ δ' Ἕλληνες ὕστερον ὠνόμασαν αὐλοὺς ἀπὸ τοῦ Τυρρηνοῦ τοῦ Ἀτυος, ὥς φασι, τοῦ στείλαντος ἐκ Λυδίας ἀποίκους δεῦρο. De prima Tyrrhenorum vel Tuſcorum ſede & origine v. Cluverium Ital. ant. L. II. c. 1. & pugnantem contra eum Camillum Peregrinum in Campania felice Diſſ. IV. cap. 9. In ſequentibus *Tuſcanienſes* Hetruriae populos recenſet Plinius, a *Tuſcania* oppido ſic dictos, quod in tab. Theod. vocatur *Tuſcana*, forſan ubi hodie *Toſcanello*. Regio tota nunc *Toſcana*. In Sarmatia quoque Aſiatica inter Caucaſum & Ceraunios montes *Tuſci* occurrunt apud Ptolemaeum L. V. c. 9. O.

## Thraces

MS. Rev. jungit hic duos articulos. At vero Thracia Theſſaliaque diverſae fuerunt inter ſe regiones. HESSEL. Θρηικίων δὲ ἔθνεα μέγιστόν ἐστι, μετὰ γε Ἰνδοὺς, πάντων ἀνθρώπων, teſte Herodoto L. V. c. 3. Simili modo Dionyſio perieg. v. 323. ſunt

Αὐλαί τε Θρήικες, ἀπείρονα γαῖαν ἔχουσι.

Regionem ipſam paucis ſed gnaviter deſcribit Mela L. II. c. 2. *Regio nec coelo laeta nec ſolo, &, niſi qua mari propior eſt, infecunda, frigida* &c. cf. & Herodotus L. IV. c. 99. De moribus idem conſulendus loco priori. Coloniis frequenter emiſſis effecere Thraces, ut ipſorum nomen late pateret. Getas & Myſos eſſe Thracicas gentes, credidere Graeci, teſte Strabone L. VII. p. 295. In Boeotia inquilinos Thraces memorat Strabo L. X. p. 471. (locum leges pag. noſtra 232.) cf. & L. IX. p. 401. Ad Peneum uſque Thraciam extendit idem L. I. p. 6. Illyriis permiſtos Thraces narrat L. VII. p. 304. Atticam poſſedere, Eumolpum ſecuti, Thraces, ut docet idem L. VII. p. 321. cf. & Iſocrates in panegyr. oratione I. Atque hinc nonnullos Vibii articulos, quibus hic Thracibus tribuit, quae Boeotiae, Theſſaliae, Macedoniae adſcribenda erant, illuſtrari aliquo modo & explicari poſſe, oſtendimus. Porro Aſiam incoluiſſe, auctor eſt Herodotus L. III. c. 90. Phryges ipſos Thracum colonos praedicat Strabo l. c. Ejectis Cimmeriis Bithyniam eos occupaſſe, in qua tractus quis Θρᾳκήϊον dictus id nomen ſervarit, ex Euſtathio ad Dionyſii l. c. condiſcimus. Imo Mygdones, Bebryces, & Medobithynos, Bithynos, Thynos & Mariandynos Thracicas fuiſſe gentes ac Europam reliquiſſe, apud Strabonem legitur L. VII. p. 295. cf. & L. XIII. p. 586. Denique, ne ſola foret Thracibus orba Africa, in Lybia quoque Thraciam quandam ſupra Alexandriam notat Euſtathius ad Dionyſii l. c. Ἱστορέα δέ τις ἱερὰ ἡ περὶ τὰ τῆς Λιβύης που νότια

ὑπὲρ Ἀλεξάνδρειαν Θράκην τινὰ ὀρεινήν φησιν, ἐν ᾗ ἀσκητὴν ἱστορεῖ γενέσθαι περίπυστον. Quaenam ea ſit ſacra hiſtoria, quiſnam is aſcetes, aliis inquirendum relinquo. O.

## Theſſali

*Theſſali*) Theſſalia a Macedonia loco fuit diſtincta. Quum vero Macedones imperii fines propagarunt, acceſſit ipſis Theſſalorum natio. *Et in dioeceſi Macedoniae ſunt ſeptem* provinciae, teſte Sexto Rufo ſive Rufo Feſto breviar. de victor. & provinc. pop. Rom. ad Valent. Auguſt. cap. 8. *Macedonia*, *Theſſalia*, *Achaia*, *Epiri duae*, *Praevalis & Creta*. HESSEL. Theſſalorum natio a natione Macedonum & moribus & imperii forma & ſitu locorum fuit diſjuncta. Neque Vibius hic reſpexiſſe videtur aliud, quam quod a Macedonum regibus ſub jugum miſſa quondam Theſſalia iſtorum provincia fuit. s. CROIX. Jam aliquoties vidimus, Vibium ad diſtributionem provinciarum & regionum, qualis labente Imperio Romano obtinuit, reſpexiſſe. Neque hic quicquam video, quod impediat, quo minus Heſſelium Vibii mentem aſſecutum putem. De Theſſaliae ipſius finibus, montibus, fluviis paſſim diximus. Fuſe de ea agit Strabo L. IX. p. 431 ſeq. Olim fuiſſe pelagus vel paludem omnem Theſſaliam, auctor eſt Herodotus L. VII. c. 129. Varia ejus antiqua nomina jungit Strabo L. c. p. 434. Καθόλου δ' ὅτι πρότερον ἐκαλεῖτο Πυῤῥαία ἀπὸ Πύῤῥας τῆς Δευκαλίωνος γυναικός· Αἰμονία δὲ ἀπὸ Αἵμονος. Θετταλία δὲ ἀπὸ Θετταλοῦ τοῦ Αἵμονος. Ἕως δὲ διελόντες δίχα, τὴν μὲν πρὸς νότον λαχεῖν φασὶ Δευκαλίωνα ἣν καλέσαι Παυδώραν ἀπὸ τῆς μητρός, τὴν δ' ἑτέραν Αἵμονα, ἀφ' οὗ Αἱμονίαν λεχθῆναι . . . Καὶ Νευρὶς δὲ ὠνομάσθη πόλις, ἀπὸ Νέσσου τοῦ Θετταλοῦ. Inter alios ſcite deſcribit regionem ipſam Scymnus Chius v. 606 ſeq. O.

## Umbri

Strabo L. V. p. 219. οἱ δὲ Ὀμβρικοὶ μέσοι μὲν κεῖνται τῆς Σαβίνης καὶ τῆς Τυῤῥηνίας, μέχρι Ἀριμίνου καὶ Ῥαουέννης προσίασιν ὑπερβάλλοντες τὰ ὄρη. cf. & p. 227. In sexta regione recenset Umbriam Plinius L. III. c. 14. cui agrum Gallicum jungit circa Ariminum. *Ab Ancona Gallica ora incipit, Togatae Galliae cognomine. Siculi & Liburni plurima ejus tractus tenuere - - - Umbri eos expulere, hos Etruria, hanc Galli. Umbrorum gens antiquissima Italiae existimatur, ut quos Ombrios a Graecis putent dictos, quod inundatione terrarum imbribus superfuissent. Trecenta eorum oppida Thusci debellasse reperiuntur.* cf. & Solinus cap. 8. Etymon ridet Cluverius It. Ant. L. II. c. 4. Ista Umbrorum & Tyrrhenorum bella memorat & Strabo L. V. p. 216. neque rem hanc miram potuisse accidere refert, quod solo Tiberi fluvio dividerentur. Umbros prius tenuisse Etruriam, vidimus paullo ante in Tuscis. An & in Campania aliquo tempore confederint, in dubium venit. Negat Cluverius l. c. quem eo nomine reprehendit Camillus Peregrinus in Campania felice Diss. IV. cap. 9. Graecis scriptoribus nuncupantur Ὀμβρικοὶ, item Ὄμβροι. v. Strabo, Dionysius Hal. Stephanus &c. Ptolemaeus L. III. c. 1. in Ὀλομβροὺς & Ὀυιλομβροὺς distinguit. O.

## Volsci

Servius ad Virgilii Georg. L. II. v. 168. *Volscosque verutos) Italiae populi sunt.* HESSEL. Nomen hujus gentis diversimode efferebatur. Dicti Ὄλσκοι ex emendatione Cluverii, non Ὄλκοι, Scylaci. Ὀυόλκοι, *Volci*, Ptolemaeo L. III. c. 1. aliis *Volsci*, Ὀυόλσκοι. Catoni *Volosci*, in fragmentis. Dionysio Halicarn. L. III. c. 41. atque Diodoro Sic. L. XI. c. 37. Ὄυολῦσκοι. Suidae Βουολῦσκοι. Minores inter populos Latii fuere, qui Romam cingebant. v. Strabo l c. caeteris tamen potentiores. De iis agit fuse & erudite, ut solet, Cluverius L. III. c. 7. O.

# AD APPENDICULAM DE VII MIRIS

Haec fere eadem ſunt & totidem verbis translata, quae ſunt in Ampelio pag. 20. edit. Amſtel. 1702. Hyginoque fab. 223. & aliis ſcriptoribus, eis etiam, qui vel ἐν παρόδῳ unum aut alterum de ſeptem orbis terrae miraculis praedicaverunt. Verum enim vero comparationem horum omnium hic a me fieri atque explanationem, argumenti celebritas vix patitur; neque praefiſcine ego is ſum, qui crebris locis ultra quam neceſſe eſt in hujuſmodi ſcriptione critica res ita notas, ita teſtatas, ita manifeſtas inculcem. Interim de VII. miris extat epigramma Graecum Antipatri, L. I. cap. 54. ep. 1. & Latinum Martialis L. de ſpectac. ep. 1. HESSEL. Epigramma id Antipatri Sidonii in Ill. Brunckii analectis vet. poët. Graecor. T. II. p. 20. legitur. Aeri inciſa iſta & plura alia orbis antiqui miracula, ſed maximam partem ex ſuo cerebello conficta, exhibet Joh. Bernh. Fiſcher von Erlach in Entwurf einer hiſtoriſchen Architectur. fol. Leipz. 1725. Caeterum, ut de ſepteno miraculorum numero fere convenit inter veteres, ita non eadem omnes in ſeriem iſtam referunt. v. Montfaucon Ant. Expl. T. III. P. I p. 171. O.

## Aedes Dianae Epheſo

v. ſelect. NN. ant. ex muſeo Jac. de Wilde pag. 51 & 164. HESSEL. Dianae Epheſiae aedes a Cteſiphonte Gnoſio conſtituta Jonicae architecturae eximium ſpecimen erat: dipteros fuit, teſte Vitruvio L. III. c. 1. Cteſiphontem juverat Metagenes filius. Verum ab aliis deinceps perfectum eſt opus. cf. Vitruvius in praef. ad L. VII. & Plinius L. XXXVI. c. 21. Formam aliquo modo ex nummo dijudicare licet. Rudera quaedam ſupereſſe, varii tradidere, in quibus Pocokius in itinerib. T. II. p. 51. Ichnographiam

exhibet idem tabula L. cf. & Montfaucon antiq. expl. T. II. Suppl. tab. IV. Fiſcherum, de quo dixi, non moror. Sed praetereunda non eſt ſilentio diſſertatio Joh. Poleni de templo Epheſio in Commentariis Academiae Cortonenſis T. I. P. II. Nec volam nec veſtigium ejus ullum ſupereſſe hodieque, Chandlerus nuper teſtatum fecit, idque in opere eximio, quod allegatum eſt ſupra ad Maeandrum pag. 144. Neque is architecturae Jonicae alia documenta, Jonia quae ſervet ipſa, dedit, praeter rudera templorum trium, Bacchi, quod Teos, Minervae, quod Priene, & Apollinis Didymaei, quod Miletus habuit. O.

## Mauſoleum

v. Propertius L. III. eleg. 1, v. 57. & Martialis L. X. ep. 63. Caeterum male Heinſ. collat. ἀπόγρ. Gud. *Mauſolaeum*: nam Graece Μαυσώλειον. HESSEL. Adde Strabonem L. XIV. p. 656. In muſeo Johannis de Balſamo olim nummus extitit, in quo id opus Artemiſiae reginae ſpectatur. Aeri inciſum dat Gualtherus in Tabulis Siciliae ant. p. 23. recuſis in Theſauro antiquitatum Sicularum T. VI. p. 219. Inter recentiores de Mauſoleo videri meretur Caylus in Diſſ. inſerta Commentariis Academiae Eleg. Litt. Pariſinae T. XXVI. p. 321. ubi Mauſoleum Mauſoli cum alio quodam in Africa reperto comparat. O.

## Coloſſus Rhodi

Euſtathium lege ad Dionyſii orb. deſcr. v. 504. porro vid. Simonides in epigr. Graeco L. IV. cap. 6. ep. 4. & inſcriptio in Gruteri corp. inſcr. pag. CLXXXVI. n. 1. HESSEL. Epigramma Simonidis in Brunckianis analectis habes T. I. p. 143. Corruit terrae motu opus id Charetis Lindii cubitorum ſeptuaginta, annis ante C. N. 228. teſte Polybio L. V. c. 88. Suo tempore proſtratum jacuiſſe, teſtatur Strabo L. XIV. p. 652. a genibus confractum, nec Rhodios, oraculo impeditos, inſtaurare eum eſſe auſos.

Secundum Livium L. XXXIV. c. 7. *jacens quoque miraculo fuit, pauci pollicem amplectuntur, majores ſunt digiti, quam pleraeque ſtatuae.* Jacuit ad annum Chriſti 653, quo, Rhodo inſula a Muavia Saraceno occupata, aes iſtud immanis ſtatuae emtum Judaeus mercator nongentorum camelorum dorſo avexit. v. Zonaras Annal. L. XIV. c. 19. Veſpaſiani tempore alius quoque Coloſſus factus eſt Rhodi, altitudinis pedum 107.

## Jovis Olympii

v. Epigramm. Graec. L. IV. cap. 6. ep. 3. HESSEL.

Refertur ad praecedentem articulum, ut ſit *Coloſſus Jovis Olympii* &c. Phidiae opus fuit, de quo conſulendus Plinius L. XXXIV. cap. 8. Epigramma laudatum venuſta veſte Latina donavit Hugo Grotius:

*Juppiter ad terras, an ad aethera Phidia venit,*
*Ut viſo fieret talis imago Deo?* O.

## Domus regia in Ecbatanis

Ecbatanorum urbs & palatium Cyri opus fuit. v. Strabo L. XV. p. 731. Neque veteres Memnoni unquam attribuere, a quo potius palatium, quod Suſis erat, ſtructum referunt Herodotus L. V. c. 53. Aelianus hiſt. anim. L. XIII. c. 18. Pauſanias L. IV. c. 31. Stephanus Byzant. in voce Σῦσα. Quum autem additur, *lapides palatii Ecbatanenſis auro vinctos fuiſſe*, non prorſus ſtramineo fundamento id nititur. Polybius eo loco, quo magnificentiam ejus aedificii operoſe deſcribit, videtur nobis perſuadere velle, auro argentoque id contectum fuiſſe. v. Polybius ed. Erneſt. T. II. p. 235. ſq. S. CROIX.

## Murus Babylonis

Scholiaſtes Theocriti ad edyll. XVI. verſ. 100. Ἡρόδοτος ἱστορεῖ, ὅτι ἀσφάλῳ ἔδησεν ἡ Σεμίραμις τὸ τεῖχος ἀντὶ πηλοῦ. Scholiaſtes Dionyſii ad orb. deſcript. verſ. 1005. Πρὸς δὲ

τὸν νότον ἡ μεγάλη πόλις Βαβυλὼν, ἣν τοῖς ἀῤῥαγέσιν, ἤτοι τοῖς χαλκοῖς ἢ ἰσχυροῖς, τείχεσιν ἡ Σεμίραμις ἐστεφάνωσε· καὶ τὰ ἑξῆς. Scholiastes Juvenalis ad sat X. vers. 171. *Babylonem significat Persarum civitatem: quam condidit urbem Semiramis Nini uxor, & coctili latere munivit; quem hodie dicimus ordinarium lapidem. In hac igitur urbe Alexander devictis Persis ingressus veneno periit. Haec urbs sexaginta millium circuitu patet, ex latere cocto circumdata muris, quorum latitudo ducentos pedes detinet, altitudo quinquaginta.* Porro videsis Dionysium perieg. v. 1005. & ad h. l. Eustathium. Priscianum perieg. v. 930. Theocritum edyll. XVI. v. 99. Propertium L. III. eleg. 9. v. 21. Ovidium metam. L. IV. v. 57. Lucanum L. VI. v. 49. HESSEL. Omissos heic video Herodotum L. I. c. 179 seq. Diodorum Sic. L. II. c. 7. Lepidus est labor viri caeterum docti, Athanasii Kircheri, quo in scripto, cui titulum fecit Turris Babel, excuso Amst. 1679. regiam Babylonis urbem aeri incisam lectorum oculis objicit. Atqui ex isto tamen libro in permulta auctorum diversorum opera transiit. O.

## Pyramides

Acron & Cruquianus enarrator ad Horatii L. III. od. 30. vers. 2. *Pyramides autem proprie regum Aegyptiorum sepulcra sunt ingenti mole constructa, & in cacumen educta in modum flammae surgentis; unde & eis nomen est inditum.* Porphyrion: *Pyramides regum Aegyptiorum sepulcra sunt adeo ingenti mole saxorum in mediis arenis Aegypti structa, ut inter septem miracula habeantur* cf. porro Epigr. Graec. L. IV. cap. 17. ep. 2. Horatius L. III. ode 30. Propertius L. III. eleg. 1. v. 57. Martialis L. VIII. ep. 36. Caeterum hodiernam pyramidum formam descripsit Cornel. le Bruyn itin. cap. 36. HESSEL. Cornelio le Bruyn junges Greaves pyramidographiam, Pocoke's Travels T. I. Maillet description de l'Egypte. Norden voyage d'Egypte & de Nubie. Shaw's Travels. Niebuhrs Reisebeschreibung nach Arabien. De usu pyramidum uti diversissimae sunt sententiae, ita pervulgata est ea, quae sepulcris Regum inserviisse statuit. In America quoque tumulos sepulcrales, pyramides qui aemulentur, reperiri, ostendit Antonius de Ulloas in Notitias Americanas. 4. Madr. 1772. O.

# INDEX VIBIANUS

## Flumina


Abſyrtus 6. 83
Achates 3. 49. 91
Achelous 2. 40
Acheron 3. 51
Acis 4. 66. 91
Aeas 5. 72
Alabis 4. 65. 91
Albis 5. 70
Allia 3. 54
Almon 5. 69
Alpheus 3. 47
Alto 5. 71
Alyntos 3. 59
Amaſenus 3. 58
Amphryſus 2. 46
Amymone 6. 79
Anaurus 5. 73
Ancus 4. 60
Anecus 4. 60
Anien 3. 52
Aniger 6. 76
Aous 5. 70
Apidanus 5. 74
Apſus 6. 83
Arar 2. 44
Araxes 3. 55
Arimaſpa 5. 71
Aſcanius 3. 48
Aſinius 4. 59. 91
Aſopus 6. 75
Atax 4. 67
Aternus 6. 78
Atheſis 3. 57
Aufidus 3. 58
Bactros 7. 88
Baetis 7. 86
Bagrada 7. 86
Barbana 7. 87
Benacus 6. 84
Boryſthenes 7. 88
Brictates 6. 85
Caïcus 7. 91
Camicos 7. 90
Calor 8. 94
Calos 7. 92
Caſilinum 8. 97
Cayſtros 7. 86
Cephiſos 8. 98
Ciconum fluvius 6. 78
Cinybs 8. 100
Clitumnus 9. 101
Cocytos 7. 92
Crathis 9. 100
Criniſos 8. 93
Cruſtumium 8. 97
Cryſas 8. 95

Cydnus 8. 96
Cyrta 8. 96
Danubius 9. 103
Drinius 9. 104
Enipeus 9. 106
Epidanus 10. 112
Eraſinus 10. 110
Eridanus 9. 109
Eſia 10. 111
Evenus 9. 107
Euphrates 9. 108
Eurotas 9. 108
Fabaris 10. 112
Galeſus 10. 114
Gallus 10. 116
Ganges 10. 113
Gela 10. 116
Genuſus 10. 118. 119
Haeus 12. 133
Halys 11. 126
Hebrus 11. 119
Helorus 11. 126
Herbeſos 14. 127
Hermus 11. 120
Hiberus 11. 121
Himella 11. 127
Himera 11. 128
Hipparis 12. 132
Hydaſpes 11. 121
Hypanis 11. 125
Hypſa 12. 131
Jader 13. 136
Icanus 13. 135
Ilerda 13. 135
Inachus 13. 135
Indus 12. 134
Iſara 12. 134
Kaïcus 13. 137
Lethaeus 13. 141
Lethe 13. 138
Liger 13. 140
Liris 13. 138
Lycaſtus 13. 140
Lycus 13. 139
Lynceſtius 13. 137
Macra 14. 144
Maeandros 14. 144
Marſyas 14. 145
Mathis 14. 145
Melas 14. 146
Metaurus 14. 143
Mincius 14. 141
Minio 14. 142
Moſella 14. 142
Nar 15. 148
Nilus 15. 147
Niphates 15. 149
Numicus 15. 149
Oaxes 15. 150
Orethus 15. 150
Orontes 15. 159
Pachynos 17. 173
Pactolus 16. 168
Padus 15. 161
Pantagias 16. 166
Peneus 15. 162
Permeſſos 15. 161
Phacelinus 16. 170
Phaſis 16. 163
Phoenix 16. 172
Piſaurus 16. 172
Pitonius 16. 168

Rhenus 17. 175
Rhodanus 17. 181
Rubicon 17. 176
Rutuba 17. 180
Sagaris 18. 187
Sarnus 18. 189
Sebethos 18. 189
Selinus 17. 185
Sequana 17. 183
Sicoris 18. 196
Siler 18. 194
Spercheos 17. 184
Strymon 17. 182
Symaethos 18. 191
Syrapus 17. 185
Tagus 18. 200
Tanager 19. 201
Tanais 19. 204
Taras 19. 201
Tauromenius 18. 198
Thapſus 19. 206
Thermodoon 19. 205
Tibris 19. 203
Tigris 18. 197
Titareſos 19. 208
Traſymenos 19. 206
Triopala 19. 206
Turia 18. 200
Turnus 19. 207
Varus 20. 213
Virbius 20. 211
Ufens 20. 212
Ululeus 20. 214
Vulturnus 20. 210
Xanthus Lyciae 20. 216
Xanthus Trojae 20. 215

## Fontes

Acidalia 21. 219
Aganippe 21. 218
Arethuſa 21. 219
Camenarum 21. 228
Caſtalius 25. 225
Clanius 21. 223
Clitor 21. 227
Clitumnus 21. 221
f. fo. lac.
Dircaeus 21. 229
Eſus 21. 229
Gargaphia 21. 230
Hippocrene 21. 231
Ineſſa 22. 231
Langia 22. 234
Libethros 22. 231
Liriope 22. 233
Menais 22. 235
Salmacis 22. 237
Spandeus 22. 237
Timavus 22. 240
Virvinus 22. 242

## Lacus

Acheron 23. 244
Aecitus 23. 245
Amſanctus 23. 245
in Athamana 24. 255
Avernus 23. 243
Benacus 23. 247
Ciminius 23. 250
Cocytos 23. 247
Cyane 23. 247

Digitized by Google

Feronia 23. 251
Fucinus 23. 252
Gygaea 23. 253
Hammonis 24. 254
Larius 24. 256
Lemanus 24. 258
Lucrinus 24. 257
Mareotis 24. 259
Triviae 24. 260
Velinus 24. 261
Venacus 24. 262

## Nemora

Angitiae 25. 264
Clarium 25. 265
Dodona 25. 267
Idalium 25. 269
Marica 25. 271
Molorchos 25. 270
Sila 25. 271
Tempe 25. 273
Thymbra 25. 272

## Paludes

Ambracia 26. 274
Asia 26. 275
Camarina 26. 275
Lerna 26. 276
Maeotis 26. 278
Paduse 26. 282
Pomptinae 26. 280
Salpina 26. 285
Satura 26. 283
Styx 26. 283
Triton 27. 285
Tyraca 27. 287

## Montes

Aetna 27. 294
Aganippe 28. 300
Agragas 27. 295
Albanus 28. 298
Alburnus 27. 292
Alpes 27. 293
Amanus 28. 300
Aracynthus 27. 288
Aruis 27. 289
Apenninus 28. 296
Ascraeus 27. 291
Athos 27. 296
Atlas 27. 290
Aventinus 27. 292
——— 28. 298
Bebius 28. 301
Berecynthus 28. 301
Boreas 28. 302
Calpe 29. 311
Castaliae 29. 314
Catillus 29. 308
Caucasus 28. 304
Chimaera 29. 310
Ciminus 29. 312
Cinyrus 29. 309
Cithaeron 28. 303
Clarius 28. 307
Coelius 28. 306
Coras 29. 309
Corycus 29. 312
Cybelus 28. 306

Cyllene 28. 307
Cynthus 28. 303
Cytorus 28. 305
Dictaeus 29. 315
Dindyma 29. 318
Dodona 29. 317
Eridanus 29. 322
Erymanthus 29. 321
Eryx 29. 319
Esquilinus 29. 321
Gargarus 29. 322
Gaurus 30. 323
Haemus 30. 327
Helicon 30. 325
Hyperborei 30. 329
Ida 30. 329
Imaus 30. 327
Ismarus 30. 329
Libethrus 30. 332
Lycaeus 30. 331
Maenalus 30. 333
Marpessos 30. 336
Massicus 30. 334
Maxteria 30. 338
Mesulus 31. 339
Monoecus 30. 337
Nemeus 31. 343
Neritos 31. 341
Niphates 31. 340
Nysa 31. 342
Oeniphile 31. 350
Oeta 31. 348
Olympus 31. 345
Ossa 31. 347
Othrys 31. 349
Palatinus 32. 355
Pangaeus 32. 357
Parnassus 32. 351
Parthenius 32. 353
Pelios 32. 356
Petrae 32. 362
Phanaeus 32. 354
Pholoe 32. 359
Pindus 32. 352
Pylartes 32. 362
Pyrenaeus 32. 360
Quirinus 32. 363
Rhamnusius 32. 365
Rhodope 32. 363
Riphaei 32. 364
Sarnus 33. 368
Saturnius 33. 366
Sipylus 33. 368
Soractes 33. 366
Stesiarus 33. 369
Taburnus 33. 374
Taenarus 33. 370
Tarpejus 33. 370
Taygeta 33. 375
Tenitrus 33. 376
Tetricus 33. 376
Tmolus 33. 372
Velinus 33. 376
Vesulus 33. 378


## Gentes


Acarnanii 34. 380
Aegyptii 34. 384
Aethiopes 34. 382
Agathyrsi 34. 379
Apuli 34. 382

| | | | |
|---|---|---|---|
| Barcaei | 34. 384 | Magempuri | 36. 409 |
| Chalybes | 34. 386 | Marſi | 36. 409 |
| Cicones | 34. 387 | Maſſyli | 36. 407 |
| Daci | 34. 388 | Mauri | 36. 408 |
| Dryopes | 34. 389 | Medi | 36. 410 |
| Gaetuli | 34. 390 | Morini | 36. 410 |
| Gangaridae | 35. 395 | Numidae | 36. 411 |
| Garamantes | 35. 395 | Oſci | 36. 412 |
| Geloni | 35. 393 | Pannonii | 36. 414 |
| Germani | 34. 391 | Parrhaſii | 36. 413 |
| Getae | 34. 392 | Philyridae | 36. 415 |
| Hiſpani | 35. 397 | Rutuli | 36. 417 |
| Indi | 35. 399 | Sabaei | 36. 418 |
| Ityraei | 35. 400 | Sauromatae | 36. 419 |
| Kares | 35. 401 | Seres | 36. 417 |
| Lapithae | 35. 403 | Teutones | 37. 420 |
| Leleges | 35. 404 | Theſſali | 37. 423 |
| Lucani | 35. 405 | Thraces | 37. 422 |
| Lycii | 36. 406 | Tuſci | 37. 421 |
| Lydi | 35. 402 | Umbri | 37. 424 |
| Maedi | 36. 410 | Volſci | 37. 424 |


## Citantur a Vibio


| | pag. | | pag. |
|---|---|---|---|
| Catullus in *Piſauro* | 16 | Salluſtius in *Euphrate* | 9 |
| Gallus in *Hypani* | 11 | Steſichorus in *Himera* | 12 |
| Livius in *Galeſo* | 10 | Varro in *Oaxe* | 15 |
| Lucanus in *Piſauro* | 16 | | |

# INDEX
## GEOGRAPHIAE VETERIS ET MEDII AEVI.

*p.* populum. *f.* fluvium. *m.* montem. *l.* lacum. *i.* insulam. *pr.* promont. * med. aevum signat.


Abenna *m.* 311
Abrincatui *p.* 184
Absorus 83
Absorum *i.* 83
Absura * *f.* 84
Absyrtus 83
Absyrtides *i.* 83
Abyla *m.* 311
Acarnania 404. 380
Accion *l.* 259
Acerrae 21. 224
Aceslines *f.* 124. 199
Achaetus *f.* 50
Achelous *f.* 136. 353
Acheron *f.* 92. 283
Acherusia *l.* 244. 250
Achrides v. Achris * *pal.* 105
Ἀχίθιος *f.* 50
Acidusa *fo.* 219
Acis *f.* 60
Acragas *f.* 128. 131
Acroceraunii *p.* 311
Acrocorinth. *m.* 231
Acyphas *f.* 353
Addua *f.* 257. 258
Adoreus *m.* 188
Adrias *f.* 57
Adurus *f.* 92
Aeas *f.* 70. 353
Aegonus *collis* 363
Aenus 11. 119
Aesis *f.* 222
Aethiopes Indi *p.* 34. 383
Aetna *m.* 320
Aetoli *p.* 381
Agatha 97
Agathyrsa 380
Agragas 295
Agrianes *f.* 119
Agrialpe *p.* 72
Ἄιας *f.* 133
Aisia *f.* 111
Alaba 66
Alabon *f.* 65
Alabum * 66
Alamanni *p.* 391
Alani *p.* 379
Albanus *l.* 298
Albia * *f.* 70
Albion 293
Albium Intemelium 187
Albis 293
Albula 19. 203. 293
Alburnus *m.* 292. 293
Aldescus *f.* 364
Ἄλγος *f.* 71
Ἄλως *f.* 84. 94
Alosus 71
Alpes *m.* 365
Alpheus *f.* 109. 220
Alpia 293
Ἀλθυενος *f.* 210
Altinum 282
Alybes *p.* 387
Amanicae *portae* 300
Amarantii *p.* 163
Amarantus *m. op.* 163
Amalenus *f.* 3. 58. 212
Amathus 270
Amazonius *f.* 209
Ambracia 390
Ambracius *sin.* 274
Ambracus 274
Amenanus *f.* 58. 91
Amyclae 375
Amymone *f.* 80. 81. 277
Amymonium *f.* 80
Anapus *f.* 62. 65. 91. 247. 249
Anas *f.* 73
Ancon 296. 298
Angitiae *nemus* 252
Anien 112
Anopus *f.* 60. 91
Anthele 172
Anticyra 184
Antiochia 160
Antium 26. 283

AntrumSibyllae 243
Anxiris 252
Anxur 212
Ἀώϊος *f.* 133
Aonia 161. 218. 326 325
Ἄορνος *l.* 23. 243
Aous *f.* 70. 133
Apamea 160
Apiarium 187
Apidanus *f.* 173
Apollonia 5. 33
Aponus *f.* 242
Apruſa *f.* 176. 177
Apſus *f.* 118. 84
Apulum Auguſtum 382
Aquileia 240
Arachthus *f.* 370
Aracynthus *m.* 288
Araur *f.* 97
Araura 97
Arauris *f.* 96
Arauraris *f.* 97
Araxes *f.* 162. 347
Arbies *p.* 134
Arcadia 359
Archaeopolis 368
Archemorus *fo.* 234. 22
Arconneſos 318
Arcturus *f.* 166
Arene 77
Arethuſae *plures* 221
Arethuſe *fo.* 218. 230
Argia 110
Argos Hippium 81
Ariaſpae *p.* 72
Aricia 212. 260
Aricina *vallis* 228
Aricinum *nem.* 212. 260
Arimaſpi *p.* 72. 365
Arimaſpa *f.* 71
Ariminus *f.* 176. 177
Ariminum 176. 297
Ariuſia *reg.* 289
Armenius *m.* 164
Armorici *p.* 410
Arnus *f.* 190. 224
Arſacis *l.* 198
Arſia *f.* 104
Arſinus *f.* 110
Aſcania *f.* 49
Aſcaniae *i.* 49
Aſconis *foſſa* 283
Aſcra 326
Aſcuris *l.* 101
Aſia *l.* 7. 89. 90. 275
Aſignus * *f.* 60
Aſinarus *f.* 59
Aſine 390
Aſines *f.* 59. 199
Aſinius *f.* 199
Ἄσιος *f.* 104
Aſopi *plures f.* 76 172. 184
Aſopia reg. 76
Aſſon *l.* 275
Aſtacenus *ſin.* 49
Aſtraeus *f.* 92
Aſtras * *m.* 360
Aſtura *l.* 283
Aſtyra 285
Atalla 94
Atax 68
Aternum 79
Ateſia *f.* 57
Athamanes *p.* 255. 381
Atinum 202
Ἄτισων *f.* 57
Atrianus *f.* 57
Atures *p.* 68
Ἀτούριος *f.* 68
Aturus *f.* 68
Avernus *l.* 50. 257. 324
Avens *f.* 292
Aufeia *f.* 168
Aufens *f.* 281
Aufidus *f.* 285. 212. 223
Auguſtus *m.* 307
Aulon *m.* 115
Auranitis 400
Auſona 338
Auſones *p.* 4. 215
Autololes *p.* 391
Axenus *f.* 41
Axiopolis 104
Azania 228

Babylon 427
Bactra 89
Bactriana 305
Bagos * *f.* 125
Βαγραδας *f.* 86
Bajae 257
Baphyas *f.* 326
Baphyrus *f.* 106
Barbana *f.* 365
Barcaei *p.* 408
Barcanii *p.* 386
Barce 385. 386
Barcitae *p.* 385
Baſtarnae *p.* 379
Bathys *f.* 205
Bebius * *m.* 302
Bebryces *p.* 15. 162 422
Bembinadia 344
Benacenſes *p.* 247
Beneventum 374
Berecynthium *caſtell.* 188
Berecyntia *reg.* 301
Berenice 386

Βέσεις m. 302
Bicornius f. 184
Biſtonia 387. 392
Bithyni p. 422
Boactes f. 6. 85
Bodencus f. 109
Bodincus ——
Boeai p. 108
Boeoti υες 219
Bocotia 300
Bononia Rheni 176
Boras m. 302
Boreon m. 302
Boreus m. 302
Boryſthenes f. 125
Βραχυάδας f. 86
Brenteſia 241
Brigulus f. 46
Briniates f. 85
Briva Iſarae 111
Brivaniſara 111
Bruttii p. 405
Bruttia ſilva 271
Budini p. 394
Βουολιῶται p. 424

Cacidari p. 72
Cadae 120
Caelius m. 307
Caenepolis 372
Caeſena 177
Calor 292
Calpe 311. 397
Calydon 381
Calydonia 108
Calydonius f. 44
Calus f. 92
Camarina 132
Camerteis Umbri p. 312
Canuſium 58
Capenae 113
Capeni luci 312
Capitolinus m. 366
Cappadocia 300
Caprea i. 190
Carei p. 402
Cares p. 239. 401
Caria 402
Caricum 402
Caricas 402
Caris 402
Carmanius m. 358
Carmanor f. 136
Carmanorius m. 373
Carya 402
Caryſtus 390
Caſilinus f. 8. 97. 210
Caſilinum 97
Caſius m. 159
Caſtalius fo. 141
Caſtra 402
CaſtraConſtantia 184
Caſtur * f. 275
Caſulinus * f. 98
Catabathmus 384
Catana 66
Catarractes f. 146
Ψευδο-Caucaſus m. 28. 122. 304. 341
Caudium 374
Cayſtrus f. 275. 373
Celaenae 14. 116. 145. 306
Celtae p. 360. 392. 420
Celtiberia 361
Cena 91
Centumcellae 142
Cephiſſis l. 99
Cephiſſus f. 99. 233. 353
Ceramus 402
Ceraunium 369
Ceraunii m. 165
Cerce f. 86
Certis f. 86
Ceſero 97
Cetus f. 195
Chaboras f. 55. 57
Chalbii p. 386
Chaldaei p. 387
Chalybs f. 387
Chaonia 119. 317. 268
Χειμέριον 311
Cheruſci p. 5. 70
Cheſynus f. 379
Chimera 311
Chio 27. 289
Chius 355
Chryſorrhoas f. 169
Cicones p. 34. 387. 392
Ciconum fluv. 194
Cichyrus 92
Cilbiani m. 90
Cimbri p. 420
Ciminus l. m. 250
Ciminia ſilva 250. 312
Cimmerii p. 422
Cinga f. 196
Cinyres. Cinyria 309
Circaeus campus 163
Circeii 26. 280. 283
Circius f. 86
Cithaeron m. 326
Clanis f. 139. 224
Clarus 307
Cleonae 343
Clitor 227
Clitorius fo. l. 21. 227. 228
Clitorium 344
Clitumnus 9. 21. 101. 112. 221
Clocotinitza * m. 364
Cocytus f. 283

Coeloſſa *m.* 76
Colchis 163
Coloe *l.* 254
Colophon 265
Colophonia 28. 307
Columna coeli 291
Comacenus * *l.* 257
Commagene 300
Comum 257
Concordia 241
Conozus *f.* 183
Contadesdus *f.* 119
Copais *l.* 99. 161
Cora. Coras 309
Corioco 314
Coronea 232
Corycium *antrum* 312. 352
Corycus 314
Cos *i.* 237
Coſyrus *f.* 207
Cragus *m.* 310. 406
Crater *f.* 100
Creta 29. 315
Creteus ager Arcadiae 332
Crimiſa 93
Crimiſus *f.* 93. 131
Crobialum 305
Cromnae juga 305
Cruſtumerium 97
Cryſtallus *f.* 205
Cumae 210. 244. 335
Curetes *p.* 381. 404
Curetis 381
Cyane *fo.* 60
Cybele *m.* 116
Cybella 306
Cydonia 315
Cygnus * *f.* 96
Cyllene 308. 331
Cynthus *m.* 288. 301
Cyprus *i.* 25. 269
Cyrene 385
Cyrrha *jugum* Parnaſſi 351
Cyrrhaea *ſtagna* 351
Cyrrheſtica 400
Cythera *i.* 270
Cytorus 305
Cyzicus 318

D

Danapris * *f.* 88 125
Danaſtris *f.* 125
Dani * & Daci *confuſi* 389
Danubii oſtia *p.* 9. 103
Daphnus 368
Daſſarites *f.* 105
Davi *p.* 388
Daunia 382. 417
Decennovii *l.* 281
Dehebris *f.* 203
Dellos 193
Delos *i.* 28. 303
Delphi 21. 225. 351
Dictaea *ſpecus* 151
Dictynna 316
Dictynaeus *m.* 316
Didymi *m.* 319
Διγλαὸθ *f.* 198
Diglito *f.* 198
Dindymus *m.* 120. 306
Dindymis 318
Dirce *fo.* 82. 218. 230
Dium 106. 345
Dodone 256
Dolionis 318
Donaces *p.* 233
Dorylaeum 120
Dotius *camp.* 255
Draco *f.* 191
Draconcellus *f.* 191
Dracontius *f.* 191
Drepanum *pr.* 319
Drilon *f.* 104
Drinius. Drinus 9. 105
Dryope 389
Dryopes *p.* 34. 352. 389
Dulichium 341
Dyras *f.* 184
Dyris 291
Dyrrachii *p.* 31. 350
Dyrrachium 5. 20. 33. 71. 73. 302. 322. 362. 376.

E

Ecbatana 427
Echinades *i.* 42
Egeriae *f.* 228. 260
Elea 59
Enipeus *f.* 74
Enippe 300
Eniſeus *f.* 106
Enna 95
Ἐννησία 231
Entella 94
Ephyre *fo.* 82
Ephyra 362
Ephyri 381
Epicrene *fo.* 218. 230
Epidanus *f.* 75. 172
Eraſinus *f.* 81. 277
Ἐρξυσσὸς *f.* 128
Erembi *p.* 383
Eridanus *pro* Rhodano 182
Erigone *f.* 137
Erymanthus *op.* & *f.* 321
Erymanthides *ſilvae* 321

Fryx 94
Eſquiliarius *m.* 321
Etruſci *p.* 421
Evenus *f.* 353
Eugubium 297
Eurotas *f.* 9. 108. 115. 209. 210. 303
Eurotis * *f.* 109
Eurus *f.* 120
Euſebon chora 18. 199
Euthymedia 122. 124
Euxinus *po.* 278

Faber *f.* 112
Falernus *m.* 115. 334
Faliſci 33. 366
Fanum Fortun. 355
Farfa * 113
Farfarus 112
Faſſis * *f.* 166
Faventia 177
Feronia 367
Fiſcellus *m.* 148
Fucinus *l.* 16. 168. 409
Forum Appii 26. 281

Gades 311
Gaetuli *p.* 384
—— Darae *p.* 391
—— Baniurae *p.* 391
Galeſus *f.* 109
Gallus *f.* 306
Gammaides *m.* 363
Gandaridae *p.* 396
—— Calingae 396
Garama 395
Garamas 395
Garamantes *p.* 391
Gargaphie *fo.* 21. 218. 230
Gargaphie vallis 230 231
Gargarenſes *p.* 323
Gargaridae *rectius* Gangaridae *p.* 323
Gargaridae *p.* 396
Gargarum *cacumen* Idae 323
Gela 27
Geloni *p.* 379
Geneſis *f.* 119
Geneſus *f.* 119
Geon *pro* Nilo, *it.* *pro* Sequana *f.* 184
Gepidia 389
Germalus *m.* 377
Germani *p.* 379. 420
Germanes *p.* 392
Germanii *p.* 392
Getae *p.* 379. 388. 422
Gion * *f.* 184
Glanis *f.* 139
Glaucus *f.* 164
Golgi 270
Gordiene 340
Gothi *p.* 393
Graea 234
Graviſcae 142
Guntia *f.* 307
Gygaea *l.* 90

Hadria *op.* 6
Haemimons 327
Haemimontani *p.* 328
Haemonia 273. 423
Haemus *m.* 363
Hales *f.* 59
Haliacmon *f.* 136
Halizones *p.* 387
Hammonis *fo.* *nem.* *l.* 81. 82
Hebrus *f.* 388
Helbeſius *f.* 127
Helicon 30. 325. 326. *m.* & *fl.* 161. 218. 291
Heliconis *memorabilia* 326
Heliconia tempe 273
Heloria — 126. 273
Hemodus *m.* 113
Heneti *p.* 416
Heniochi *p.* 92
Heraclea Trachinia 76
Heraei *m.* 95
Herbeſſus 127
Herculaneum 189
Herculis *port.* 337
Hermeſia 368
Hermeus *ſin.* 120
Hermione 389
Hermon *f.* 120
Heſperides *p.* 385. 386
Himera *f.* 117
Himerus *f.* 108
Ἱπώρεω *p.* 132
Hippocrene *fo.* 218. 230. 231
Hippus *f.* 164
Hirpi *p.* 367
Hirpini *p.* 246
Hiſa * *f.* 112
Hyampolis 343
Hyantes *p.* 219
Hyantea Aganippe 219
Hyantea *aqua* 226
Hyllus *f.* 120. 369
Hypaepae 7. 89. 373
Hypanis *f.* 114. 125
Hyperie 26. 132. 276
Hyphaſis 114. 125

Hypſa *f.* 50
Hyrcani *p.* 88

Jadera, Jader 136
Japygia 382
Jaſſii Daci *p.* 389
Jater *f.* 137
Iberi *p.* 360
Iberia 397
Iberus *f.* 397
Icanus *f.* 322
Ida *m.* 20. 29. 215. 322
Idalium 269
Iguvium 297
Ilargus *f.* 307
Ilerda 196
Illyrii *p.* 414
Illyricum 104
Imabus *m.* 328
Inachus *f.* 81. 136. 353
Indus *f.* 122
Ineſſa *m. op.* 231
Inneſſa 295
Interamnates Nartes *p.* 149
Inycon 131
Iſamnus *f.* 135. 322
Iſanum *f. caſt.* 135
Iſapis *f.* 176
Ἴσαρ *f.* 134
Iſara *f.* 111
Iſargus *f.* 135
Iſarus *f.* 135
Isburus *f.* 19. 207
Iſmarus 329. 387
Iſmaris *l.* 329. 388
Iſter *f.* 9. 103. 362. 392
Ithaea *i.* 31. 341
Ithar 401

Κάϛειρ@ *m.* 301
Καλλίδρομ@ *m.* 349
Καλὸν ϛόμα Danubii 92
Karpaluk * 280
Κοινὴ manſio 91
Κρόνι@ *m.* 366

Ladon *f.* 359
Lampea *m.* 321
Lanarium *op.* 187
Laodicea ad Lycum 76
Lapethos 404
*camp.* lapideus 182
Lapitha *m.* 77
Lapithas *m* 404
Lapithae *p.* 32. 350. 357. 403
Lapithe 404
Lapithaeus *m.* 404
Lapithon *fl.* 404
Larnaſſus 352
Lavinium 149
Lauſonius *l.* 259
Lauſonna * 259
Lazi *p.* 166
Lecti *p.* 404
Lectum *cacum.* Idae 323
Leleges *p.* 239. 404
Leontini *p.* 22. 236
Lerna *l op.* 26. 81. 276. 277. 321
Lernaeus *ſo.* 80. 81
Lethos *f.* 137
Leucas 341
Leucopetra 271
Libethra 232
Libethrius *m.* 232
Liburnus *m.* 375
Libyes *p.* 391
Lignido 245
Liguria 337. 339
Lilaea 8. 98. 353
Λιμαίας *f.* 138
Λιμένν@ λίμνη 259
Limia *f.* 138
Liris *f.* 211. 253
Liſſus 73. 105
Locri *p.* 404
Λῶ@ *f.* 71
Lucani *p.* 382. 405
Lucenſes *p.* 265
Lucii *p.* 407
Lucrinus *l.* 323
Luſia * 407
Λυτοκοκία 17. 183
LycaeaArcadiae 332
Lycaeus *m.* 307. 331
Lycaſtus 140
Lychnidus 105
Lychnidia 105
Lychnites 9. 104
Lyceum 332
Lycia 310
Lycii *p.* 406
Lycinia ſtagna 81
Lycormas *f.* 107
Lyci *plures fl.* 140
Lydia 126. 144. 402
Lydius *f.* 120
Lynceſtis 137
Lynciſtae 137
Lyncus 137

Macralla *f.* 85. 144
Maeander *f.* 140
Maedica 358. 410
Maeetis *l.* 278
Maenala *m.* 307. 331 333
Maeonia 90. 372
Maeonii *p.* 402

Maeotis *l.* 278.280. 379
Magneſia ad Sipylum 368
Μάκαρ *f.* 86
Malea *pr.* 371
Marathon *f.* 108
aqua Marcia 168. 252
Μάρεια λίμνη 260
Mariandyni *p.* 244. 422
Maritza * 120
Marmarica 385. 390
Maro *m.* 130
Marpeſſus 336. 337
Marſi *p.* 6. 252
Maſius *m.* 340
Maſſaeſyli *p.* 407
Maſſagetae *p.* 393
Maſſice 336
Maſſicus 323. 334
Maſtramela *l.* 182
Matava 143
Mataurus *f.* 143
Matoas *f.* 103
Mauretania 408
Mauri *p.* 383. 386. 391. 408
Mauritania 382
Maurufia 408
Mauſona 338
Maxerae *p.* 338
Maxyes *p.* 407
Mazara 187
Media 122. 124
Medobithyni *p.* 422
Medoacus *f.* 241
Medus *f.* 108
Melanchlaeni *p.* 394
Melantius *m.* 300
Melas *f.* 75. 170. 184
Melita 276
Melitene 300
Μινᾶι 235
Menaeum *caſt.* 235
Menaeni *p.* 235
Μενδαῖ 235
Mephitis *luc.* 321
Meroë 147
Merus *m.* 342
Meſſanicus 282
Meſſapia 382
Meſſapii *p.* 185
Metagonitis *pr.* 411
Metanaſtae *p.* 388
Metaurus *f.* 222
Metaurum 143
Mevania 21. 101. 222
Mevanas *p.* 223
Midae *fo.* 146
Midaeum *caſt.* 174
Miletus 266
Milyas 406
Milyes *p.* 406
Mincius *f.* 247. 258
Minde * *f.* 144
Mindo *f.* 142
Minium * 143
Minterius *f.* 77
Minthe *m.* 77
Minturnae 139
Minturnenſ. *l.* 211
Minyeius *f.* 77
Modra 116
Moeſia 388
Molochath *f.* 408
Mololis 256
Moſela * *f.* 142
Moſella, Moſula, Muſalla, Muſella *f.* 143
Murcus *m.* 292
Murgentium 192
Mufti 86
Mycenae 277
Mygdones *p.* 421
Mylae 171. 175
Mylas *f.* 170
Myſi *in* Bithynia 49
Myſia 323
Nar *f.* 112
Narbo *f.* 68
Narciſſi *fo.* 233
Naurus *f.* 74
Nebrodes *m.* 130. 320
Neda *f.* 331
Nemea *reg. f.* 344
Nemea *ſilva* 22. 235 270
Nericum 341
Neritos *i.* 341
Neritum 341
Neretum * 341
Neſonis 423
Neſtus *f.* 358
Neuri *p.* 379
Nigretes *p.* 390
Nilus *f.* 184
Niobe *fo.* 81
Niphates *m.* 31. 340
Niſa v Niſſa 130
Nomades *p.* 393. 411
Nonacris *l.* 283
Nuba *l.* 395
Nucaria *f.* 196
Nuceria 33. 190. 191. 368
Numidae *p.* 384
Nyctimus *f.* 48
Nymphaeum *pr.* 322
Νυμφάτης *m.* 149. 340
Nyſa 314. 342
Nyſa *m.* 342
Nyſa *jugum* Parnaſſi 351

Oaxia 15. 154
Oaxus 152
Obii *m.* 365
Obringa *f.* 142
Obſci *p.* 412
Odomanti *p.* 358
Oeagrius *f.* 120
Oedipodia *fo.* 218. 230
Oeneus *f.* 350. 351
Oeta *m.* 255. 315.
Oete Herculea 348
Oeſia *f.* 111
Olana 282
Olbia 125
Olcampſis *f.* 205
Ollius *f.* 258
Olmeus *f.* 161
Ὀλομβροὶ *p.* 424
Ὄλσκοι *p.* 424
Olympia 219
Olympus *m.* 162. 209. 232. 332
Olympus *op. m.* 345
Olympus Pierius 346. 347
Ὄμβρικοὶ *p.* 424
Ὄμβροι *p.* 424
Oncheſtus *f.* 74
Onobala *f.* 199
Opici *p.* 412
Ὀφικοὶ *p.* 412
Opſci *p.* 412
Orbelon *m.* 364
Orchomenus *f.* 21. 77. 219
Orcus 19. 209. 210
Oretani, Oretania 150
Oriens *f.* 161
Orientis civitas 161
Oriundus *f.* 87. 106
Oropus 234
Ortygia *i.* 220
Oſſa *m.* 162. 232. 255
Oſſa *m. op. f.* 347
Oſtia 6
Oſtia Aterni 79
—— Eterni 79
Othrys *m.* 9. 106
Oufens *f.* 212
Ὀυιλομβροὶ *p.* 424
Ὀυολόσκοι, Ὀυολοῦσκοι, Ὀυόλσκοι *p.* 424
Ὀυρανοῦ δίφρος 345
Oxus *f.* 57. 89. 152

Pachynum *pr.* 174
Pactolus *f.* 120. 372
Παδόσα 282
Padus *f.* 9. 109. 282 339
Paduſe *l.* 82
Παιονία 415
Palacſte 84
Palaeſtinus *f.* 183
Πάλαμνος *f.* 71
Palatinus *m.* 377
Palica 235
Palicinus *fo.* 236
Palicorum *crateres* 236
—— *l.* 236
Palladis *l.* 286
Pallantias *l.* 286
Pallene 286
Pamiſus *f.* 74
Pangaea *i.* 345
Pandoia 423
Παννονία 414
Παντακίας *f.* 167
Πάνταχος *f.* 167
Panticapes *f.* 364
Paphos *i.* 270
Paraſopii *p.* 76. 303
Pariſii 17. 183
Pariſina *i.* 17. 183
Parmiſſus *f.* 162
Parnaſſus *m.* 225
Parnaſſus 315. 318. 352
Paropamiſus *m.* 122. 124. 304
Paros *i.* 76
Parrhaſia *op. reg.* Parrhaſis *arctos* Parrhaſius *m.* Parrhaſium *nem.* 413 414
Parthalis 396
Parthenia 354
Parthenii *p.* 115
Parthenias, Parthenius, Parthenicum, Parthenope &c. 353
Partheni *p.* 353
Parthenius *fo.* 231
Parthenius *m.* 331
Paryadres *m.* 165
Parus *i.* 30. 336
*cogn.* marmorea 336
Paſitigris *f.* 197
Patara 217. 225
Patzinacitae * *p.* 389
Πηδαῖος *f.* 269
Pedalium 25. 269
Pedicus *f.* 269
Pegaſus 404
Pelasgi 421
Pelethronii *p.* 403
Pelion *m.* 74. 232. 345. 347. 357. 403
Pellanides *fo.* 235
Pelorus *m.* 171. 362

Peneus *f.* 57. 74. 273. 347
Pennini *m.* 297
Pentapolis 385
Perce *f.* 86
Perrhaebi *p.* 2. 42. 255. 352. 357. 403
Peſaurum * 172
Peucetia 382
Phalacra *cacum.* Idae 323
Phanae 355
Phanas * 355
Pharae 229
Pharybus *f.* 106
Phaſelis 310
Phaſis 166
Phegia 321
Pherae 74
Philae Aeg. 283
Philaenorum *arae* 286
Philippi 358
Philyra *f.* 416
Philyreis *i.* 417
Philyres *p.* 415
Phla *i.* 286
Phlegraeus *camp.* 369
Phlyus 344
Phocis 32. 351
Phoenix *f.* 75. 173
Phrixus *f.* 277
Phrygia 29. 318
Phryges *p.* 422
Phyſadea *fo.* 81
Picernum 202
Pieres 358
Pieria 232
Pimplea 232
Pindus *m.* 2. 32. 42. 348. 352
Pindus *op. f.* 353
Pirene *fo.* 231
Piſae 296
Piſaurum 172
Piſcaria 79
Pitonius *f.* 258
Pometia 281
Pompeji 191
Πόμπτινα & Πόντινα ἴλη 80. 212. 280
Pontus *f.* 183
Poſidonia 405
Praeneſte 28. 298
Preſtion 348
Privernum 58
Pſamathe *fo.* 81. 218 230
Pſophis 321
Ptolemais 385
Pugna * 94. 95
Puteoli 20. 210. 323 335
Πυρήνη *m.* 360
Pyrenaeus *m.* 361
Pyriphlegethon *f.* 245. 283
Pyrrhaea 423

Querquetulanus *m.* 307

Ravenna 282
Ῥαύκαρις *f.* 96
Reatinus *l.* 261
Rha *f.* 57
Rhamnus 366
Rhenus Ital. *f.* 176
Rheon *f.* 166
Rhodanus *f.* 258. 389
Rhodope 364. 388
Rhodus *i.* 21. 22
Rhombus *f.* 119
Rhymnus *f.* 57
Rider * 323
Riphaei *m.* 287
Roſs * *f.* 57
Rubicon *quis?* 176
Rumon *f.* 204
Ruſicade *op.* 19. 206

Saba, Sabae, Sabaeae arae, Sabaei *p.* 419
Sabatus 94. 189
Sabeone * 419
Sabini *p.* 405
Sagala 121
Sagaris *f.* 18. 187
Sagaris * 188
Salambria * 184
Salapia 285
Sale *l.* 368
Salmacis *fo. unda* 22 116. 237. 240
Σάλων 136
Salona 136
Samathio *i.* 192
Same 341
Samicum *op.* 77
Samnites *p.* 405
Sangarius *f.* 116. 187
Saocoras *f.* 56. 57
Sapis *f.* 172. 177. 232
Sardes 90. 254. 372
Sarmatae *p.* 278. 379. 388. 419
Sarmizegethuſa 389
Sarnum 190
Sarnus *f. m. op.* 189. 190. 368
Saroniticus *ſin.* 123
Sarraſtes *p.* 189
Saſo *i.* 195
Satrae *p.* 358
Satura *l.* 26. 284
Saugonna *f.* 46
Savo *f.* 195

Scamander *f.* 20. 215. 272
Scardus *m.* 365
Scodra 9. 32. 87. 105. 366
Scodris * 88
Scodrus *m.* 365
Scordi *p.* 366
Scordus *m.* 365
Scythia 278
Segonna *f.* 46
Selinus *f.* 131. 185
Selleis *f.* 360
Seres *p.* 399. 417
Serra *f.* 204
Siban * *f.* 184
Sibyllae *m.* 376
Sicoris *f.* 135
Sidicini *p.* 412
Silarus *m.* 292
Silaris, Silarus *f.* 94 194
Silis *f.* 205
Simbruina *ſtagna* 53
Simoïs *f.* 215. 318
Sindus *f.* 134
Singara 146
Sinueſſa 335
Sipus, Sipuntum 285
Sipylus *op.* 368
Sirbes *f.* 217
Sogdiana 305
aqua Solis *ſo* 81
fons Solis 254
Sollax *f.* 198
Solymi *p.* 406
Sonautes *f.* 52
Sorax *m.* 367
Spalatum * 137
Spania 398
Sparta 375
Sperchia 184
Stabiei *p.* 419
Stabiae 190. 191
Strymon *f.* 285
Stura *f.* 284
Stympha *m.* 369
Stymphelus *f.* 48. 111
Stymphalides undae 359
Styx *f. l.* 20. 92. 209 274. 283
Suburana *reg.* 306
Succinium *op.* 251
Suevi *p.* 5. 70
Surius *f.* 194
Suſa 417
Sybaris *f.* 100
Sylax *f.* 198
Symaethus *f.* 167
Symbolus *m.* 358
Syraca 287
Syracuſae 275. 287
Syrtis 384

Taburnus *f.* 329
Taenias *f.* 102
Taenarum *op. pr.* *port.* 371
Taletus *m.* 375
Tanager *f.* 292
Tanagra 234
Tanaïs *f.* 278. 365
Tantalis 368
Tarbella 68
Tarbelli *p.* 68
Tarentum 114
Taron * *f.* 201
Tarpejus *m.* 366
Tarphe 370
Tarphaeus *m.* 370
Tarracina 251. 281. 284
Tartarus *f.* 57
Tarteſſus *f.* 86
Tarus *f.* 201
Tauromenium *confunditur cum* Catana 199
Taurominius *f.* 60
Taurus 328
Teani *p.* 382
Tearus *f.* 119
Tebris *f.* 204
Tegea 333. 354
Teleboes *p.* 404
Telmiſſus *f.* 128
Temerinda *l.* 278. 280
Tempe 15. 162. 232 347
Tempſis *m.* 374
Tenea *f.* 102
Terentus *f.* 204
Tergeſte 240
Termeſſus *f. op.* 161 .162. 218
Termilae *p.* 406
Terracina 20. 212.
Thebae 303
Thenebreſte 100
Thermae Himerenſes 128
Thermeſſus *f.* 128
Thermodon *f.* 56. 57. 386
Thermopylae 348
Theſpiae 291
Theſpienſes *p.* 233
Theſprotii *p.* 381
Theſtius *f.* 41
Theveſte 100
Thoas *f.* 41
Thonitis *l.* 197
Thraces *p.* 392
Θρακήσιον 422
Thraces Europaei, Aſiatici, Libyci 422
Thracia 30. 327. 422

Thracia Caria 422
Thymbraeus *m.* 272
Thymbretus *f.* 188
Θύμβρις *f.* 203
Thymbrium *f.* 272
Thyni *p.* 422
Tibur 299
Ticinus *f.* 258
Tifata *m.* 85
Tigris *f.* 150. 340
Timachus *f.* 85
Timavus *f.* 85
Titareſius *f.* 109
Titaron *op. & m.* 209
Tmolus *m.* 89. 90. 120. 168. 354
Tmolus 374
Trachina 212
Trachonitis 400
Trigaboli *p.* 282
Τρίκαλον 207
Τρίκαλα 207
Triocala *op. & f.* 19. 207
Triocla 207
Triphylia *reg.* 77. 331
Tritonis *l.* 137
Tritonis *l.* 286. 407
Tritum 408
Tritum 111 Viror. *i.* 176
Troas 272
Troja 216
Tungri 392
Turia *an* Tutia? 200
201
Turnus *l.* 208
—— *confund. cum fluv.* 19. 207
Tuſcania 421
Tuſcanienſes *p.* 421
vicus Tuſcus 307
Tybreſtum 100
Tymolus *m.* 373
Typhon *f.* 160
Tyras *f.* 125
Tyrrheni 421
Vagedruſa *fo.* 96
Valentia 200
Velia 59. 376
Velini *lacus* 3. 53. 194
Veſcia *op.* 215
Veſcinus *ager* 214
Veſeris *f.* 189
Veſeris 189
Veſevus *m.* 302
Veſvius *m.* 339
Veſulus *m.* 339
Ufens *f.* 20. 212. 213 281. 284
Vindobona 104
Virbii *clivus* 212
Ululeus *f.* 322
Umbria 9. 101. 222
Vogeſus *m.* 44
Volturnus *f.* 210
Voſagus *m.* 45
Voſegus *m.* 44
Vulturnus *f.* 97
Vulturnum 20. 210
Xanthus *f.* 4. 323
Xanthus 217
Zagrus *m.* 340
Zarandas *f.* 108
Zariaſpe 89
Zariaſpae 72
Zerbis *f.* 217

# INDEX
## GEOGRAPHIAE RECENTIORIS


fiume di *Abbatia* f. 58
*Abiſo* f. 126
*Accia* f. 70
*Aci* f. 66
*Acqs* 68
*Adeſe* f. 57
*Adige* f. 57
*Adour* f. 68
*Aggia* f. 127
*Agriomela* f. 184
*Aja* f. 127
*Airaut* f. 97
*Aire* 68
*Akrida* 105
*Akrida* lac. 245
*Alabo* f. 48
*Alba* f. 70
Canale di *S. Alberto* 283
*Albia* f. 70
Ἀλφειὸς f. 70
*Alcantara* f. 199
*Aleſſio* 105
*Alfeo* f. 65
*Ambrakia* 275
*l'Amiraglio* f. 150
*Amiſta* 290
*Apeſa* f. 176
*Apidano* f. 75
*Aqua blanca* f. 102
*Aqua ſancta* f. 102
*Aquataccia* 70
*Aras* f. 57
*Arbon* f. 76
*Argentea* f. 214. 322
*Argento* f. 214
*Argoſſa* f. 177
*Arno* f. 191
golfo d'*Arta* 274
*Aſcu* 49
el *Aſi* f. 161
*Aſopo* f. 76
*Aſpri* f. 44
*Aſtora* 206
*Aſuero* 83
*Ateno* 202
*Atri* 79
*Attellari* f. 126
*Aude* f. 68
lago d'*Averno* 243
l'*Aufente* f. 213
*Auſa* f. 177
*Azaro* 95
mare *Azov* 278
*Badino* f. 58
*Bagrada* f. 115
*Balk* 89
*Baradak* f. 96
*Barbaro* m. 324. 335
*Barca* deſertum 385
terra di *Bari* 382
*S. Bartholomaci* f. 93
*S. Baſili* 344
*Baſilicata* 406
*Baſilipotamo* f. 109
*Baudino* f. 58
*Bein el naharajim* f. 161
*Belice* f. 50
*Belice* f. 93
*Belice ſiniſtro* f. 131
*Bengala* 113
*Bevagna* 101
*S. Blaſii* f. 131
*Bochara* f. 89
*Bog* f. 125
*Boiana* f. 88
*la botta di Picerno* f. 202
*Bozdag* m. 374
*Brenner* m. 361
*Brenta* f. 240
*Brugneto* f. 85
*Bunina* m. 349
*Caballo* m. 363
*Cadena del mondo* 328
*Canal Calagno* 192
*Calataniſſetta* 130
fiume di *calda Bellotta* 207
*Calore* f. 94
lago di *Camarana* 276
*Camarina* f. 132
*Caminate* f. 55
fiume delle *Canne* 91
*Canoſa* p. 58
*Cantara* f. 50. 60. 66. 199
*Capitanata* 382
*Capua nuova* 97
*Carbon* f. 48
*Carelli* m. 309
*Carnia* 382

*Caſtagnatz* m. 358
lago di *Caſtel Gandolfo* 298
*Caſtello Vetrano* 94
*Caſtel di Volturno* 210
*Caſtri* 92
*Cataya* 418
*Catochi* f. 44
lago di *Celano* 252. 257
*Cephiſſo* f. 99
rio di *Ceſena* 172
*Cherza* f. 116
*Chiaci* f. 66
*Chiana* f. 225
*Chumerſee* 257
*Cingas* 146
*la Cité* 183
*Civita vecchia* 142
*Clitonno* f. 102
*Crate* f. 101
*la Croce* pr. 167
*Coliſeum* 127
lago di *Colluccia* 245
*Come* 184
*Conca* f. 97
*Cora* 309
*Coruch* 314
*Coſſovo* m. 347
*Coutances* 184
*Curco* m. 314
*Curiorowicze* m. 364
*Curteſio* f. 55
*Cyllene* m. 308
*Czemaniwerti* m. 364
*Dachia* f. 70
*Daghele* f. 198
*Dali* 269
*Daqs* 69
*Darbon* f. 48
*Dehash* f. 89
*Demſas* 206
*Devil* f. 134
*Dittaino* f. 95
*Dnepr Dniepr* f. 88
*Don* f. 205
*Drago* f. 131
m. di *Dragone* 335
*Drillo* f. 50
*Drino bianco* f. 105
*Cara Drino* f. 105
*Drino nero* f. 105
*Duino* f. 85
*Ebro* f. 121
*Elbe* 70
*Emineh dag* m. 328
*Eno* 120
*Entella* 94
*Eraux* f. 97
*Eſtora* 206
*Etſch* f. 57
*Euli gheul* 254
*Farfa* f. 113
il faro di *Meſſina* 171
*Faſs* f. 166
*Fer* f. 161
*Fidari* f. 107
f. di *S Filippo* 192
fiume *Freddo* f. 60. 66. 93
*Fiumicino* f. 177
*Foglia* f. 172
fonte *Ferrato* 192
*Fornello* f. 189
*Frat* f. 108
lago *Fucino* 252
lago di *Garda* 207
*Gardichi* 227
*Gargara* 323
*Garigliano* f. 139. 225
*Garippo* f. 116
*Gela* m. 117
*Geromlea* f. 44
*Ghiaci* f. 66
*Giaretta* f. 167. 192
m. di *S. Giovanni, Severo & Nero* 376
*S. Giovanni di Laterano* 307
*Gîrmaſti* 92
*Giudicello* f. 58
m. *S. Giuliano* 319
*Glanio* f. 225
*Gniloe* more 279
*Golconda* 113
m. de *Gorante* 311
la grotta della *Sibylla* 243
*le Grotte* 128
*Guadalayar ſ.* Vadi al *Ayar* f. 200
*Guenga* f. 113
*Hagios oros* 296
*Halente* f. 59
*Helabas* 114
*Hidekel* f. 198
*Hiſino* 135. 322
*Jaci* f. 66
*Jaïck* f. 57
*Jarmuk* f. 146
*Ida* m. 331
*Jemboli* f. 183
lago di *Jenſano* 261
*Iſchar* f. 183
*Iſcodar* op. 88
*Iſer* f. 135
*Iſere* f. 134
*Kaarched* f. 134
*Kamennoi poias* 365
*Kara ſu* f. 89. 96.
*Kedous* f. 120
*Kelmünz* 307
nahar al *Kiuſa* f. 108

*Kizil-Ermak* f. 126
*Labe* 70
*Labyrinto* m. 317
*Lacha* m. 346
*Lachi* m. 363
*Lagno* f. 225
*Laja* f. 127
*Lao* f. 71
*Lapriſſa* f. 131
golfo de *Larta* 274
*Laſthi* m. 317
*Lavagna* 94
*Lauphis* 126
*Lazareto* f. 192
*Lerida* 196
lago *Licola* 258
*Livadia* limni 99
*Lofanto* f. 58
*Loire* f. 140
*al Lucan* 300
*Lucchiola* fo. 192
*Luco* 265
*Luſo* f. 176
f. *della Madalena* 189
*Madiuni* op. 187
*Madonia* fors. *Madonna* a fano B. V. m. 130
*Magiordeh* f. 86
*Magniſa* 369
*Magra* f. 85. 145
*Malaca* m. 358
*Marechia* f. 177
*Mare morto* 258
*Maricula* f. 176
*Maritza* f. 120
*Marmara* f. 183
*Marro* f. 143
*Marſala* f. 131
m. *Marſo* v. *Marſico* 335
capo *Maſticho* 355
*Matalardo* f. 176. 177
capo *Matapan* 371
*Matin* f. 145
*Mazora* 187
*Mazzaruni* f. 51
*Megarada* 86
*Mejerda* f. 86
*Meinder* f. 144
*Meneo* 235
*Menzo* f. 247
*Meru* m. 343
*Meſtro* f. 358
*Metaro* f. 143
*Mezzuovo* m. 353
*Mignone* f. 142
*Milazzo* 171
*Mincio* f. 142
*Minder* f. 144
*Kutſchuck Minder* f 89
*Miranda* 94
*Mitena* m. 332
*Mofetes* l. 247
*Monaco* 337
rocca di *Mondragone* 335
*Mongibello* 295
*Monte nuovo* 244. 258
*Montisfalconis* balnea 241
*Morad*-ſu f. 108
*Moſis* f. 192
rio di *Moſſo* 55
*Mucuba* 192
*Mufiti* l. 247
*Mugnone* f. 142
f. della *Muraglia* f. 150
*Murhan* f. 134
*Nadi* f. 114
*Nagar* 343
*Nagara* 343
*Narni* 149
il *Negro* f. 202
*Nerdo* v. *Nardo* 341
lago di *Nemo* 261
*Nera* v. *Negra* f. 149
*Nocera* 191
*Noguerra* f. 196
*Nuciti* f. 171
*Numico* f. 149
*Occhio di Zilica* fo. 220
*Ofanto* f. 58
*Oiſe* f. 111
*Olira* m. 347
*Olympo* 346
m. di *S. Oreſte* 367
*Oreto* f. 150
*Oronz* f. 161
*Orphea* f. 48
*Oſero* 83
*Pachicolamo* f. 44
*Paleſtrina* 298
capo *Palo* 322
*Panale* m. 355
*Pantalica* 128
*Parnaſſo* m. 352
capo *Paſſaro* v. *Paſſalo* 175
f. di *S. Paulo* 192
*Peſaro* 172
*Peſcara* 79
*Petras* m. 357
fanum *S. Petroncllc* 149
*Pharib* f. 106
*Pheres* 74
*S. Philippi* 127
*Phthelia* 184
lago di *Pié di Luco* 261
*Piergo* f. 71
*Pietra Santa* 252

capo di *Pila* 270
*Pir* f. 161
*Piſciatello* f. 177
vene di *Piſcignano* 102
*la Piſma* fo. 249
*Piſmoda* fo. 249
*Piſſatello* f. 176
*Planizza* f. 136
*Platina* f. 131
*Plumba* f. 143
*Po* f. 109
*Poias ſemnoi* 361
*Poli* 166
*Polina* 71
*Poliſtonia* 166
*Portella* 300
*Pontine* paludi 281
*Porcaria* f. 167
*Pormon* f. 206
il *Portatore* f. 213
m. di *Poſtiglione* 292
*Pſiloriti* m. 331
la *Puglia* 382
*Quadalquivir* f. 86
porto de *Qualeis* 372
porto delle *Quaglie* 372
*Radini* f. 183
*Ramad* f. 124
*Ravei* f. 124
*Reno* f. 176
*Rhedive* f. 183
*Rhioni* f. 166
*la Riccia* 260
lago di *Rieti* 261
*Rigone* f. 180
*Rivo* f. 149
*Rocca Cavarum* 299
capo *Rodoni* 322
*Rodoria* f. 181
lago di *Ronciglione* 251
*Rophea* f. 48
capo *Roſafar* 354
*Roſs* f. 57
*la Rotta* f. 181
*Ruco* f. 177
*Rugone* f. 180
*Sabato* f. 94
m. *S. Sabinae* 292
*Sagari* f. 188
*Sahakala* 148
*Sakaria* f. 188
*Salampria* f. 162
*Salambria* f. 184
*Salpe*, *Salpi* 285
f. *Salſo* 50. 116. 130
*Sangari* f. 188
*Sanguino* f. 98
*Saone* f. 46
*Sarabat* f. 120
*Sarno* f. 190
f. di *Savignano* 177 180
*Savio* f. 172
*Scafati* f. 191
*Scanderona* 300
wadi *Schirres* f. 100
*Scutari* op. 88
*Sebetho* f. 189
*Seedy Abdel Abbus* 86
*Segre* f. 196
*Selo* f. 195
*Semno* f. 119
*Senga* f. 196
*les Sept caps* 311
*Serchio* f. 85
*Sethie* m. 317
*Sgiguda* 206
*Shantrou* f. 124
m. de *Sicignano* v. della *Petina* 292
*Siculiana* 91
la *Sila* 271
*Silaro* f. 94. 195
*Sillero* f. 195
m. di *S Silveſtro* 367
*Sind* f. 124
*Sipuli dag* f. m. 360
*Soldino* f. 161
*Solfatara* 236
*Spalatro* 136
golfo della *Spetia* 145
*Spirnaſſo* f. 84
*Stora* 206
*Strumona* f. 183
*Stymphe* 370
*Tabor* m. 374
*Taburo* m. 373
lago di *Tagliacozzo* 252
*Tajo* f. 200
*Tana* f. 205
*Tara* f. 115
*Tarfaro* f. 161
*Taro* v. *Tarro* f. 201
f. di *Tavormina* f. 199
*Taurno* m. 374
*Tegil* f. 198
*Termeh* f. 206
f. di *Termini* 130
f. di *Terra nuova* 116. 132
*Tevere* f. 204
*Teverone* f. 52
*Timao* f. 85. 241
la *Timia* 102
*Tomalitze* m. 374
*Topino* f. 102
*Toppia* f. 58
*Toſcana* 421
*Toſcanello* 421
*Trapani* 319
lago di *Trepergola* 243

m. di *S. Treſto* 367
*tſchur. degnitz* 279
*Valiza* m. 364
*Vara* f. 85
*Varo* f. 214
*Vaſigluſe* m. 364
*Vaviſſa* f. 71
*Veria* f. 95
lago di *Vico* 251
*Vintimiglia* 181
m. di *Viterbo* 311
*Voliſſo* 290
golfo di *Volo* 74
*Volturno* f. 97
*Ureo* f. 84
*Urgone* f. 180
*Weliki Poias* 365
*Wolga* f. 57
*Xiria* m. 360
mare *Zabache* 278
*Zara vecchia* 136

# INDEX MISCELLUS

Abſyrtus 83
Acaeallis 152
Acarnan 381
Achelous 381
certat cum Hercule 41
Achilles 4. 185
Acidalia Venus 219
Acidis tumulus 67
Actaeon 21. 230
Admetus 2. 46
Adonis 270
Aeetas R. 264
Aegeſtes 94
Aeſculapius 20. 211
agon 22
agon Archemori 22. 234. 235
Agrippa 258
alben, alpon, *montes* 293
Alcmaon 381
Alexander 113
alf, *Saxum* 294
Alpheſiboea nympha 198
alwarden 294
Amalthea 316. 337
Amaſis 402
Amazones 19. 205
Amphiarai templum 234
Amphinomus 65. 199
Amphion Dircaeus 288
Amphoterus 381
Amphryſia Sibylla 47
Amymone 79
Anapias 65
Anapis 199
Anna Perenna 150
Angitia 264
Anius rex. 54
Antenor 213. 242
Antiope 229
Apamea 146
Apenninae ſortes 298
Apollo 2. 46. 225. 356. 366
Ἀρχηγέτης 199
Clarius 28. 265. 307
Delius 225
Delphicus 268
Hyperboreus 379
Patareus 225
Thymbraeus 225. 272
aquaeductus e Fucino veſtigia 253
aquae graveolentes
Amſancti 2
Camarinae 26. 275
Saturae 284
Soractis 367
Arceſilaus Batti fil. 385
ArchemorusLycurgi fil. 22. 234

Archias Corinth. 11. 287. 315
Archigallus 69
Arethuſa 2. 48
Argo navis 356
Atalanta 333
Aventinus R. 292
Ἀυροφύλαξ an ἀρεραφύλαξ? 169
Babylonis murus 427
Bacchus 168
Sabazius 419
Bacchi cultus 314
a Baccho converſi piratae in Delphines 349
Battus 385
Bebryces 15
Bellerophon 4. 231. 310
Berecynthia 28. 188. 301
Berecyntias ventus 301
boas 87
bomas ſerpens 87
boves Mevanienſes 223
Britomartys 315
Bromios Bacchus 343. 352
buxum in Cytorum 305
Jul. Caeſar 253. 281
Calli rrhoë 381
Calliſto 321
Cam arinam ne moveas 275
Car Myſi frater 40. 401
Caſmoinae 228
Caſtalia fil. Acheloi 226
Caſtalides muſae 226
Caſtalus fil. Apollinis 226
Catillus 308
Cebrenis Oenone 238
Centauri 6. 9. 76. 350. 357
Cephiſos 233
Cerberus 51. 244. 371
Cerberi extracti fabula *unde?* 371
Ceres 16
Cereris feſtum 277
Cicon fil. Apollinis 387
Ciconum matres 120
Circe 264. 409
Circius ventus 337
Cithaeron furiis agitatus 326
Chalcenor 269
Chares Lindius 426
Chimaera 310
Chiron 356. 403
Chryſippe 123
Claudius Imp. 252
Clio 218
Clitumni templum 102
a Clitumno victima 101
Cocalus 90. 131
Coloſſus Rhodius 37. 426
Columba e fagu oracula reddit 268
Coras 308
Corus ventus 337
tutus ut in Corycio antro 313
Crocum 29. 312
Cteſiphon Gnoſius 425
Curetes Idaei 117. 330
Cyane nympha 249
Cyane, herba 272
Cyanippus 249
Cybele 5. 301. 306. 318
ejus lavatio 5. 69
Cyclopes 295
Cydnus 96
cygni 282
Cygni ſepulcrum 73
Cyllenius 307
Cynthia 303
Cynthia Delos 304
Cynthius 303
Dactyli Idaei 330
Daedalus 4
Daricum aurum 170
Daunia Dea 417
Daunius heros 417
Dehebris rex 203
Dejanira 9. 107. 349

Diana 212
ſuccincta 230
Aſtyrena 285
Claria 266
Dictynna 171. 316
Epheſia 37
ej. aedes 425
Facelina 170
Taurica 260
Dictaeus Rex 316
Dictynna 212. 315
Dindymene 306
Diocletiani palatium 136
Diomedis templum 241
Dircaeus cygnus 229
Dirce uxor Lyci 229
fons Jovis Dodonaei 269
Dodonaei lebetes 269
Dodouaeum oraculum 267
Domitiani via 210
Dryope fil. Eurypyli 390
Echinades 42
Ephialtes 326
equi primus uſus 403
Erymanthis urſa 321
Eryx frater Aeneae 320
Eumolpus 422
Eurotas 109
Eurypyli ſcutum 360
Fanatici 116
Farneſius taurus 229
Feronia nympha 252
ejus feſtum 367
fines Aſiae & Europae 125. 166. 19. 204. 205. 384
Aſiae & Africae 148. 166 384.
flumina aurifera 120. 169. 200. 373.
incruſtantia 6. 78. 190. 191. 194. 195
ſub forma tauri in NN. 41. 117. 129. 142. 150. 186. 192.
flumina ſub terra labentia 18 198. 202. 219. 220. 226. 326.
cum aliis non mixta 16. 168. 220. 258
ſuper aliis defluentia 220
fons creſcente luna creſcens 249
inflammans 256. 310
Fortuna Praeneſtina 300
foſſa Auguſta 282
Philiſtina 283
Galli 318
Germanicus & Agrippina 220
Gratiae 219
Gygaea Minerva 253
Gyges R. 253
Hadrianus 253
Haemus Boreae fil. 363
Harmonia 14. 141
Heliades 9. 110
Helicon humanitate clarus 326
herba Scythica 279
Meroïs 281
Hercules
Augen necat 353
Acheloum domat 41
cum Centauris pugnat 6. 76. 359
ſubigit Dryopes 389
combuſtus 31. 348
Monoecus 337
Idaeus 330
Tirynthius 348
Ciminum lacum creat 250. 251
apud Molorchum 25. 270
ad inferos abit & Cerberum domat 52. 244. 371
hydram Lernaeam conficit 26. 276
parum decenter amat Pyrenen 361

Hercules
Lucrinam molem excitat. 258
columnas ponit 311
Herculis filii
Agathyrſus 380
Gelonus 380. 394
Iber 397
Celtus 397
Herculis lucerna Athenienſis 349
Hermione 14. 141
Heſiodus 27. 291
Himerus 108
Hippolytus 20. 211
homines verſi in volucres 27. 286
Hyantes rex 219
hydra Lernaea 26. 276
Hylas 48
Hyperia 26
Hypſipyle 234. 235
Idaea mater 330
igne qui non aduruntur, Hirpi 367
ad inferos aditus 51. 244. 370. 372
Juba 408
Julia moles 257
Jovis natales 331
Dodonaei oraculum 256
Jupiter infans 316
Ammon 268
Apenninus 297
Carius 4
Clitumnus 101. 102
Faginus 268
Lycaeus 331
Olympius 346. 427
Tarpejus 222. 370
jusjurandum Palicorum 22 193. 236
Juturna 417
Ixion 357. 403
Καρίζειν 402
Lapithae 32. 255
Lapitharum bella 350. 357. 403
Latona 217. 303
Latonae templum 217
lavatio Matris Deum 5. 69
Lelegia 405
Lelex 405
leo Nemeus, Cleonaeus 344
Lerna malorum 277
Libethrides muſae 232
lingua Celtico-Britannica 182
Liriope mater Narciſſi 233
Lud 402
Lycaeus Jupiter 331. 413
Faunus 331
Pan 414
Lycaon 333
Lycus fil. Pandionis 406
Lydus 401
lymphati 116
Lyſicratis aedicula Choragica 349
Maenades 364
Maeon R. 402
Maeonides 402
Maja 278. 307
Μαλαχίζειν 240
Mamers 412
Mareoticae vites 24
Marica Nympha 25. 139. 271
marmor
Marpeſſium 336
Parium 336
Lychnites 336
Taenarium 372
Marpeſſia, Sibylla Erythraea 337
Marſyas 146. 409
Mauſoleum 37. 426
Medea 83. 264

Mediaſtuticus 412
meditatur *pro* minitatur 21. 224
Medus 108
Melampus 77. 227
Memnon 4. 38
Mephitis aedes 246
Mercurius 307
Metagenes 425
Midas 168
Minerva Aſtyris 285
Minervae natales 286
moes 278
moehith 278
Molorchos hoſpes Herculis 25 270
Murcia Dea 292
Muſae 226. 228. 231
muſivum Praeneſtinum 298
Narciſſus 22. 234
Nauplius 79. 80
Neſon 423
Neſſus 9. 107. 348
Nicander 267
nummi
Acarnaniorum 41
Accolei Lariſcoli 110
Agyrinenſium 192
Ambraciotarum 41
Artemiſiae 426
Aſſorinorum 95
Calpes 311
Camarinae 132
Catanenſium 58. 65. 199
Colophoniorum 266
C. Conſidii Noniani 320
Corinthiorum 310
Dictynnae Cret. 316
Entellae 94
Epheſiorum 425
Geloorum 117
Heracleae Ponticae 52
Himerenſium 129
Nummi
Κωρυκιώτων 314
Magnetum Sipyli 369
Megarenſium 66
Nicaeenſium 188
Νισαίων 130
Oeniadum 41
Panormitanorum 150
Pergamenorum 150
Selinuntiorum 130. 185
Sipyli 368
Smyrnenſium 267
Syracuſiorum 219
Tarſenſium 96
Tauromenitarum 198. 199
Tituriae gentis 370
Tmolitarum 374
Nympha Aetna 191
Aganippe 218
Alpheſiboea 198
Anigriades 77
Cyane 249
Dodonides 269
Egeria 212. 228. 260
Feronia 252
Libethrides 233
Marica 271
Sebethis 189
Taygeta 375
Nyſaeus Bacchus 342
Ὀαρίων & Ὠρίων 157
obſcenus 412
odium vini 21. 227
Oeagrus pater Orphei 120. 388
Omphale 253
Opheltes 234. 235
oraculum Delphicum 351
Clari, Malli, Didymorum 266
Dodonaeum 267. 317
in inſ. Phla 286
Oreſtes 171

Orpheus 363. 364. 387
Orphei monum. 233
Oſca lingua 413
Oſci ludi 412
Oſcum marmor 413
Otus 326
Oufentina tribus 212
Paeoniae artes 212
Pais 148
Palamedes 80
Palicae urbis veſtigia 236
Palici Dei 191. 193. 235. 236
Pan 30. 331. 398
Pan Lycaeus 414
Pandora 423
Pangaeus furiis agitatus 358
Paridis judicium 330. 331
Pariſina inſula 17
Parrhaſius 414
Πάταγος 167
Patrocli funus 185
Pegaſus 231
Peleae *vel* Peleades 268. 316
Peleus 185
Pelei votum 185
Pelops 47
pen, *ſummitas* 297
Penninus Deus 297
Phaethontiades 110
Phanaeus R. 355
Phidias 37. 427
Phillyrides Chiron 416
Philyra 416
Pholus centaurus 359
Phoenicis ſepulcrum 173
Phryxi templum 165
picti ferro Geloni 394
Pindari domus 229
Pindus 2. 42
Pirithous 357. 403
Polyphemus 4. 67
Pompejus M. 32. 362
S. Pompejus 17. 173
Pomptinae ficcandae 281
populeae ſorores 110
Praeneſte 28
Proetides 77. 227
Pſammitichus 401
pſeudargyrum 373
Val. Publicola 377
pyramides 38. 428
Pyrene Bebrycis filia 361
e Pyrenaeis thcſaurus Hiſt. Natur. 362
Pyrrha 423
Python ſerpens 225
Regulus 7
Ῥαδάλος 182
Ῥαδήλος 182
Rhea 331
rhedeg *quid?* 182
Rhodope Haemi ſoror 363
rif' aet 365
Ῥόδανος 181
Rolandi antrum 314
Sabazius Bacchus 419
Sangas 187
Sarpedon fr. Minois 406
Σαπρὴ λίμνη 279
Selinuntis reliquae 186
Semiramis 38. 427
Σεμιχὶ Θεαί 193
ſerpens maximus 87
Sibylla Amphryſia 47
Erythraea 337
Σιγηλοῦ μνημεῖον 234
Silenus 168
Sipylene Cybele 368
Sipylus fil. Agenoris 369
Soranus Dis pater 367
ſpeculum Dianae 261
ſpelunca leonis Nemeaei 344
Stelichorus 12. 130
Styx Oceani filia 283
Suſae domus regia 427
Symaethus rex 191

tabula Tarracinae posita 281
Tantalus R. 368
Tauromenii rudera 199
Taygeta nympha 375
Tellez 148
templum Praenestinum 298
tetrici *unde dicti?* 376
teut, *terra* 420
Thalia 191. 193
Theodosius 281
theoda, *terra* 420
Thestius 41
thiuda, *terra* 420
Thoas 41. 171
thymbra 272
Tiberius XII urbes instaurat 368. 374
Tibur 308
tir, *terra* 420
tit, *terra* 420
Tmolus Lydiae R. 373
Trajanus Imp. 281
Trajani expedit. Dacicae 389
trieterica sacra 352
tribus
Pomptina 281
Velina
Trivia
Tuisco
Turnus 417
Tutisco 420
Tyrrhenus 421
Typhon 160
Veneris fanum ad Salmacidis fontem 239
Venus Acidalia 219
Cytherea 303
Erycina 319
Idalia 270. 320
L. Vetus 142
vini odium 21. 227
vinum Ariusium 27. 290. 354
Falernum 335
Massicum 335
Massacano 336
Muscatella 336
Oeneates 351
Phanaeum 354
Virbius 20
vites Mareoticae 24. 260
Vogesus, Vosagus, Vosegus 44. 55
votum tondendi crinis 185
Vulcani officina 295
Xanthus equus 20. 216
Xerxis consilium abscindendi Athoi montis 296
171

IH 3
2189 2



# INDEX

## AUCTORUM VETERUM


Aethicus 184
Agathias *juvat Vibium* 98
Alexander polyh. (apud Stephanum) *notatus* 125
Altilfiodorenſis monachus 302
Ammianus Marcellinus *notatus* 184
Anaſtaſius Bibl. *juvat Vibium* 302
Antonini *itinerarium* 259
*emendatum* 202
Appianus *emendatus* 285
Ariſtoteles
*notatus* 362
*ſuſpectus* 195
Catullus *notatus* 273
Joh. Comneni *deſcriptio montis Atho* 296
Conſtantinus porphyrog. *juvat Vibium* 98
Diodorus Sic. *emendatus* 235
Euſtathius *notatus* 341
Florus
*emendatus* 246
*notatus* 334. 335
Herodotus *notatus* 103. 362
Jornandes *emendatus* 137
Juvenalis *illuſtratus* 324. 325
Livius *emendatus* 188. 213. 215
*juvat Vibium* 302
Lucanus
*male intellectus a Vibio* 83. 89. 119. 147. 172. 175. 181. 197. 214.
*in errorem inducit Vibium* 113
*emendatur* 214
Lutatius Catulus *ad Statium emendatus* 234
Mela *notatus* 143. 182. 232
Notkerus 293
Oppianus *emendatus* 182
Oribaſius *emendatus* 137
Oroſius *notatus* 191
Ovidius *male intell. Vibio* 136 211
Paullus Diaconus 94
Pauſanias *emendatus* 235
Plinius
*male intellect. Vibio* 105 160
*illuſtratus* 336
*notatus* 88. 167. 181. 232. 344
*emendatus* 168
*lucem dat Vibio & accipit ab eo* 210
Plutarchus *emendatus* 169
Ψευδο-Plutarchus de fluviis *notatus* paſſim
Polybius
*emendatus* 133. 282
*juvat Vibium* 296
Probus *emendatus* 121
Procopius *juvat Vibium* 302
Ptolemaeus
*notatus* 167. 184. 192
*ſuccurrit noſtro* 207
Quintus Smyrnaeus *emendatus* 360
Ravennas anonymus 84. 96. 109. 113. 137. 142. 201. 259. 355. 389. 393. 398. 407
*juvat Vibium* 143

Scylax *emendatus* 266
Seneca *forſan male intellectus a Vibio* 197
Servius
*notatus* 58. 339
*emendatus* 367
Corn. Severi *Aetna* 295
Silius *emendatus* 290
Solinus *emendatus* 265
Sophocles *male intellectus Vibio* 135
Statius *male intellectus a Vibio* 110
Stephanus Byzant.
*defenſus* 289
*emendatus* 217. 364
*notatus* 235. 290
*juvat Vibium* 91. 201
Strabo
*notatus* 46. 54. 67. 102 103. 139. 183. 388
*male intellect. a Vibio* 43
——— *a Lucano* 113
*emendatus* 75. 145. 251 209. 259
*defenſus* 54. 213. 269. 355
Suidas 389
Tabula Theodoſiana
*citata* paſſim.
*notata* 58. 145. 244. 245. 286
*illuſtrata* 279
Thucydides illuſtr. 196
Varro *citatus Vibio* 150
Virgilius
*male intellectus a Vibio* 46. 208. 271. 317. 333
*emendatus* 290

# INDEX

## AUCTORUM RECENTIORUM

Adam's *Ruins of Spalatro* 136
Adimarus *de Rubicone* 179
Amadutius 283
Aretii *chorographia Siciliae* paſſim
Bartoli *admir. Rom. antiq. veſt.* 316
Begeri *theſ. Brandenb.* 185
Bellonii *obſervat.* 296
Berkelius *notatus* 291
Blancus *de Rubicone* 180
Blondus *notatus* 335
Boccacius
*defenſus* 134
*notatus* 219. 303. 309
*ex eo emendatus Vibius* 201
Boçharti *Phaleg & Can.* paſſim
Brodaei *Epigramm.* 138. 188. 226. 238. 276. 425. 426. 428
Brunckii *analecta V. P. G.* 138. 188. 226. 238. 276 425. 426

Brydone *iter Sic.* 101. 192. 219. 276. 295
*notatus* 336
le Bruyn 144. 148. 428
de Buiſſaizon 362
Burmanni *Anthol. Lat.* 67. 79. 141. 250
Burmannus *ad d'Orville* 65. 95. 117. 186. 199. 235
Capaccius *de antiq. Puteol.* 258. 324
Carrera
*deſcriptio Aetnae* 295
*monum. Catanenſia* 67. 199
Caſaubonus *ad Strabonem notatus* 106. 138. 355
Caſtelli P. T. M.
*Inſcriptiones Siciliae* 41 58. 59. 94. 129. 130. 131. 150. 192
*aggiunta alla Sicilia Numiſmat.* 65. 66. 117. 186. 235
*Iſcrizioni di Palermo* 199
*juvat Vibium* 150. 199
Caylus 426
Cellarii *not. O. A.* paſſim.
*notatus* 374
Celſus Cittadinus *de Tanagro* 202. 292
Chandler *Jon. antiq.* 144. 426
Chevalier *hiſt. de Voligny* 46
Chishull *antiq. Aſiaticae* 148. 377
Ciccarelli *diſſ. de Clitumno* 102
Scipio Claramontius *de Rubicone* 178
Cluverii *Sicilia antiq.* & *Italia antiq.* paſſim.
S. Croix. 108. 134
D'Anville *tabb. Geogr.* & paſſim. 145
*Notice de la Gaule* 142 182. 183
*ſur le Nil* 147
L. B. de Dietrich *lettres de Mr. Ferber ſur la minéralogie de l'Italie* 243. 244
Dorvillii *Sicula* 128. 130. 131 167. 186. 192. 199. 221
Ducheſne *in Normannicis* 112
Faber *notatus* 234
Fabricius 289
Fazellus *de rebus Sic.* paſſim.
Fiſcher von Erlach 425
Froelichius *notatus* 186
Ghilinus *de Lario lacu* 256
Golzii *NN.* 130. 198. 314. 368
Gorii *Antiq. Etruſcae* 41. 310
*ſymbola litteraria* 413
Gorlaei *Dactyliotheca* 319
Gronovii *Theſ. A. Gr.* 369
Grotius 427
*notatus* 337
Gruteri *Theſ. Inſcript.* 69. 116. 121. 129. 149. 189. 247. 250. 370. 377. 389. 407.
*emendatus* 216
Gualther *Tab. Siciliae* 126
Guaſtuzzius *de Rubicone* 180
D'Hancarville *ad Hamilton V. Etr.* 189. 295. 325
Harduini *NN.* 70
*notatus* 77. 200. 316
Heſſelius *notatus* 410
Philotheus de Homodeis *de Aetna* 295
Hugo *de vera orig. Romae* 355
Ihrii *gloſſar. Suio-Goth.* 294
Jovius *de Lario lacu* 257

P. M. Kavinae *de Rubicone in Faventia rediviva* 177 179
Kircheri *turris Babel* 428
Lippertii *dactyliotheca* 52. 110 185. 220. 310. 408
Maffei *Muſ. Veronenſe* 110. 297
Maillet *deſcr. de l'Egypte* 428
Mandeville *itinerar.* 293
Marſilii *Danubius* 104. 389
Mazochius *de origine Tyrrhenorum* 283
*de Magna Graecia* 406
Menagius *orig. della lingua Ital.* 294
Mirabellae *Syracuſarum topographia* 221
Miſſon *voyage* 223
Montfaucon *Antiq. expl.* 70. 220. 426
*Palaeographia* 296
Muratorii *theſ. Inſcript.* 69. 398
Niebuhr *Reiſebeſchreib.* 100. 428
Norden *voyage en Nubie* 428
Ortelii *theſaurus Geogr. Vet. notatus* 68. 115. 136. 204. 213. 307. 353. 369. 370. 375.
Otto Dimmering. 293
Paruta *Sicilia Numiſmat.* 65. 94. 95. 117. 132. 199
Paſſerii *Oſcum marmor.* 413
Pincius *de Timavo* 240
*notatus* 241
Pellerin *médailles* 66
Peregrinus *de Campania felice* 191. 324. 334. 335
de Peyſſonel *voy. de Thyatire* 254
Pezii *gloſſae* 294
Piraneſi *monum. Rom.* 363
Piſtonius Maſſil. 314
Pococke *travels* 296. 425. 428
Reineſii *Synt. Inſcript.* 55
Relandus *notatus* 84. 113
L. B. de Riedeſel *voyage en Sicile* 220
Roth *diſſ. de orig. Romae* 356
Rubei *hiſtor. Ravennatenſis* 283
Scaliger *notatus* 418
Scherzii *gloſſarium Germanicum* 293
*ejus edendi votum* ibid.
Serra *de Rubicone* 180
Shaw's *travels* 428
Simlerus *notatus* 181. 232. 233
Spanhemius *de V. & P. NN.* 185. 266. 310. 311. 320
Speelmanni *archaeologia* 294
Spon *voyages* 296. 352
*miſc. erud. antiq.* 297
Rob. Stephanus *notatus* 218
Strahlemberg *deſcr. de la Ruſſie* 365
Stuart *Antiq. Athenienſ.* 349
Suareſius *de Praeneſte* 299
Thevetus *notatus* 184
Treitlinger *de fluminibus auriferis* 170
Triſtanus *de NN.* 185
Vaillant *Graeci Imp. Rom.* 188. 369. 374
*NN. Familiar.* 310. 320
*NN. ſel. e muſeo de Camps* 314
Jac. Villanus *de Rubicone* 179

Vincentius *de Rubicone* 179
Urſinus *de NN.* 132. 320
Wachteri *Gloſſar. Germanicum* 294
Weſſelingius *ad itinerar.* 352
*notatus* 78
Wheeler *voyages* 99. 144. 296. 304. 352. 374
Jac. de Wilde *NN.* 95. 96. 425
Winckelmann *Geſch. der Kunſt* 185

*ARGENTORATI.*
Ex praelo JONAE LORENZII, Typographi.

# EMENDANDA

| *Pag.* | *lin.* | |
|---|---|---|
| 8. | 25. *lege* | Lilaea ) *ſic cod. Med. contra in cod Revii, Rel. & Pariſinis* aliena, *in editis deeſt.* |
| 17. | 7. | in Tiberim *pro* in Tyrrhenum. *cf. p.* 181. |
| 23. | | Achridus Apolloniae. *cf. p.* 245. |
| 24. | 3. | In Athamania lacus luna tenuata &c. *cf. p.* 255. |
| 30. | 14. | Maenalus Arcadiae in Tegea. |
| | 30. | Monoechus |
| 32. | *penult.* | Rhamnuſium |
| 46. | 4 *ab ult.* | ὑμνῳδεῖ |
| 62. | 6 *ab ult.* | DE PAUW *ſic & alibi paſſim.* |
| 63. | 18. | ποταμῶγε . . . Ἀνάπω *cf. Cel. Brunckii analecta Vet. Poët.* |
| 70. | 3 *ab ult.* | Aeantem |
| 75. | 8. *dele* | Forſan Boeotiae . . . *uſque ad* v. Melas. *cf. p.* 147. |
| 77. | 8. *lege* | Ἀρήνης |
| 84. | 21. | quaerendae |
| 85. | *penult.* | Boactes |
| 98. | 6 *ab ult.* | ὅς |
| 103. | 17. | προχοῇσιν |
| 106. | *ult. adde:* | Eſt & Enipeus Elidis, in Alpheum delatus. |
| 109. | 20. *lege* | Germanice |
| 128. | 5 *ab ult.* | ſimul. *dele punctum.* |
| 140. | 2. *lege* | ϛαδίων |
| 141. | 18. | Ἄρνῖ |
| | 19. | Ἁρμονίην |
| 146. | 19. | ſalutari |
| 155. | 3. | fluvio |
| 161. | 15. | ῥεῦμα |
| 163. | 15. | ὣς |
| 165. | 2. | Ἀρμένιον |
| 173. | 4. | δι' |
| 184. | 1. | Ptolemaei |
| 188. | 23. | Θρᾴκων *ſic & paſſim alibi.* |
| 190. | *penult.* | Βεσσῖου |
| 212. | 5. | *ſic:* Lacum quum vidit Sequeſter, appoſitumque Virbii nomen, fluvium ex iſto oriundum cogitavit, vel iſti qui daret originem, huic cognominem. *cf. p.* 260. |
| 214. | 9. | Ululeus an Ululens |
| 215. | 20. | Liri *pro* Livio |
| 234. | 4. | ὃ |

*pag. lin.*

240. 6 *ab ult.* quod ſane mirum &c. *imo non mirum; tabula Theodoſiana nondum erat vulgata.*
242. 16. *lege* teſtatur
290. 16. Vibio
303. 5. τελευτᾷ
317. 7. Extat apud Montfaucon Antiq. Expl. T.I. Pl.VIII.
318. 4 *ab ult. lege* majoris an minoris.
352 20 Caſtalia
353. 6 *ab ult.* circumdare
5 ἀ'πὸ
4 τὴν
354. 5. dynaſta
367. 8. Deae
374. 7. TMOLVS
380. 8. ablegat
15. artuſque
382. 9. ὅλως